

III. in cap. *Novis*. De judiciis. ex Gratiano, ut apparet, cum eam tribuat Theodosio. Est enim constitutio Constantini inserta Codici Theodosiano. Rectius ergo in libro sexto Capitularium cap. 281. citatur ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro. Vide porro Cujacium in caput *Novis*.

11. q. 1.
c. 37. Vo-
lamus.

Puto, totum hoc caput non satis bene intellectum esse ab Antonio Augustino in dialogo undecimo libri posterioris de emendatione Gratiani. Itaque visum est illud explicare. Romani, Franci, Alamanni, Bajoarii, Burgundiones, Saxones, Turingi, & Frisones, nullam, ut arbitror, difficultatem habent, neque Britones, Longobardi, Gualcones, aut Beneventani. Quærendum igitur quid heic intelligi debeat per Gallos, Gothos, & Hispanos. Ac primo quidem dubium esse non potest, quin per Gallos intelligi debeant homines originis Gallicæ, Franci quidem & Francico imperio subjecti, sed qui genus repetebant a vetustis Galliæ incolis ante Francorum adventum. Hi ergo haud dubie suam legem habebant diversam a lege Francorum, id est, Codicem Theodosianum, ac fortasse alias. De Gothis & Hispanis major est difficultas. Sed tamen ea facile solvetur. Gothi, & Hispani Francico imperio subjecti eandem regionem incolebant, id est, eam Hispaniæ partem, quæ nunc Catalonia dicitur usque ad fluvium Rubricatum. Unde in Præcepto Caroli Calvi dato anno DCCCXLIV. in monasterio sancti Saturnini prope Tolosam ita legitur: *Gotos sive Hispanos intra Barchinonam famosi nominis civitatem vel Terracium castellum cohabitantes*. Gothi igitur in ea Hispaniæ parte habitantes ii erant, qui supererant ex Regno Gothorum, & nunc Catalani vocantur. Hispani vero in eadem parte Hispaniæ cum Gothis habitantes ii erant, qui ex ea Hispaniæ parte orti erant, quam Saraceni tenebant, & se in Regnum Francorum contulerant, ut se Saracenorum jugo subtraherent. Unde in Præcepto Caroli Magni dato Aquigrani anno DCCCXI. IV. Non. Aprilis misso ad Comites illarum partium agitur de Hispanis, qui querelam suam adversus eos detulerant ad Principem, conquerentes sibi ablatas esse terras, quas ab eodem Carolo acceperant excolendas in ea ora. Sed totum istud negotium clarius explicant Præcepta duo Ludovici Pii de Hispanis, qui ad se perfugerant, quæ edita primo sunt a Petro Pithæo, deinde ab Andrea Duchesno. Porro qui heic Gothi vocantur inter gentes Regni Francorum, Hostolenses vocantur in Præceptis Carlomanni, & Caroli Simplicis, quæ edita a nobis sunt in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis tit. II. & IV. *Si vero infra istas villas homines Hostolenses sive Hispani fuerint &c.* Hinc factum, ut in veteri Chartulario Ecclesiæ Helenensis idem Carolus simplex vocetur Rex Francorum atque Gothorum. Fortassis ex compositione istorum duorum vocabulo-

Tom. III.

rum *Gothi Hostolenses*, quæ promiscue tum usurpabantur pro significandis populis qui nunc Catalani dicuntur, ortum est Cathalonix nomen, ut primum fortassis dicti sint populi Gothostolenses, dein per abbreviationem Gotholenses. Alioqui enim non video unde exorta sit ea appellatio. Ex Gotholensibus porro, ut mutare solet posterior ætas, facti sunt haud dubie Catalenses, *Catalens*, *Catalans*.

Nihil dicam de hoc capite. Illud tantum moneo, videndum esse Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 13. cap. 3.

Vide rursus Antonium Augustinum ibidem lib. 2. tit. 2. cap. 1. ubi multa adfert notatu digna ad illustrationem istius capituli.

Quæ heic dicenda fuissent, ea relata sunt in Notis ad Antonium Augustinum, quia Augustinus pag. 147. notaverat insignem errorem Antonii Contii.

Burchardus, Anselmus, Ivo, & Gratianus citant hoc caput ex decreto Honorii Papæ, ut recte monent Correctores Romani. Ex eodem decreto citat etiam sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis in epistola ad Episcopum Cicestrensem nondum edita: *Inde est*, inquit, *quod mandamus vobis & in vi obedientia precipimus, ut eos, qui a nobis excommunicati sunt, vos quoque, prout decet, excommunicatos & habeatis & denunciari faciatis juxta illud decretum Honorii Papæ. CURÆ SIT omnibus Episcopis &c.* Ivo tamen parte 14. Decreti cap. 65. eam constitutionem tribuit Joanni octavo in Concilio apud Ravennam. Certum hoc caput non potest esse Honorii secundi, cum referatur a Burchardo, Anselmo, & Ivone.

Regino lib. 2. cap. 393. refert hoc caput, sed absque nomine auctoris. Burchardus, quia videbat caput, quod antecedit, sumptum dici ex Isidoro, istud quoque eidem scriptori tribuendum esse putavit. Burchardum Ivo descripsit, ut solet.

Verba sunt formulæ secundum quam priscis temporibus fieri debebat excommunicatio. Hanc formulam integram retulit Regino lib. 2. cap. 409. Burchardus, qui putaret istud quoque sumptum esse ex Concilio Rotomagensi, quia caput 406. ex eo Concilio dicebatur acceptum, formulam istam tribuit Concilio Rotomagensi, ut diximus in capite XIX. præfationis ad Reginonem. Burchardum secutus pro more suo est Ivo Carnotensis Episcopus.

Et istud quoque caput est formula priscæ, relata a Reginone lib. 2. cap. 413. Burchardus deinde citavit ex Concilio Arausico cap. V. Ivo simpliciter ex Concilio Arausico. Hinc ergo edoctus est Gratianus falsa pro veris accipere, falsa reddere & proponere.

Canon iste aliter legitur apud Reginonem libro 1. cap. 353. Refertur autem infra ex Concilio Aurelianensi. Sed re vera est tantum epitome istius canonis Agathensis.

Codex Sangermanensis hæc tantum habet

B b

in

11. q. 1.
c. 38. De
persona.

11. q. 1.
Si Clericus.

11. q. 3.
c. 3. Præci-
pue.

11. q. 1.
c. 20. Curæ
sit.

11. q. 3.
c. 28. Si
quis frater.

11. q. 3.
c. 28. De-
bent.

11. q. 3. c.
107. Cano-
nica.

21. q. 2. c.
33. Si quis.

12. q. 2. c.
39. Et si
illi.

in inscriptione hujus capituli: *Item ex Concilio Toletano*. Reliqui & veteres editiones: *Ex Concilio Toletano quarto*. Demochares, & Contius addiderunt in margine, cap. 66. Sed Correctores Romani maluerunt eam notam reponere in textu Gratiani. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 11. c. 5.

12. 9. 2.
c. 44. Pre-
cariz.

Apud Reginonem lib. 1. cap. 362. citatur ex Concilio apud Belvacum, quod descriptum est in Concilio Meldensi. Itaque sive referas ex Concilio Meldensi, sive ex Belvacensi, parum refert. Vide porro Notas ad Reginonem pag. 574.

12. 9. 2.
c. 55. Inju-
stum.

Regino lib. 1. cap. 370. refert ex Capitulis ad Carisiacum, quæ non exstant. Huic ergo malim credere quam illis, qui repetunt eandem constitutionem ex Concilio apud Silvanectum vel Tansiacum. Deest autem hæc palea in vetustis Gratiani codicibus Regio, & Sangermanensi. Deest etiam in vetere Victorino, nisi quod postea addita est in margine cum hac epigraphe: *Item ex Concilio Aprecarensi cap. III.*

12. 9. 2.
c. 58. Epif-
copus qui.

Exstat apud Reginonem lib. 1. cap. 357. & inde apud Burchardum lib. 3. cap. 176. Sed apud Reginonem desunt illa verba *Tunc enim usque ad acquisivit*, quæ habentur apud Burchardum, & Gratianum.

12. 9. 2.
c. 62. Osta-
va.

Antiqua Gratiani exemplaria habent: *Item ex Concilio Spalensi*. Editiones Moguntina, & Veneta: *Item ex Concilio Hispalensi*. Sic etiam apud Democharem, & Contium, qui in margine ita scripserunt: *Cap. 8. Concil. Spalensis 2.* Hæc deinde observatio in textum migrare iussa est editione Romana.

HELISÆO. Varie scribitur hoc nomen in vetustis Gratiani codicibus. Regius, Sangermanensis, recentior Victorinus, & antiquæ editiones Moguntina, & Veneta, tum etiam Demochares, habent *Eliseph*. Contius *Elisep*. antiquus Victorinus *Elipheph*. Colbertinus *Elyseo*. antiqua collectio canonum Lugdunensis *Heliseo*. editio Loaisæ *Elisseo*. Adeo certum est nihil certi statui posse in hujusmodi rebus. Attamen si quid in re adeo obscura posset affirmari, malletm cedere multitudini testimoniorum, & legere *Eliseph*. Nam alioqui hoc nomen magis accedere videtur ad nomina Hispanica illorum temporum, quibus Hispanicæ Ecclesiæ permixtæ erant cum Mauris & Judæis.

AGABRENSIS. Sic omnino habent vetera Gratiani exemplaria Victorina, Sangermanense, prima editio Moguntina, Loaisa. Vetus editio Veneta *Agabienensis*. Demochares, & Contius *Agabiniensis*. Utrique male. Recte codex Regius *Egabrensis*. Quo etiam modo scriptum est in vetustissimo libro Ecclesiæ Lugdunensis. Egabro, hodie *Cabra*, ut docet Loaisa, fuit olim sedes episcopalis.

12. 9. 2.
c. 146. De
laicis.

Canonem istum Claromontanum nos primi omnium edidimus ex veteri codice manuscriptorum monasterii Anianensis, post nostram

vero editionem insertus est maximæ, & amplissimæ Conciliorum collectioni. Sic autem illic incipit hoc caput: *Die igitur quarta de laicis quæstio facta est &c.*

Ante Romanam editionem caput istud hanc habebat inscriptionem: *Item Innocentius Papa secundus*. Correctores Romani, quia nesciebant ista decreta ab Innocentio primum fuisse in Concilio Claromontano, & certo existimabant petita esse ex concilio Lateranensi ejusdem Innocentii, hæc verba audacter, & intrepide addiderunt, in *Concilio Lateranensi cap. 4.* Exstat inter canones ejusdem Claromontani Concilii; ubi desiderantur voces illæ, *Ecclesia &c.* Cetera sunt similia; nisi quod canon Claromontanus habet *subiiciantur pro eo quod Gratianus legit subjaceant.*

12. 9. 2.
c. 147. Illud
quod.

Refert hunc canonem Africanum Regino lib. 1. cap. 217. De toto porro isto negotio vide, quæ observata a nobis sunt ad illum locum ex libro tertio Salviani adversus avaritiam pag. 270. *Rectius pauperes a se fiunt.*

12. 9. 3. c.
1. Placuit.

Hinc canon ex Concilio Arausico cap. 54. refertur a Reginone lib. 1. cap. 219. & a Burchardo lib. 3. cap. 119. Sed isthic observandum est, exstare quidem hunc canonem in editione Helmstadiensi Reginonis, sed non in antiquissimo codice MS. quo nos uti sumus. Ivo recte citavit ex Concilio Agatheusi, ubi exstat. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de peculio Clericorum cap. 2.

12. 9. 4. c.
3. Presby-
ter.

DIOCESIM. Corrige *diocesim*. Hæc magna pars eruditorum hominum peccat, dum scripturam veterum codicum reducere volunt ad originem suam. Vix enim reperias ullum veterem codicem, in quo vocabulum illud scriptum sit cum diphtongo. Et tamen fere omnes, qui veteres libros edunt, *diocesim* semper scribunt ubicunque legerint *diocesim*. Hæc admonere alicujus fortean momenti fuerit.

DIOCESIM. Id est, parœciam, Ecclesiam. Nam sicut parœciæ vocabulum usurpabatur antiquitus ad significandam integram Episcopi diocesim, uti dictum est in Notis ad Lupum Ferrariensem, ita diœcesis vocabulo exprimebantur interdum singulares Presbyterorum Ecclesiæ, quæ nunc vulgo vocantur Ecclesiæ parœciales. Ruricius Lemovicensis lib. 2. epist. 6. *Has ad sanctitatem vestram per Presbyterum meum pro diœcesi Gemiliacensi, unde jampridem vobis scripseram, destinavi.* Gregorius Turonensis lib. 4. hist. Francor. cap. 13. *Cautinus Episcopus Brivatensem diœcesim psallendo adire disposuerat.* Item lib. 6. cap. 38. *Ursicinum Cadurcine urbis Episcopum laceffere cepit, dicens quia diœceses Rutene Ecclesiæ debitas retineret.* Et libro 1. de miraculis sancti Martini cap. 22. *Quid etiam in Condatensi diœcesi actum sit.* Vide etiam Sidonium lib. 9. epist. 16. cum Notis Savaronis, & Sirmondi. Interdum vero diœcesis, quod etiam observatum ab aliis est, sumitur pro tota Episcopi diœcesi, interdum

dum porrigitur ad universam Metropolitanam provinciam.

12. q. 5. c.
6. Sicubi.

In omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis, & antiquis editionibus legitur in hoc capite, *post hanc diffinitionem a Presbyteris &c.* Pro quo Correctores Romani posuerunt *post defunctionem ejus a Presbyteris.*

12. q. 5. c.
7. Quicunque.

In fine istius capituli, quod sumptum esse dicitur ex Concilio Triburiensi, hoc est, ex Burchardo, hæc leguntur: *Similiter de sanctimonialibus.* Atque in his verbis est finis istius causæ duodecimæ in omnibus antiquis codicibus, & editionibus. In Colbertino tamen sequuntur constitutiones tres Adriani III. five potius IV. Leonis IX. & Adriani item quarti, ut opinor, cum hoc titulo: *Decreta de novalibus.* Illarum prior exstat in prima collectione Decretalium, & apud Gregorium nonum, sed paulo diversa ab ea, quæ exstat in codice Colbertino. Eam vero Correctores Romani putant esse Adriani IV. ad sanctum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem. Frustra. Nam Adrianus mortuus est anno MCLIX. mense Septembri. Thomas vero ad sedem Cantuariensem evehctus est anno tantum MCLXII. ut ex actis vitæ ejus collegit illustrissimus Cardinalis Baronius. Leonis noni epistolam ego olim inveneram in Pannormia Ivonis lib. 2. cap. 29. & in aliquot codicibus manuscriptis. Hujus porro pars habetur in cap. *Relatum.* De sepulturis; ubi male inscribitur Episcopis per Dardaniam constitutis, cum scripta sit ad Episcopos per Italiam. Edita est nuper in tomo nono Conciliorum pag. 984. Aliam Adriani epistolam non inveni editam. Itaque visum est eam in hoc loco describere, vel ob eam rationem, quod Decreto Gratiani inserta sit in codice Colbertino.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei dilectis A. Priori & universis monachis de Pontiden. salutem, & apostolicam benedictionem. Nobis in eminenti specula disponente Domino constitutis, si cunctarum jura Ecclesiarum integra non debent, & illibata servari, locum beati Petri Apostolorum principis inutiliter obtinere, & juxta commissæ nobis dispensationis officium negligenter agere videremur. Sic enim Ecclesia Dei, nobis eam divina providente gratia gubernantibus, recte suo cursu dirigitur dum nos errata quæque vigili provisione corrigere, & unicuique studemus jus proprium conservare. Dilectus autem filius noster Pontanolenis Ecclesiæ Canonicus adversus * nos cum quæstione deposita, sua nobis relatione monstravit, vos quasdam decimationes ad ipsorum jus pertinentes eis violenter auferre, & ipsos super eisdem decimationibus ausu temerario infestare: qui si beati Benedicti regulam, juxta quam vivitis, & monasticum habitum, quem gestatis, attenta sollicitudine pensaretis, ad proximorum bona diripienda non præsumeretis manus extendere, vel quæ alterius juris sunt vobis ita

* vos cum quæstione

illicite usurpare. Ne igitur vos de cetero aut avaritiæ malum aut vitium, quod absit, rapacitatis accuset, per apostolica scripta vobis præcipiendo mandamus quatinus nullam antiquam eorum possessionem vel decimationem, & eam præsertim, quæ in eo loco, qui Arden nuncupatur, existit, auferre, seu perturbare ulterius præsumatis, & si quid eis præter solitum hoc anno de ipsis decimis negavistis, quascunque etiam ipsorum possessiones per violentiam detinetis, secundum quod antiquitus præfata Ecclesia noscitur possedisse, eisdem Canonicis in integrum restituere omni occasione cessante nullatenus differatis. Nos siquidem religiosi viri non alias decimas nisi eas, quæ de novalibus provenire noscuntur, duximus indulendas. Si vero hujus nostri mandati ausi fueritis existere contemptores, & ad sedis apostolicæ audientiam querimonia pervenerit iterata, timendum vobis erit, ne sentire postmodum debeatis severitatis ecclesiasticæ ultionem.

Sequitur rursus in eodem codice.

Item ex Concilio Ephesino.

Sed & hoc ibidem statutum est de Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & ceteris Clericis, si hereditatem a Domino Rege vel ab aliquo Principe vel amico suo seu per hereditariam sortem sibi devenerit, vel quocunque modo adquisierit, donare eis liceat omnia cuicumque monasterio voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ, ad Ecclesiam quamcunque voluerint, vel suis consanguineis vel amicis. Sin * autem obierint quam firmiter perfererint, altari, cui serviunt, omnia perpetuo sanctificentur, & vivis tradantur.

* ante

Certum est hanc constitutionem non posse esse ullius Concilii Ephesini, & in synodo quadam occidentali posteriorum temporum fuisse conditam. Si quis conjecturæ locus erit, tribendus est hic canon Concilio habito apud Ephesum in Germania anno DCCCCXXXII. Nam caput *Placita* 15. q. 4. tribuebatur olim Concilio Ephesino, cum sit Concilii illius Germanici, ut recte monuerunt Correctores Romani, & nos quoque infra ostendimus. Hunc scrupulum nobis exemit Burchardus, qui in lib. 1. cap. 227. canonem istum refert ex Concilio apud Altheum cap. 37. Nam *Alphesum* scriptum quoque alicubi esse pro *Altheum* monemus infra 31. q. 1. cap. 3. Facile autem est mutare *Alphesum* in *Ephesum*.

Hæc est inscriptio istius capituli in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus etiam usque ad tempora Democharis & Conradi: *Unde Gelasius Papa ait.* Correctores Romani addiderunt: *Episcopis Siciliae epist. 2. cap. 2.* Regino lib. 1. cap. 18. citat simpliciter *ex epistola Gelasii Papæ.* Vide lib. 7. Capitularium cap. 175.

Nescio unde Gratianus acceperit istam regulam editam fuisse in Concilio Varensi. Sic enim omnino legitur in omnibus Gratiani ex-

13. q. 2. c.
1. Facultates.

13. q. 2. c.
15. Præcipiendum.

emplaribus manuscriptis, & in omnibus editionibus. Regino lib. 1. cap. 125. Burchardus lib. 3. cap. 159. & Ivo part. 3. Decreti cap. 222. referunt ex Concilio Nannetensi, ubi exstat. Ceterum de interpretatione istius capituli, in quo nonnulla sunt intellectu difficilia, pluribus actum est in Notis ad Reginonem pag. 558.

13. q. 2. c.
31. Fures.
Primus hunc canonem synodi Triburiensis in epitomen, ut solet, redegit Regino, apud quem exstat lib. 2. cap. 94. Hinc ergo accepit Burchardus, dein Ivo, ex istis vero Gratianus. De auctoritate porro canonum Triburiensium, quæ referuntur apud Reginonem, & tamen non exstant inter vulgatos canones ejusdem synodi, vide præfationem nostram ad Reginonem cap. 10.

14. q. 2. c.
1. Super prudentia.
Hanc Paschalis secundi epistolam, quæ data est Trojæ in Apulia anno MCXV. VI. Kal. Septembris, vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffertius edidit integram inter probationes historiæ monasterii Trenorchiani pag. 372.

14. q. 3. c.
4. Usura.
Citatur hoc caput ex Concilio Agathensi, ubi non exstat. Regino lib. 1. cap. 284. illud describens, non monuit, unde acceptum esset. Heic Burchardus, ne hæsitare sibi aqua videretur, addidit auctoritatem Agathensis Concilii. Et tamen difficile non erat invenire fontem, ex quo Regino derivaverat. Nam cum is paulo ante retulisset quiddam ex primo libro Capitularium, & consequenter istud caput absque nomine auctoris, primum erat intelligere, acceptum esse ex eodem libro primo Capitularium, ubi exstat.

14. q. 4. c.
4. Si quis.
Caput istud citatur ex Concilio Martini Papæ, id est, ex Capitulis Martini Bracharenensis in concilio secundo Bracharensi probatis. De sensu autem, & sententia hujus capituli vide Cujacium ad titulum Decretalium de vita, & honestate Clericorum cap. 2.

14. q. 4. c.
7. Nec hoc quoque.
Jam monuimus ad Reginonem lib. 1. cap. 224. varias esse istius capituli lectiones apud eos, qui illo usi sunt. Vide Halitgarium lib. 4. cap. 34.

14. q. 4. c.
9. Quicumque.
Regino lib. 1. cap. 287. refert ex libro primo Capitularium, ubi exstat. Postea vero Burchardus, cum Decretum suum concinnaret statuissetque secum ne uteretur auctoritate Capitularium, constitutionem illam retulit ad Julium Papam. Hinc ergo decepti sunt Ivo & Gratianus. Hæc si bene semel observata fuerint, facile erit deprehendere fontes plurimorum Gratiani errorum.

14. q. 5. c.
12. Dixit.
Caput istud cum sequenti primus retulit Regino lib. 2. cap. 273. sed in epitomen, ut arbitror, redacta pro more suo. Ex eo deinde descripserunt Burchardus & alii.

14. q. 6. c.
4. Fur autem.
Regino lib. 2. cap. 272. retulit ex dictis Hieronymi ad Titum. Burchardus lib. 11. cap. 55. simpliciter ex dictis Hieronymi, in vulgatis editionibus. Sed in vetere libro manuscripto Dionysii Talonii adnotatum non est, unde sumptus sit hic locus. Ivo part. 13.

Decreti cap. 41. ex Hieronymo tantum.

EXCEPTO CRIMINALI. Id est, negotio, ut adnotat vetus interpres in veteri codice Victorino. Ceterum hæc lectio constans est in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis, & editis. Sed in Concilio Tarraconensi edito a Garfia Loaisa legitur: *exceptis criminalibus negotiis*. Antiqua, & vera lectio exstat in vetustissimo codice manuscripto Ecclesiæ Lugdunensis: *excepto criminalia negotia*. Antiqui dicebant *excepto* per omnes casus; & idem verbum sæpe regebat accusativum; ut adnotavimus ad Reginonem pag. 591. Nihil vulgatus in veteri lege Longobardorum, in lege Wisigothorum, in vetustis exemplaribus Capitularium, apud Marculfum, in Chartulario monasterii Casauriensis, & alibi. Quam rem heic omitimus, quia pluribus, Deo dante, de ea agemus in nostra, quam paramus, editione Capitularium Regum Francorum.

In codice Gratiani Sangermanensi, tum etiam in antiquis editionibus Moguntina, & Veneta, denique apud Democharem & Contium hæc est inscriptio istius capituli: *Item ex concilio apud Ephesum habito præsentem Rege Henrico*. In recentiori Victorino legitur *apud Ephesim*; in antiquiore, *apud Herpister*. In Regio scriptum fuit *apud Exphesum*, sed litera *x* jugulata deinde est. Colbertinus habet *Erphesur*. Legendum esse *Erphesfurt* docet Antonius Augustinus in dialogo tertio libri prioris pag. 30. & patet ex Burchardo, Ivone, & veteri libro Claudii Puteani. Recte ergo emendatum sic est in Romana editione. Aliud decretum ejusdem Concilii Ephesini ex codice Colbertino retulimus pag. 512.

DOMINICIS DIEBUS. Vide Reginonem lib. 1. cap. 376. & Notas nostras pag. 575.

Ivo in Pannormia edita parte 5. cap. III. caput istud refert hoc modo: *Urbanus II. Vapicensi, & Diensi Episcopis*. Sed in codice Victorino ita scriptum vidi: *Urbanus II. Edivensi, Vapicensi, Diensi Episcopis*. Melius antiqua canonum collectio in codice manuscripto monasterii Rivipullensis: *Urbanus II. Ebredunensi, Vapicensi, Diensi Episcopis*.

HUGONI. Sic habent omnes Gratiani codices, uno excepto Sangermanensi, qui *Wigoni* habet. Neque dubito, quin ita reponendum sit, cum eodem modo diserte scriptum viderim in codice Rivipullensi. Nam & in Victorino Pannormiæ libro legitur *Jungoni*. Quod si scripturam illam depravatam revocare studeas in viam, facile invenies scriptum primo fuisse *Uvigoni*: istud vero a librario facile mutatum esse in *Jungoni*. In Victorino porro illo codice, & in Rivipullensi legitur: *prohibere. Quod si sacramenta &c. & juraverunt*. Recte.

FRAGITANUM. In prima appendice Reginonis cap. 31. legitur *Fratiganum*. In antiquis Gratiani exemplaribus Regio, Sangermanensi, & Victorinis, *Fragitanum*. In Col-

15. q. 4. c.
1. Nullus Episcoporum.

15. q. 4. c.
2. Placita.

15. q. 6. c.
5. Juratos.

15. q. 7. c.
1. Sexta actione.

bertino vero, & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta, *Flagitanum*: quam lectionem retinuerunt Demochares, & Contius. Editio Loaisæ habet *Fragitanum*. Sic etiam antiqua canonum collectio Lugdunensis, & vetus liber Claudii Puteani. Ostenderunt autem in hoc capite Correctores Romani quantum sibi licere crediderint.

15. q. 7. c.
4. Felix.

SELEMSELIT. Antiqua Gratiani exemplaria Regium, Sangermanense, Colbertinum, & vetus editio Moguntina legunt *Selensitanus*. Editio Veneta *Selencitanus*. Codices Victorini *Silensitanus*. Demochares, & Contius *Seleucitanus*. Correctores Romani *Selemselitanus*: quo modo scriptum est in antiquo codice MS. Ecclesiæ Urgellensis, in quo sincera Isidori collectio continetur. In antiquissimo codice MS. Ecclesiæ Lugdunensis bis scriptum est: *Felix Episcopus Selemselitanus*. Fortassis Episcopus is erat Sillitanus in provincia Numidiæ; cujus sedis Episcopum fuisse Maximum, regnante Hunerico Rege, reperio in antiqua notitia provinciarum Africæ edita a Sirmondo, & Chiffletio. Sed tamen nihil affirmare ausim.

16. q. 1. c.
10. Interdici-
mus.

Caput istud videtur sumptum ex Concilio Lateranensi Callisti secundi, cum aliquid simile reperiatur inter canones ejusdem Concilii a nobis editos ex veteri codice MS. monasterii Anianensis.

16. q. 1.
c. 25. Sunt
nonnulli.

Decretum istud Bonifacii IV. reperitur integrum in multis codicibus manuscriptis; editum vero est a Luca Holstenio. Constitutum autem fuit in Concilio Romano, cui interfuit Mellitus Episcopus Londinensis, ut docet Beda lib. 2. historię ecclesiasticę gentis Anglorum cap. 4. *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiae de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno octavo imperii Focatis Principis, Indictione decima tertia, tertio die Kalendarum Martiarum.* Item Henricus Huntindoniensis lib. III. *Mellitus Episcopus Londoniæ Romam profectus Concilio Bonifacii Papæ interfuit, in quo de vita & quiete monachorum tractavit. Hic est Bonifacius quartus a Gregorio Papa.* Decretum illud totidem verbis, tacito tamen Bonifacii nomine, descriptum est in canonibus Concilii Nemaufensis ab Urbano secundo celebrati.

16. q. 1.
c. 26. Sic
vive.

Fragmentum est ex epistola divi Hieronymi ad Ruslicum monachum, qui postea Narbonensis Episcopus fuit. Vide quæ de hoc viro dicta a nobis sunt in libro quinto de concordia sacerdotii & imperii cap. 33. ubi descripsimus hunc Hieronymi locum.

16. q. 1.
c. 38. Pres-
byteros.

Recte admonent Correctores Romani, duas esse diversas istius capituli lectiones, quarum una, quam omnia vetera Gratiani exemplaria præferunt, habet *aut admissa clericatus*

militia monasticis non provehantur ordinibus, alia aut ommissa clericatus militia monachis provehantur ordinibus. Postremam lectionem, ut ab eisdem adnotatum est, habent prima Parisiensis editio epistolarum sancti Gregorii & Anselmus Lucentis lib. 7. cap. 163. Discrimen itaque per eas tempestates magnum erat inter Clericos & Monachos, Abbatibus vero non licebat esse Clericos, ut patet ex hoc loco. Singularis istius disciplinæ locus est in Concilio Carthagenensi edito in tomo sexto Spicilegii Dacheriani. Quæstio erat de monasterio quodam provinciæ Byzacenæ, quod Liberatus Episcopus sibi ob eam causam subiectum debere esse dicebat, quia fundatum fuerat a Subdiacono suo Abbate ejusdem monasterii. Negarunt monachi scisse se eum fuisse Subdiaconum. Unde certo colligitur, dimissum ab eo fuisse gradum Subdiaconi, cum in monasterium se abdidit. Hæc sunt monachorum verba pag. 3. *Nec ideo nos eum quia Subdiaconus, sed propterea quia monachus fuit, Abbatem habuimus. Unde etsi forsan alicui Episcopo aliquando Subdiaconus, nobis tamen monachus fuit. Nec nos heredes honoris ecclesiastici, quem eum habuisse nescimus, sed sanctissimæ professionis exitimus.*

Caput istud sumptum est ex Capitulari Caroli Magni ad Salz cap. 3. Refertur autem a Reginone lib. 1. cap. 26.

16. q. 1.
c. 44. Qui-
cunque.

In antiquis Gratiani exemplaribus inscriptio hujus capituli sic habet: *Item ex libro Capitularum Caroli & Ludovici Imperatorum.* Certum est, capita, quæ in libro primo Capitularium leguntur, Caroli Magni debere esse, si ratio habeatur propositi quod Ansegisus susceperat. Itaque ob eam causam necessarium est caput istud referri ad eundem Carolum. Attamen vir eruditissimus Jacobus Sirmondus, cum videret idem caput constituere initium Capitularis, quod a Ludovico Pio editum est anno DCCCXVII. apud Aquisgranum, tum cetera, quæ sequuntur, capita in eodem libro primo esse descripta, pronuntiavit in tomo secundo Conciliorum Gallię pag. 684. Ansegisum immemorem propositi & instituti sui, cum librum illum folius Caroli ecclesiasticis legibus destinasset, has etiam Ludovici filii constitutiones injecisse. Censebat ergo Sirmondus caput istud non esse Caroli sed Ludovici tantum. Sed ego, qui certo scio, caput istud vere esse Caroli, ut alibi ostendam, existimo Ansegisum eo deceptum, quod cum intelligeret illud esse Caroli, cetera, quæ sequebantur, ad eum quoque pertinere putaverit, cum tamen sint ut plurimum folius Ludovici.

16. q. 1.
c. 59. Quia
juxta.

ECCLES. DE DIVID. Ita omnino codex regius, Sangermanensis, & Colbertinus, itemque vetus editio Moguntina. Antiquus codex Victorinus habebat etiam eandem lectionem; sed postea vox *vixis* addita est supra lineam post vocem *ecclesiasticis*. In recentiore Victorino legitur *ecclesiasticis personis*. In anti-
qua

qua

qua editione Veneta, ecclesiasticis officiis, quam lectionem retinuerunt Demochares & Contius. Verum vox officiis non exstat in libris Capitularium, unde sumptum est hoc caput.

16. q. 2.
r. 2. Admonemus.

Quatuor paleæ sequentes non exstant in antiquis Gratiani exemplaribus Sangermanensi, Regio, vetere Victorino, & Colbertino. Habentur tamen in recentiore Victorino, sed absque paleæ nomine.

16. q. 2.
c. 6. Sane quia.

Hæc constitutio condita primum est anno MXCV. in Concilio Claromontano, dein anno sequenti repetita in Nemaufensi. Vide porro additionem nostram ad caput 31. libri sexti de concordia sacerdotii & imperii, ubi canon iste editus & multum illustratus est.

CUM ABB. CONSENSU. Locus iste aliquam habet difficultatem, adeoque silentio prætereundus non est. Etenim heic tota instituenti Presbyteri auctoritas datur Episcopo, Abbati solus consensus. Et tamen in prima parte constitutionis electio Presbyteri sive collocatio, ut synodi verbis utamur, tribuitur monachis, consensus Episcopo, dum præcipitur, ne monachi in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent. Quod prima fronte videtur esse contrarium. Sed controversia isthæc dirimi ita potest, si ratio habeatur usus, quem in Ecclesiam statim invexit hic canon Claromontanus. Certum quippe est, eodem tempore, quo conditus fuit, intellectum de jure præsentationis fuisse quod Abbates deinceps habuerunt in institutione Presbyterorum qui regerent parochiales Ecclesias eorum monasteriis contributas. Testis erit ipsemet Urbanus auctor conditorque canonis, cujus hæc sunt verba ex epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem edita in Bibliotheca Cluniacensi pag. 520. *Liceat quoque vobis seu fratribus in Ecclesiis vestris Presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis vel ab Episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant.* quæ verba haud ita multo post repetita inveniuntur in epistola Paschalis secundi ad eundem Hugonem data pag. 522. Anno deinde MCXI. Lambertus Attrebatensis Episcopus, qui Concilio Claromontano interfuerat, Ecclesie beati Petri de Insula concedens altare de Moncellis, hanc cautionem donationi suæ adjecit apud Ferreolum Locrium in Chronico Belgico pag. 268. *Adiicimus etiam, ut Ecclesia beati Petri per vos Presbyterum idoneum Episcopo Atrebatensi præsentet, qui ei obedientiam promittat, & de vitæ suæ honestate, sicut canonicum est, promissionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncellis gerendam gratis suscipiat.* Biennio post Guillelmus Cadurcorum Episcopus statuens in futurum de Ecclesia sancti Stephani Vairiacensis, quæ tenebatur a monachis Tutelensibus, his, quæ sequuntur, verbis explicavit potestatem Episcopis & Abbatibus datam in canone Claromontano: E-

lectione & providentia Tutelensis Abbatis & monachorum in sæpedita Ecclesia sancti Stephani de Vairiaco sacerdos ponatur; sed nobis præsentetur, a nobis curam suscipiat animarum, nobis obedientiam promittat. Eodem modo canonem postea explicavit Eugenius III. in epistola de privilegiis Majoris monasterii Turonensis data anno MCXLV. *In parochialibus vero Ecclesiis quas teneris Presbyteros eligatis, quibus, si idonei fuerint, Episcopi parochiæ curam committant; ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant.* Apertius Alexander III. anno MCLXXIX. cum privilegia confirmaret monasterii Tornodorensis in tomo quarto Gallie Christianæ pag. 645. *In parochialibus autem Ecclesiis quas teneris liceat vobis sacerdotes eligere, & electos Episcopos repræsentare; quibus, si idonei inventi fuerint, Episcopus &c.* Unde facile colligi potest, verum esse, quod olim observavimus, huic canoni Claromontano imputandam esse originem juris, quo hodie utuntur Abbates, quoties sacerdotia vacant, quibus animarum cura imminet, quæ ab eorum monasteriis pendent. Desinant enim virum huic ministerio, quem Episcopo præsentant. Tum vero Episcopus eum in sacerdotio instituit, si idoneus repertus fuerit. Rursum ea ratione sublata quoque est repugnantia, quæ esse initio videbatur in verbis canonis Claromontani.

Omnes libri manuscripti, & antiqua editio Moguntina legunt: *Item ex Concilio apud Faventiam habito.* Veneta vero, apud Faventiam: quam lectionem secuti sunt Demochares, Contius, & Correctores Romani. Certum est autem, hoc quoque caput ex Urbano secundo citari a Gratiano. Itaque mallem legere apud Placentiam, cum manifestum sit nullum apud Faventiam Concilium celebratum esse ab Urbano. Non exstare enim omnes Placentinæ synodi canones colligi potest ex Bertholdo.

16. q. 2. c.
7. Statuendum.

Certum est, omnia antiqua Gratiani exemplaria, & omnes editiones repetere hoc caput ex decretis Innocentii Papæ. Primus Antonius Demochares admonuit id haberi in cap. 2. Concilii Spalensis. Atque hinc repetit etiam Burchardus. Reprehendit autem heic Gratianum Cujacius ad titulum Decretalium de præscriptionibus cap. 9. *Quia indicante.*

16. q. 3. c.
6. Inter memoratos.

Exstat hoc caput in prima collectione Decretalium lib. 3. tit. 32. ex Gratiano, ut opinor, descriptum. Et tamen vir clarissimus Philippus Labbeus in tomo decimo conciliorum pag. 509. existimat Gratianum ista sumpsisse ex collectione Bernardi Papiensis. Sed hanc ejus opinionem uno verbo destruit Antonius Augustinus in initio præfationis ad antiquas collectiones Decretalium: *Primus post Gratiani collectionem, inquit, Bernardus Circa fuit, Papiensis Præpositus, mox Fa-*

16. q. 7. c.
2. Congregato.

ven-

ventinus Episcopus; qui sub eisdem fere titulis, quibus Gregoriana collectio, qua hodie utimur, constat, Pontificum Maximorum epistulas decretales collegit. Certamen ergo est inter Antonium Augustinum, & Philippum Labbeum.

16. 9. 7. c.
7. Decimas.
Caput istud Regino lib. 1. cap. 49. citat ex libris Capitularium, ubi exstat lib. 5. cap. 46. Burchardo deinde visum illud repetere ex Concilio Mediomatricis, ubi non exstat, ne Capitularium auctoritas alicujus apud eum momenti esse videretur.

16. 9. 7. c.
16. Si quis Clericus.
Correctores Romani non invenerunt fontem istius capituli, quod in fronte dicitur esse Paschalis secundi. Puto autem conditum fuisse anno MCVII. in Concilio Trecensi, cui Paschalis præsedet. Ad hoc vero Concilium pertinere videntur etiam tria capita, quæ sequuntur.

16. 9. 7. c.
32. Decernimus.
QUOD SI SPRETIS. Ita prorsus habetur in antiquis Gratiani exemplaribus, & in aliquot editionibus Concilii Toletani noni, ex quo caput istud descriptum est. In duobus tamen codicibus Vaticanis, ut admonent Correctores Romani, legitur: *Quod si superstiribus*: quæ lectio melior est. Error ortus ex transpositione literarum. Legendum quippe *prestis* pro *spretis*. Atque ita legitur in vetustissima collectione canonum manuscripta in bibliotheca Regia. Immo paulo supra, pro eo quod & vulgaræ Conciliorum editiones, & Gratianus habent *superstites extiterint*, idem vetus codex Regius legit *supprestes extiterint*; antiqua vero canonum collectio Lugdunensis *subprestes*. Quo loco, tamen admonendum est in eadem collectione legi paulo post, nimirum in loco quem heic emendandum suscepimus, *Quod si spretis*. Eadem collectio in epistola Innocentii ad Probum de Fortunio, & Urfa legit: *conventumque secunda mulieris priore subpreste de divortio ejecta nullo pacto posse esse legitimum*. In eodem codice Ecclesiæ Lugdunensis lemma canonis quarti Concilii Toletani quinti sic expressum est: *De his, qui regnum sibi blandiuntur Rege suppreste*. Et canonis XVII. Concilii sexti Toletani: *De his, qui Rege suppreste aut sibi aut aliis adfuturum provident regnum*. Apud Marculfum lib. 2. cap. 3. pro eo quod editiones habent *subperstes fuerit*, antiquissimus codex Regius legit *subpreste*: quo etiam modo emendandum est in plerisque Marculfi locis. Ex eodem fonte ortum est, ut in eodem codice Lugdunensi, pro *superstiriosum*, quæ vox exstat in eodem canone quarto Concilii Toletani quinti, legatur *supprestiriosum*. Et in epistola Vigilii ad Profuturum Episcopum Bracharensem, in capite primo, pro *superstitione*, scriptum est *subprestitutione* in eodem codice. Adeo facilis est error, qui proficiscitur ex transpositione literarum. Contra pro eo quod in initio sermonis LXXIX. sancti Ambrosii legitur *illo spreto atque despecto* in vulgatis editionibus, in vetustissimo

sermonum ejusdem Ambrosii codice Ecclesiæ Lugdunensis habetur *illo sperro atque despecto*. *Prestis* ergo, ut ad emendationem nostram tandem redeamus, & *suppreste* significant *superstitem*. Unde certo colligi debet legendum heic apud Gratianum esse: *Quod si prestis eisdem* &c. id est, *superstitibus*.

Regino lib. 1. cap. 242. hoc caput adfert ex libris Capitularium, ubi repertum est. Burchardus e libris Capitularium, ut solet, in peregrinum solum transtulit, constitutionem illam referens *ex decretis Gregorii Papa cap. V.* Vide Franciscum de Roye ad titulum Decretalium de jure patronatus cap. 1. Ceterum ægre fero, initium istius capituli mutatum esse a Correctoribus Romanis, quamvis mutatum sit in melius. Debuerant enim, quod sæpe dicendum est, emendare Gratianum ad vetera Gratiani exemplaria, emendationes vero ex originalibus, ut vocant, adnotare in margine aut in Notis, ut factum fuerat a Demochare & Contio.

Istud caput sumptum est ex Reginone lib. 1. cap. 242. ubi exstat *iisdem omnino verbis*, nisi quod Gratianus, qui ex Burchardo descripsit, post vocem *consensu* addidit *et consilio Episcopi*. Est autem epitome tantum canonis Triburiensis; quia solemne est Reginoni sic referre canones istius Concilii, uti jam observavimus. Vide clarissimum virum Franciscum de Roye ad titulum Decretalium de jure patronatus cap. 2.

Ivo parte 6. Decreti cap. 428. & vetus collectio canonum MS. in bibliotheca Regia caput istud aliter referunt quam Gratianus, & quidem pleniore sensu. In Pannormia edita Basileæ capituli istius ea inscriptio est: *Calix. III. Hugoni Treverensi, et Theorico Virimensi Episcopis*. In editione autem Lovanienfi lib. 3. cap. 183. *Calix. III. Hugoni Treverensi, et Theorico Verdunensi Episcopis*. Melius in codice Victorino: *Alexander II. Hidoni Fervirensi, et Theodorico*. Ubi tamen legendum *Hudone Frevirensi*, ut in Decreto Ivonis, & in veteri codice MS. Bibliothecæ Regiæ. Vide doctissimum virum Franciscum de Roye in prolegomenis ad tractatum de jure patronatus cap. 31.

Ista etiam ex concilio Triburiensi abbreviavit Regino lib. 2. cap. 37. apud quem *immunitate* legitur pro *emunitate*: quæ est lectio Gratiani. Utraque autem lectio bona est.

Caput istud ex lege Romana recitat Regino lib. 2. cap. 266. Gratianus heic ex Penitentiali Theodori. Sane inter capitula Theodori edita in tomo septimo Spicilegii Dacheriani ista leguntur in cap. 54. *Pecunia Ecclesia furata sive rapta reddatur quadruplum, populari dupliciter*.

Decretum illud Joannis VIII. exstat inter acta Concilii Tricassini secundi, & apud Ivonem parte 3. Decreti cap. 98. datum ad Episcopos, & alios in Hispania, & Gothia provin-

16. 9. 7. c.
35. Considerandum.

15. 9. 7. c.
36. Si plures.

17. 9. 2. c.
1. Gonsalvus.

17. 9. 4. c.
7. Si quis in atrio.

17. 9. 4. c.
16. Pecunia.

17. 9. 4. c.
21. Quisquis.

vinciis degentes, qui libro Gothicæ legis utebantur. Correctores vero Romani monent eandem epistolam in codice manuscripto datam esse ad Episcopos, & Abbates per Narbonensem, & Hispanicas provincias constitutos. Quam inscriptionem ego veriore puto. Nam ista decreta esse constat ad suggestionem Sigebodi Archiepiscopi Narbonensis, cujus auctoritati subjecta erat non solum Gallia Narbonensis, sed etiam ea citerioris Hispaniæ pars, quæ citra Rubricatum habitatur, ut alibi diximus. Eadem dicta etiam est Gothia per eas tempestates, ut supra observatum est. Hispanicam autem provinciam vocat Joannes eam partem Hispaniæ, quia vere erat una ex provinciis Hispanicis, licet tum Francorum imperio pareret. E diverso Gallia Narbonensis, cum in Gothorum Hispaniæ Regum potestate esset, Gallicana provincia ab eis dicebatur.

SACRIL. COMMITTITUR. Hæc non sunt Joannis Papæ, sed Ivonis Carnotensis, aut alicujus vetustioris interpretantis legem Joannis. Istud manifestum est ex verbis Ivonis, qui post relatam Pontificis legem, ista addit: *Huc usque lex Papæ.* Et mox addit: *Sacrilegium enim committitur &c.*

SI QUIS DOMUM. Ista, & quæ sequuntur, non exstant apud Ivonem, sed in collectione, quæ Anselmo Lucensi tribuitur lib. 5. cap. 42. ubi dicuntur esse Joannis octavi.

SI QUI MONAST. Hæc rursus non exstant in loco Ivonis supra relato, licet existent apud eundem parte 3. Decreti cap. 124. & part. 14. cap. 92. & apud Anselmum in eodem lib. 5. cap. 36. ubi refertur ex decretis Joannis Papæ.

In fine epistolæ, prout edita est in tomis Conciliorum, & apud Ivonem, Papa jubet, ut decretum istud addatur libro legis mundanæ, id est, libro legis Gothicæ; ne quis existimet, heic agi de libris Capitularium Caroli Magni, quia constitutionis ejus adversus sacrilegos mentio facta est paulo supra.

Palea ista non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus, quæ nos vidimus, neque in prima editione Moguntina. Exstat tamen in veteri editione Veneta. Regino lib. 2. cap. 43. caput istud retulit ex Concilio Moguntionensi cap. 24. & post ipsum Burchardus lib. 6. cap. 7. Ceterum pro eo quod heic, & apud Burchardum legitur *cum septuaginta duobus juret*, Regino habet *cum duodecim juret*: quam lectionem esse præferendam ostendimus ad Reginonem. Attamen Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 30. cap. 10. existimare videtur, eam lectionem esse meliorem, quam Burchardus, & Ivo, & Palea habent.

ABSQUE SPE CONJUG. Vide Notas ad Reginonem pag. 582.

Hic canon non exstat inter vulgatos canones Concilii Triburiensis. Dubitandum tamen

non est de ejus auctoritate, cum relatus a Reginone sit lib. 1. cap. 333.

Palea hæc non habetur in codice Regio, Sangermanensi, antiquo Victorino, neque in Colbertino, neque demum in prima editione Moguntina. Exstat autem in recentiore Victorino, & in antiqua editione Veneta. Regino lib. 2. cap. 41. caput istud refert ex libris Capitularium. Notavimus autem heic malam fidem, & versutiam Burchardi; qui, ne videretur aliqua accepisse ex libris Capitularium aut ex Reginone, jugulavit, quæ illic dicuntur de Capitulari Caroli Magni. Unde colligi debet, Gratianum ex Burchardo accepisse, cum caput istud referat prout a Burchardo decurtatum est. Fons autem capitis est liber quintus Capitularium. Scio illud hodie reperiri in quarto, sed male. Non exstat enim in multis antiquis libris Capitularium ab Ansegiso collectorum. Repertum vero est in libro quinto, in veteri codice bibliothecæ Regiæ, in Colbertino, & in Rivipullensi. Citatur denique ex hoc libro ab Ivone in Pannormiæ lib. 8. cap. 6. ex libro V. Capitular. cap. XC. (sic enim habetur in Victorino Pannormiæ codice, non autem XX. ut habent editiones) & in antiqua collectione canonum MS. in bibliotheca Regiæ. In regio vero libro Capitularium, & in Rivipullensi positum est numero LXXXV. in libro quinto; & numero LXXXVI. in Colbertino. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 32. cap. 2.

WIREGILDI. Antea legebatur *Renaldus*. Recentior codex Gratiani Victorinus, qui solus habet hanc paleam, legit *Verialdi*. Recte autem admonuerunt Correctores Romani legendum heic esse *Wirigildi*.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus caput istud refertur ex libro quinto Capitularium. Apud Reginonem tamen refertur ex libro 3. cap. 25. ubi etiam exstat. Puto hinc fluxisse errorem apud Gratianum, quod caput *Omnes Presbyteri*, quod re vera est libri quinti, omissum a librario fuerit per incuriam, dum Gratianum exciperet, & sub ea nihilo minus inscriptione positum caput *Qui subdiaconum*. Variæ autem, & admodum diversæ sunt lectiones istius capitis in libris veteribus, ut alibi dicemus.

Capitis istius inscriptio hæc est in omnibus antiquis libris, & editionibus: *Item Innocentius Papa secundus.* Hæc tantum. Correctores Romani addiderunt: *in Concilio Lateranensi cap. 15.* In Concilio Claromontano ejusdem Innocentii ita legitur: *Item placuit, ut, si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericos vel monachos manus injecerit, anathemati subiacent.*

REATUM. In regio Gratiani libro, Sangermanensi, & Victorino recentiore, tum etiam in

17. q. 4. c.
26. Omnes.

17. q. 4. c.
27. Qui
Subdiaconum.

17. q. 4. c.
29. Si quis
suadente.

17. q. 4. c.
24. Qui
Presbyterum.

17. q. 4. c.
25. Ut Presbyteri.

in Colbertino legitur, *sacrilegii vitium incurrit*. Antiquus Victorinus habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel monachum &c. Prima editio Moguntina: sacrilegii crimen incurrit*. Veneta: *vitium vel crimen incurrit*. Admonitio fuit veteris librarii; ut solebant antiquitus duas interdum ejusdem loci varias lectiones simul referre in contextu orationis, lectori arbitrium relinquentes eligendi quam mallet. Quod ita interdum eveniebat. Literarum studiosi cum legerent librum aliquem, & in eo reperirent lectionem, quæ ipsis non satis sana videbatur, nihil mutabant, sed tamen in margine vel supra lineam apponebant lectionem, quam putabant esse præferendam. Post hos librarii, qui codices illos describebant, cum putarent omnia describenda esse, etiam varias illas lectiones uno tenore describebant in contextu. Hic est fons plurimorum erratorum in antiquis libris. Adferri possent multa exempla hujus moris. Sufficiet tamen unicum exemplum prioris usus ex antiquissimo codice manuscripto monasterii Corbejenfis. In fine commonitorii Vincentii Lirinensis vulgo legitur *immoriantur*. At in codice Corbejenfi scriptum est *immorentur*, & in margine *vel immoralantur*. Exemplum emendationis positæ supra lineam habetur in libro septimo epistolarum sancti Gregorii epist. 64. in qua agitur de causa Primatis Byzaceni. In vetustissimo itaque codice Regio scriptum est: *Bizacenus primus fuerat accusatus*. Qui postea libro illo usus est, super voce *primus* addidit *vel primas*. Rursum infra legitur: *Nunc autem iisdem prima*. Heic rursum super voce *prima* repositum est ab eadem manu *vel primas*. Jam si quis hos codices descripsisset, facile erat utramque lectionem reponere in contextu. Itaque ut ad id redeamus, unde digressi sumus, quod heic apud Gratianum in editione Veneta legitur *vitium vel crimen incurrit*, ex more librariorum factum est. Eruditorum deinde est expendere, quænam duarum lectionum præferenda sit. Alterutram ergo istarum retinere debuerant Correctores Romani. Dabant enim collectionem Gratiani, non vero decreta Innocentii secundi.

antiquis Gratiani codicibus, & editionibus: *Item Innocentius secundus*. Correctores Romani addiderunt: *in Concilio Romæ habito c. 26. & 27*. Non exstat autem in Concilio Claromontano Innocentii secundi.

MELIOR. VITAM. Contra Innocentius primus in epistola ad Victorium dixit clericatum esse meliorem gradum comparatione vitæ monasticæ. Quod etiam sensisse Hieronymum facile colligi potest ex epistola ad Rusticum. Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 381. & 501.

In antiquis Gratiani exemplaribus, & in prima editione Moguntina legitur: *Unde Urbanus Papa in Capitulo sancti Ruffi*. Legendum: *Unde Urbanus Papa II. Capitulo sancti Ruffi*. Citat finem istius capituli Stephanus Tornacensis in epistola prima. Viri clarissimi Sammarthani fratres ediderunt epistolam ejusdem Urbani ad Arberium Abbatem, & Capitulum sancti Ruffi, sed multum decurtatam, in qua fortassis exstabat decretum istud. Data est ea Tricastri anno MXCVI. XIII. Kal. Octobris.

Et hoc quoque caput ex Concilio Eduensi refert Stephanus Tornacensis in epistola mox laudata, iisdem omnino verbis; nisi quod verbum *trahendo* apud illum deest, fortassis per incuriam editoris. Videtur autem hoc caput esse breviarium tantum canonis Eduensis, cum in veteri collectione, quæ Anselmo Lucensi tribuitur, ista legantur sub finem libri septimi in codice Barberino: *Ex Concilio Eduensi, cui præfuit Hugo Densis Episcopus Romanæ Ecclesiæ Legatus. Clerici communem, & canonicam vitam professi in nullo monasterio cucullis induantur, vel in aliis Ecclesiis recipiantur, quandiu vigor canonicus in suis locis perstiterit, nisi petantur, & concedantur a Prælatibus, vel ad regimen animarum, vel ad institutionem regularium disciplinarum. Quod si aliter præsumptum, ad Ecclesias suas omnimodis revocentur. Non enim canonicus ordo monastico ordine in aliquo inferior perhibetur*. Ceterum nos alibi, Deo dante, plura dicemus de hoc Eduensi Concilio, edituri etiam Hugonis Densis Episcopi tractatorem ad Archiepiscopum Turonensem, qua eum suffraganeosque ejus evocat ad synodum in Augustodunensi civitate celebrandam IV. Idus Septembris.

Refert rursum hoc caput Stephanus Tornacensis in eadem epistola prima. Vide Innocentium III. lib. 13. epist. 4.

MONAC. EFFIC. Vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montpelienfis ad epistolam illam Innocentii III. quam mox laudavimus, adnotat heic apud Gratianum legi in codice manuscripto Collegii Fuxensis, *monachus efficiatur sine licentia sui Abbatis*. Verum postrema illa verba valde sapiant glosse imperiti hominis, & non sunt omnino hujus loci. Certè non exstant in antiquis Gratiani libris, & editionibus.

19. q. 1. c.
1. Clerici.

19. q. 2. c.
2. Dux sunt.

19. q. 3. c.
1. Nullus Abbas.

19. q. 3. c.
2. Mandamus.

17. q. 4.
6. 33. Uxor.

17. q. 4.
6. 42. Hanc ergo.

18. q. 1. c.
21. Perniciosam.

Caput istud in omnibus Gratiani codicibus manuscriptis, & editis inscribitur Joanni Episcopo Viennensi; nisi quod in vetere Victorino legitur simpliciter: *Idem Johanni Episcopo*. Ivo parte 16. Decreti cap. 77. legit *Vivanensi*. Certum est, nullum ævo Gelasii primi Episcopum Viennæ fuisse Joannem. Nondum vero instituta cathedra episcopalis erat apud Juvavum sive Saltzburgum. Itaque mutanda necessario est inscriptio istius capituli.

Palea ista non habetur in aliquot vetustis Gratiani exemplaribus, neque in prima editione Moguntina. Exstat tamen in antiquo codice Victorino, & in antiqua editione Veneta.

Capitis istius hæc inscriptio est in omnibus

Tom. III.

C c

In

19. q. 3.
c. 3. Statui-
mus.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & in prima editione Moguntina, tum etiam apud Ivonem parte 6. Decreti cap. 411. legitur: *Abbati Sancti Ruffi vel Rufi*. Sola vetus editio Veneta habet *Rufini*. Male. Apud Stephanum Tornacensem in eadem epistola caput istud nullam habet inscriptionem. Illud obiter monendum, verba illa, *ad hæc imperata venia, salva reverentia majorum & gratia*, quæ Italico characterè edita sunt apud Stephanum tanquam e constitutione Urbani secundi, non esse tamen Urbani, sed Stephani Tornacensis, adeoque alio characterè scribenda esse.

SINE PATRIS. Ita legit Stephanus Tornacensis, qui sua accepisse videtur ex Gratiano. In aliquot vetustis legitur, *sine patris, & totius congregationis*. Quod melius est. Nam & apud Ivonem habetur, *sine Abbatis totiusque congregationis*. In antiqua tamen collectione Rivipullensi deest conjunctio, *sine Abbatis totius congregationis*. Sed lemma capiti appositum in eodem codice est istiusmodi: *Quod nulli Canonico citra licentiam Abbatis & Capituli a clauastro discedere liceat*. Vide infra 20. q. 4. cap. 3.

SINE COMM. LIT. CAUT. Hanc formam postea servaverunt Romani Pontifices in privilegiis, quæ concesserunt monasteriis. Obvia sunt istarum rerum innumera fere exempla. Sufficiet unicum ex bulla Lucii III. pro monasterio Montis sancti Quintini, quæ edita est a clarissimo viro Luca Dacherio in Notis ad Guibertum pag. 620. *Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, nisi arctioris religionis obtentu, sine Abbatis sui licentia fas sit de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere*.

20. q. 1.
c. 2. Addi-
distis.

Male omnino Gratianus hoc caput tribuit Gregorio primo, cum sit Gregorii tertii. Vide porro quæ de hoc argumento dicta a nobis sunt in Notis ad Salvianum pag. 420. secundæ editionis.

20. q. 1.
c. 4. Monachum.

Canon est quadragesimus nonus Concilii Toletani quarti in editione Loaisæ. Habitum autem fuit æra DCLXXI. Constitutionem porro istam edicto suo postea renovavit Chindafuintus Rex, quod exstat in libro tertio legis Wisigothorum tit. 5. cap. 3.

21. q. 1.
c. 3. Qui plures.

Verum est, istam constitutionem Leoni quarto tribui in vetustis Gratiani libris. Sed tamen ego puto dubitari posse, an vere sit Leonis quarti. De negotio porro, de quo heic agitur vide Cujacium ad titulum Decretalium de præbendis & dignitatibus cap. 28.

21. q. 2.
c. 4. Sicut.

Caput istud apud Reginonem lib. 1. cap. 243. refertur ex Concilio, ut arbitror, Remensi, unde acceperunt Burchardus, Ivo, & Gratianus. Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 371.

21. q. 2.
c. 5. Præcipimus.

Hæc olim erat inscriptio istius capitis apud Gratianum: *Unde Innocentius secundus*. Cor-

rectores Romani addiderunt: *in synodo Romana c. 10*. Recte, ut opinor; tamenetsi id adnotare debuerant in margine, non vero reponere in contextu Gratiani.

VELATO CAPITE. Argumentum heic sumit Zacharias ex capite undecimo prioris epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios, ubi deturpare caput suum dicitur mulier orans non velato capite. Vide quæ nos infra adnotamus 33. q. 5. cap. 19.

21. q. 4.
c. 3. Episcopi.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 311. hæc tantum habentur in fronte istius capitis: *Ex Cap. id est, ex Capitulis Caroli & Ludovici*. Burchardus lib. 12. cap. 2. *Ex dictis Hieronymi Presbyteri*. Nolebat enim, uti jam frequenter observavimus, uti auctoritate Capitularium Regum nostrorum. Hinc ergo facilis est emendatio Gratiani.

22. q. 1.
c. 12. Habemus.

Ex eodem fortasse fonte orta est falsa inscriptio istius capitis, quod a Burchardo lib. 12. cap. 14. tribuitur Eutychiano Papæ, cum sit Theodulfi Aurelianensis Episcopi, ut recte monent Correctores Romani. Displicebat enim fortassis homini Germano sive Saxoni appellatio Capitularum Gallicanorum, ideoque omnia Capitula Regum & Episcoporum nostrorum repudiabat. De decretis porro Eutychiano tributis plura dicta a nobis sunt in Notis ad Reginonem pag. 579.

22. q. 1.
c. 17. Prædicandum.

Burchardus lib. 12. cap. 25. citat *ex Concilio Hibernensi cap. 1*. Male apud Stevartium in excerptis e Burchardo pag. 690. *Nivernensi*. Inventum est autem nuper hoc caput in antiquissima collectione canonum Hibernensium, unde editum est in tomo nono Spicilegii Dacheriani pag. 23. Ivo parte 12. Decreti cap. 80. & Gratianus referunt *ex Concilio Elibertino cap. 1*.

22. q. 4.
c. 17. Diffinitio.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, apud Reginonem lib. 2. cap. 331. Burchardum lib. 12. cap. 5. in codice Talonii, & Ivonem parte 12. Decreti cap. 62. legitur: *Qui perjurat se &c.* Atque ita semper in antiquis libris Capitularium, ubi-
cunque perjurii mentio est.

22. q. 5.
c. 2. Qui pejerat.

Certum est, clausulam illam, *sicut Gunebodigni faciunt*, additam Gratiano fuisse a Correctoribus Romanis. Non nego, quin ea exstat in Capitulari Aquisgranensi, quod est fons istius capitis. Verum cum non habeatur in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus, addenda illa non erat in contextu orationis, sed in Notis aut in margine. Sane cum a Gratiano, sive potius ab Ivone, ex quo Gratianus descripsit, caput istud citetur ex libro primo Capitularium, manifestum est ignotam Ivoni & Gratiano fuisse eam clausulam, quia non exstat in antiquis libris Ansegisi, quibus addita est a Joanne Tilio ex constitutionibus, ut puto, Caroli Magni editis a Vito Amerbachio. Illud admonere heic debeo, memoriæ lapsu factum esse nuper, ut in Notis ad Reginonem pag. 590. scripserim eam clausulam exstare in veteri codice MS.

22. q. 5.
c. 14. Parvuli.

Ca-

Capitularium monasterii Rivipullensis. Memoria lapsus fuit, ut dixi. Non animadvertendam enim adnotatum a me esse in libro meo edito deesse in codice Rivipullensi XXXI. capita libri primi Capitularium, nimirum a capite XXVII. usque ad LXVI. Gunebodus porro diximus ad Reginonem pagina 590. eos esse, qui Gundobada lege vivebant.

Dux antiquitus fuere istius capituli lectiones. Antiqua, quæ sola vera est, quæque existat in omnibus libris manuscriptis Capitularium, excepto Camberonensi, habet: *in sanctis habet jurare*. Quod Gallice diceremus: *Qui a d jurer*. Hanc lectionem secutus est Ivo Carnotensis in parte 12. Decreti cap. 33. At in capite 69. ubi idem caput describit ex Burchardo, legit *audet pro habet*. Quæ lectio valde mala est. Eam tamen exhibent, ut dixi, vetus Capitularium liber monasterii Camberonensis, Regino lib. 2. cap. 312. Burchardus lib. 12. cap. 12. & Gratianus. Burchardus porro hanc constitutionem pro sua audacia tribuit Papæ Cornelio, quia volebat eam laudare ex libris Capitularium. Burchardus secuti sunt Ivo & Gratianus. Præceptum Caroli Calvi pro Ecclesia Cameracensi editum ab Auberto Miræo in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 37. *excepto dumtaxat stipite, quo Comitibus industria, mallo accersito, justitiam Dei & Regis regaliter habet exhibere*.

Caput istud inventum non est apud Augustinum, sed apud auctorem glossæ ordinariæ, ut movent Correctores Romani. Vide porro quæ nos de hoc argumento diximus in Notis ad Agobardum pag. 43.

GUILISARIUS. Ita omnino libri veteres & editiones Gratiani. Unus Anselmus Lucensis, seu is, qui collectionem, quæ Anselmi esse dicitur, composuit, in optimo codice MS. sancti Germani Parisiensis & in Barberino habet *Vilifarius*, quod propius accedit ad *Belisarius*. Anselmo antiquior Anastasius Bibliothecarius in vita Silverii fere semper scribit *Vilifarium*, rarissime *Belisarium*, non solum in editionibus, sed etiam in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Ex Belisario itaque factus est Vilifarius, ex Vilifario Guilifarius. Idem Anselmus utrobique habet *palatium Pincis* pro eo quod Gratianus in vetustis codicibus & editionibus constanter habet *palatium Principis*. Pinciani palatii mentio est apud Anastasium in vita Silverii. Quamquam non est magnum operæ pretium de re ista certare, cum manifestum sit caput istud sumptum esse ex supposititia Silverii Papæ epistola, quam illustrissimus Cardinalis Baronius repudiavit ut falsam.

Sumptum est hoc caput ex Concilio Bracharensi primo. Citatur etiam ab Halitgario lib. 4. cap. 6. Reginone lib. 2. cap. 92. Burchardo lib. 19. cap. 130. & in Additione IV. Capitularium cap. 60. Vide etiam lib. 6. Capitularium cap. 70. & lib. 7. cap. 344.

Ivo parte 10. Decreti cap. 54. & vetus liber Claudii Puteani paulo aliter hoc caput referunt, quam existat apud Gratianum. In veteribus Gratiani libris, & editionibus inscribitur Gotifredo, vel Godefrido Episcopo Luciano. De sensu autem istius capituli videndus omnino Marca in libro quarto de concordia cap. 14. §. 3.

Caput istud non reperitur in regio Gratiani codice, neque in Sangermanensi, neque in antiquo Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino & in Colbertino, tum etiam in antiquis editionibus, ubi refertur ex Concilio Guarmaciensi seu Wormaciensi, ubi hodie legitur. Attamen observandum heic est, primum ejus auctorem esse Carolum Magnum, ex cujus Capitularibus citatur a Reginone lib. 1. cap. 24. Vide porro quæ nos illic adnotavimus pag. 545. Vide etiam Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 3. tit. 34. cap. 1.

Caput est 18. Concilii Lateranensis ab Innocentio secundo celebrati, ut adnotant Correctores Romani. Repertum etiam est in fine Concilii, quod idem Pontifex habuit apud Clarum montem in initiis sui pontificatus. Hæc ibi diversa sunt a vulgaris canonibus synodi Lateranensis: *omnimodis laborandum, ignes apposuerit. Et si in hoc mortuus fuerit*.

IN HISPANIA. Nimirum in servitio Dei, ut loquitur canon, hoc est, pugnando adversum Sarracenos, qui tum Hispaniæ incubabant, adversus quos propterea institutum erat bellum sacrum. Hispanicum enim illud iter non erat simplex peregrinatio religionis ergo, ut diximus in Notis ad Concilium Lateranense Callisti secundi.

Certum est inscriptionem istius capituli corruptam esse in omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis, & editis. Recte autem, ut opinor, apud Ivonem parte 14. Decreti cap. 57. legitur: *Guillelmo Marcioni*. In Pannormiæ editionibus lib. 5. cap. 135. legitur ut apud Gratianum: *Alexander II. Valeriano Episcopo, & martyri*. Pro quo in optimo Pannormiæ codice Victorino habetur, *Willemo Martinioni*. Quærendum itaque deinceps erit, quis fuerit ille Marchio Willermus.

Hoc caput mirifice, ut solet, illustrat illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca in libro quarto de concordia cap. 6. §. 3. & cap. 8. §. 7.

Olim duæ fuere istius capituli diversæ editiones. Una, quæ sola bona est, habuit *remedium non differetur*. Altera, quæ bona non est, negationem adjectam non habet. Illam tamen, præter auctores a nobis alibi laudatos, sequitur vetus canonum collector editus in tomo undecimo Spicilegii Dacheriani lib. 2. cap. 65. itemque Hincmarus in opusculo LV. capitulorum cap. 24. Vide Notas ad Reginonem pag. 557.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus, itemque apud Democharem,

23. 9. 5.
c. 47. Excommunicatorum.

23. 9. 8.
c. 25. Sanctum.

23. 9. 8. c.
32. Pestimam.

24. 9. 1. c.
4. Audivimus.

24. 9. 1. c.
5. Manet.

24. 9. 2. c.
1. De communionem.

24. 9. 3. c.
18. Ecce autem.

22. 9. 5.
c. 16. Honestum.

23. 9. 4.
c. 17. Infideles.

23. 9. 4.
c. 30. Guilifarius.

23. 9. 5.
c. 12. Placuit.

rem, & Contium, hæc tantum habentur in titulo: *Idem Prosper*. Correctores Romani addiderunt: *libro secundo de vita contemplativa cap. 7*. Certum est, tributos olim Prospero fuisse libros tres de vita contemplativa, qui inter ejus opera edi solent, ejusque nomine a Gratiano passim, & ab aliis citari solent. Verum recte observatum est ab eruditissimo viro Jacobo Sirmondo in tomo secundo Conciliorum Galliarum pag. 683. illos non esse Prosperi, sed Juliani Pomerii Abbatis Arelatensis. Vide infra dist. 1. de poenit. cap. 31. Porro illi,

14. 9. 3.
c. 22. Quis-
quis.

Burchardi editiones lib. 10. cap. 65. referunt hoc caput ex Concilio Tungrensi, in codice autem Talonico ex Targrensi Concilio. Ivo parte 13. Decreti cap. 65. ex Concilio Tungrensi, ut apud Burchardum editum.

CHRISTUM DOMINI, Id est, Episcopum, ut statim dicitur. Res postulare videtur ut heic captata occasione, explicem locum quendam sancti Hilarii, quod in ejus interpretatione lapsus esse videatur vir eruditissimus. Verba Hilarii sunt ex libro contra Constantinum Augustum jam vita defunctum: *Quot tu deinde in Ecclesiam Tolosanam exercuisti favores? Clerici sustibus cæsi, Diacones plumbe elisi, & in ipsum, ut sanctissimi mecum intelligunt, in ipsum Christum manus missa*. Heic vir doctissimus per Christum intelligit imaginem crucifixi, cum de Rhodanio Tolosano Episcopo intelligi debeat hic locus, qui propterea missus est in exilium, quod Arrianis esset contrarius, ut omnes norunt paulo versati in historia illorum temporum.

24. 9. 3.
c. 23. Si
quis.

Correctores Romani non indicaverunt fontem istius capituli, quod sumptum est ex Concilio Lateranensi Callisti secundi.

24. 9. 3. c.
24. Paternarum.

Inscriptio istius capituli hæc est: *Item Urbanus Papa*. Antonius Augustinus in dialogo quinto libri posterioris scribit, vidisse se veterem codicem, in quo caput illud adscriptum erat Urbano secundo. Ego puto, esse canonem Concilii Claromontani, cujus epitome a nobis olim edita est cum aliquot canonibus ejusdem synodi. In epitome illa, quæ continet velut narrationem quandam rerum in hæc synodo gestarum, ista leguntur in capite octavo: *Item etiam expeditio facta est, & constituta est equitum, & peditum ad Hierusalem, & alias Asiæ Ecclesias a Sarracenorum potestate eruendas. Et in eorum bonis usque ad reditum pax continua promulgata*. Nisi forsitan tuitio ista personarum ecclesiasticarum, & peregrinorum distinguatur a tuitione, quæ concessa est euntibus ad bellum sacrum,

24. 9. 3.
c. 25. Illi
qui.

In decretis Nicolai secundi, quæ nondum in lucem prodierunt, hæc leguntur in ipso statim initio: *Ut pax, & tregua Domini a fidelibus Christianis reperta, & laudata, sicut scriptura habentur, ita firmiter teneantur. Infractores vero anathemate feriuntur*.

Hinc ergo patet, caput istud esse Nicolai secundi. Et vero non posse esse alterius Nicolai, hinc manifestissime colligitur, quod illic agatur de tregua, & pace, quæ istius tantum Nicolai sæculo reperta est, Nicolai primi ævo audita nondum fuerat.

24. 9. 3. c.
39. Quis-
dam.

Enumerat in hoc capite Gratianus antiquas hæreticorum sectas, Isidorum, ut ipse fateatur, describens. In nonnullis porro paragraphis Græce hodie leguntur aliqua vocabula, quæ in antiquis Gratiani exemplaribus Latine scripta sunt. Primus omnium Demochares Græcos characteres miscuit cum Latinis Gratiani. Joannes deinde Quintinus, cum hunc catalogum ex Gratiano descriptum ederet, tum Contius, denique Correctores Romani, Demochari quam Gratiano similes se esse maluerunt. Ego vero, qui omnino puto, Gratianum in summos quidem Græcæ linguæ apices novisse, censo retinendam fuisse Latinitatem Gratiani; id est, nihil apud illum emendandum nisi ex fide veterum Gratiani exemplarium, nævos quin etiam, errorefque viri retinendos in editione emendatissima.

25. 9. 1. c.
7. Contra.

Mirum non est, Correctores Romanos non invenisse epistolam, ex qua sumptum est hoc caput. Nondum enim exierat in lucem. Eam postea edidit illustrissimus Cardinalis Baronius, & post eum Sirmondus in tomo primo Conciliorum Galliarum. Incipit autem: *Multa contra veterem formam &c.*

Sumptum est istud ex Concilio Toletano quarto. Sed multo melius editus est hic canon apud Reginonem lib. 2. cap. 352.

26. 9. 5. c.
5. Si quis
Episc.

Exstat apud Reginonem lib. 2. cap. 364. absque inscriptione. Burchardus lib. 10. cap. 1. primus illud tribuit Concilio Ancyrano, prorsus male. Vide Antonium Augustinum in dialogo 14. libri prioris, & Notas nostras ad Reginonem pag. 592.

26. 9. 5. c.
12. Episco-
pi.

Codices Regius, Sangermanensis, recentior Victorinus, & antiqua editio Veneta sic habent in fronte istius capituli: *Item Cyprianus ad Pomponium de virginitate*. Antiquus Victorinus, *ad Pompinium*. Prima editio Moguntina, *ad Pompinium*. Male. Sed omnium pessime Colbertinus: *Item Cyprianus ad populum*. Recte alii, *ad Pomponium*. Epistola est sexagesima secunda Cypriani. Porro Demochares, & Contius in inscriptione istius capituli retinuerunt *de virginitate*, & in margine admonuerunt legendum esse *de virginibus*. Eam emendationem Romani Correctores reposuerunt in contextu Gratiani.

27. 9. 1.
c. 4. Nec a-
liqua.

MANUS OBSTETRICUM. Rigaltius in observatione ad hunc Cypriani locum: *Turpe negotium, & nimium curiosis digitis, inter obstetricum manus virginitas occiditur*. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de frigidis, & maleficiatis cap. 6. *Fraternitatis*.

ZELI DOLOREM. Ita in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus, & in aliquot etiam Cypriani editionibus. Rigaltius tamen fretus auctoritate codicis Veronensis

ma-

maluit, *zeli livorem*, itaque reposuit in sua editione.

27. 9. 1. c. 15. Impudicas. Hujus capituli, prout legitur apud Burchardum, & Gratianum, fons, & origo est Regino lib. 2. cap. 164. ut ostendimus in præfatione nostra ad Reginonem cap. 17.

ABRUPTUM. Certum est, hanc emendationem esse optimam, & ita etiam legi apud Burchardum lib. 8. cap. 29. in editionibus. Attamen in codice Talonii legitur *arbitrium*. Hinc ergo sumpsit Gratianus, apud quem constanter in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus ante Romanam legitur *arbitrium*. Unde colligi certo debet, ita omnino scripsisse Gratianum, neque mutari debuisse.

27. 9. 1. c. 15. Pervenit. Istud caput Gratianus accepisse videtur ex Reginone, cum non reperiatur apud ceteros collectores Gratiano antiquiores. Apud Reginonem porro lib. 2. cap. 165. refertur *ex epistola Gregorii Papæ*. Hinc Gratianus simpliciter: *Item Gregorius*. Putavit Demochares invenisse se hunc locum in epistola nona libri octavi sancti Gregorii ad Marianum sive Marinianum. Verum recte monuerunt Correctores Romani, caput hoc vel ex alia epistola acceptum esse, vel in eo multa esse immutata. Solet autem aliquoties Regino abbreviare veterum loca, quæ ab eo referuntur.

27. 9. 1. c. 38. Viduæ fi. Caput istud non exstat in codice Sangermanensi, neque in Colbertino, neque demum in Victorino vetere. In Regio autem, ubi exstat, hanc habet inscriptionem: *Item ex Concilio Toletano III. cap. X.*

27. 9. 2. c. 4. Omnis. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 5. tit. 37. cap. 1.

27. 9. 2. c. 13. Additur. Istud quoque caput accepisse videtur Gratianus ex Reginone, apud quem exstat lib. 2. cap. 107. sub finem.

27. 9. 2. c. 18. Lex divinæ. Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 2. cap. 1.

24. 9. 2. c. 20. Mul-torum. Jungendum est istud caput cum capite primo distinctionis 31. *Ante triennium*. Abrogat autem Gregorius Pelagii decessoris sui constitutionem de uxoribus Subdiaconorum, unde collegit Erasmus in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios, Pelagium, & Gregorium Romanos Pontifices diversa, & invicem pugnancia statuisse de hipodiconorum abstinentia ab uxoribus.

27. 9. 2. c. 21. Agathosa. In prima appendice Reginonis cap. 51. refertur *ex reg. par. 1. cap. 180. ad Adriam Notarium Panormi*. Apud Burchardum lib. 9. cap. 48. *ex reg. Greg. ad Adriam Notarium cap. 80*. Sed in codice Talonii legitur: *Ex reg. Gg. ad Adrianum Notarium cap. LXXX.*

27. 9. 2. c. 26. Scripsit. Caput istud a Reginone lib. 2. cap. 113. refertur paulo aliter, quam heic habetur expressum. Ex Reginone descripsit Burchardus lib. 9. cap. 49.

27. 9. 2. c. 29. Quod autem. Burchardus lib. 9. cap. 40. & post eum I-

vo parte 8. Decreti cap. 178. citant ex epistola Gregorii ad Joannem Ravennatem Episcopum. Nescio autem quo modo factum sit, ut Correctores Romani in hoc loco admonuerint in Pannormia exprimi nomen Gregorii junioris. Nam in duabus Pannormiæ editionibus Basileensi, & Lovaniensi, in loco a Correctoribus adnotato, id est, lib. 6. cap. 115. ita omnino inscriptum est hoc caput: *Ex epistola Gregorii ad Johannem Ravennatem Episcopum*. In Victorino vero Pannormiæ codice: *Ex epistola Gregorii ad Johannem Ravennatem Episcopum*. Fieri potest, ut decepti illi fuerint inscriptione capituli 78. octavæ partis Decreti ejusdem Ivonis, quæ ita habet: *Gregorius junior Bonifacio Episcopo. Quod proposuisti &c.* Gratianus heic retulit ex epistola Gregorii ad Venerium Episcopum Calaritanum. Utrique male. Est enim ex epistola Rhabani ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensis, ut ostendimus nuper in capite undecimo præfationis nostræ ad eandem epistolam. Ex epistola porro illa citat Regino lib. 2. cap. 242. Vide infra 33. q. 1. c. 1. *Quod autem.*

Regino lib. 2. cap. 215. refert hoc caput *ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pipini*, in quo inventum est. Mos autem fuit Burchardo mutare ut plurimum inscriptiones capitulum, quæ descripsit ex Reginone. Itaque lib. 17. cap. 3. istud retulit *ex Concilio Aurelianensi cap. 6.* in editis, *cap. VIII.* in codice Talonico. Burchardum secuti sunt, ut solent, Ivo & Gratianus.

Regino lib. 2. cap. 217. istud quoque caput refert *ex Concilio apud Vermeriam temporibus Pipini*, ubi hodie non exstat, sed in Compendiensi. Fieri potest ut canones horum Conciliorum in eodem libro descripti fuerint, sic ut Vermeriense, quod tempore prius erat, priore loco descriptum esset, Compendiense sequeretur, Reginonem vero non semper intentum fuisse ad distinctionem harum synodorum. Fieri etiam potest, ut ea tempestate exstarent canones multo plures Concilii Vermeriensis, quam nunc exstant, eos porro fortean dein repetitos, in Compendiensi. Burchardus & post eum alii referunt *ex Concilio Triburiensi*.

Regino lib. 2. cap. 156. laudat hunc locum *ex libro primo Capitularium*, ubi exstat. Burchardus, cui Capitularium Regum nostrorum auctoritas in fastidium versa erat, citavit *ex Concilio Toletano*, ubi non exstat. Vide Notas Correctorum Romanorum.

Vide Antonium Augustinum in Notis ad primam Collectionem Decretalium lib. 4. tit. 4. cap. 1.

Caput hoc in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus citatur *ex Concilio Urbanensi*, vel *Urbanensi*. In veteri collectione canonum, quæ fuit Claudii Puteani, *ex Concilio Urbanensi VI.* Cum ergo hæc constitutio reperiatur in canone sexto Concilii Arvernensis, mihi dubium non est, quia

27. 9. 2. c. 30. Qui dormierit.

27. 9. 2. c. 32. Si quis sponsam.

27. 9. 2. c. 34. Statutum est.

27. 9. 2. c. 51. Duobus modis.

28. 9. 1. c. 17. Si quis Judaicæ.

quin hinc emendanda sit inscriptio istius capituli.

28. q. 2.
c. 2. Si infidelis.

Citat hoc caput Innocentius III. lib. 2. epist. 50. ad Episcopum Ferrariensem, ex quo sumptum est caput *Quanto*, de divortiiis.

29. q. 2.
c. 4. Si quis ingenuus.

Regino lib. 2. cap. 119. citat etiam ex Concilio Vermeriensis, ubi exstat. Sed apud ipsum, uti nec in Concilio ipso, non exstat sequens clausula, quæ videtur esse tantum interpretatio superioris partis: *Si autem ancillam eam scierat, & collaudaverat, prout legitimam eam habeat.* Solus Burchardus habet hanc clausulam. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de divortiiis, cap. 1.

29. q. 2.
c. 7. Perlatum.

Refertur a Reginone lib. 2. cap. 203. ubi defunt hæ duæ voces, *quæsitum est*, quas Romani Correctores abesse scribunt a ceteris collectoribus præter Magistrum sententiarum.

30. q. 1.
c. 1. Pervenit.

Vide Cujacium ad titulum Decretalium de cognatione spiritali cap. 4. *Maritum*.

30. q. 1.
c. 2. Si quis filiastr.

Regino lib. 2. cap. 218. citat ex Concilio ad Vermeriam. In fine vero hæc adduntur: *Similiter & mulier.*

30. q. 1.
c. 5. De eo quod.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 196. hoc caput adscribitur Rhabano in epistola ad Heribaldum, unde sumptum esse, & corruptum a Burchardo pluribus ostensum est in capite decimo præfationis nostræ ad eam epistolam.

30. q. 1.
c. 7. Ad limina.

In omnibus vetustis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur *Limozina* vel *Lemozina*, nisi quod prima editio Moguntina habet *Lemovisine*. Vetus quoque codex monasterii Rivipullensis, & Anselmus lib. 10. cap. 30. legunt *Lemozina*. Citat hoc caput Stephanus Tornacensis in epistola quinta, ex Gratiano, ut verisimile est. Ceterum Anselmus Lemovicensis Episcopus, ad quem scripta est epistola illa, synodum suam plenam habuit Lemovicis civitate an. DCCCXCVII. ordinationis suæ anno XXVIII. ut patet ex charta edita a clarissimo viro Christophoro Justello in probationibus historiæ Vicecomitum Turenensium pag. 14. Unde colligitur factum illum fuisse Episcopum anno DCCCLXIX. Sane in Chartulario Ecclesiæ Lemovicensis exstat quædam charta Frotarii Militis data anno DCCCLXXI. Indictione IV. regnante Holdovico Rege filio Caroli Regis in Equitanorum regno anno V. in qua Anselmus Episcopus nominatur.

30. q. 3.
c. 2. Pita-
cium.

Epistolam Zachariæ Romani Pontificis ad Theodorum Episcopum Ticinensem, cujus major pars heic & apud ceteros collectores habetur, nos edidimus integram in appendice actorum veterum, quæ adjecta est post Notas ad Reginonem.

30. q. 3.
c. 4. Super
quibus.

Supra 1. q. 5. cap. 2. *Eos qui*. monuimus hanc epistolam vere scriptam videri ad Vitalem Presbyterum Brixensem, tamenetsi nonnulli antiqui codices Brivensem vocent.

30. q. 4.
c. 5. Post
uxoris.

Correctores Romani 30. q. 3. c. 5. adnotant, epistolam Paschalis secundi, ex qua sumptum est hoc caput, haberi integram in collectione Anselmi Lucensis lib. 10. cap. 34.

Quod verum est. Nam exstat in codice Barberino. Sed deest in libro vetere monasterii sancti Germani de Pratis. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de cognatione spiritali cap. 4. *Maritum*.

Sumptum est hoc caput ex eadem Urbani secundi epistola, ex qua diximus sumpta esse caput *Eos qui*. 1. q. 5. c. 2. & caput *Super quibus*. 30. q. 3. c. 4.

30. q. 4.
c. 6. Quod
autem.

Refertur hic canon a Reginone lib. 2. cap. 153. Vide porro quæ ad explicationem ejus nos illic diximus pag. 585. & 657.

30. q. 5.
c. 5. Spon-
sus.

PARANYMPHIS. Paranympsi sunt (ut ait Cujacius ad titulum Decretalium de clandestina desponsatione) qui adfident novæ nuptæ, donec eam sacerdoti benedicendam obtulerint, & deduxerint in domum viri, Quæ tamen omnia si non intervenerint, non ideo matrimonium ullum vitium incurrit.

Correctores Romani adnotant, apud Augustinum, unde sumptum est hoc caput, legi: *feri verum connubium non potest.* Atque hanc lectionem adversus Gratianum confirmat Cujacius ad titulum Decretalium de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium cap. 1.

31. q. 1.
c. 2. Deni-
que.

Capitis istius inscriptio in codice Sangermanensi hæc est: *Unde in Concilio apud Alpheum habito Rege statutum est cap. VI.* In regio & in recentiore Victorino: *Unde in Concilio apud Alpheum habito præfente Corrado Rege statutum est capitulo IV.* In Victorino vetere: *Unde in Conciliis apud Alpheum habitis præf. R. Corrado statutum est cap. VI.* In Colbertino: *Unde in Conciliis apud Alfenum habitis præf. Corrado Rege statutum est cap. VI.* Prima editio Moguntina: *Unde in Conciliis apud Alphenum habitis præfente Corrado statutum est cap. VI.* Veneta: *Unde in Concilio apud Alphenum habito præfente Rege Corrado statutum est capitulo VI.* Burchardus lib. 9. cap. 34. in codice Dionysii Talonii: *Ex Concilio apud Alpheum habito præfente Kuonrado Rege cap. V.* Ita etiam Ivo parte 8. Decreti cap. 211. & in Pannormia lib. 7. cap. 10. In veteri tamen collectione canonum MS. in bibliotheca Regia hoc decretum tribuitur Concilio Augustidunensi.

31. q. 1.
c. 3. Illud
vero.

NOLUMUS ENIM. Hanc regulam postea in usum miserunt Romani Pontifices Hadrianus IV. & Alexander III. in causa Gaufridi Comitis Ruscinonensis, qui adulteram pertinaciter retinebat, uti adnotatum a nobis est in appendice synopsis Conciliorum R. P. Philippi Labbei pag. 383.

Regino lib. 2. cap. 237. caput istud simpliciter retulit ex Concilio Triburiensi. Adnotant vero Correctores Romani, sententiam hujus capituli haberi in canone quadragesimo ejusdem Concilii, sed cum Burchardus hoc citer ex capite tertio, videri alterius esse quod desideratur. Non animadverterunt viri doctissimi, magnam in hoc fuisse audaciam Burchardi, qui &

31. q. 1.
c. 4. Rela-
tum.

capitulum inscriptiones persæpe propria temeritate mutavit, & numeros de suo addidit. Nam quod ad caput istud spectat, manifestum est descriptum a Burchardo fuisse ex Reginone, qui canonem Triburientem, ut solet, in compendium redegit.

31. 9. 1.
c. 6. Si qua
mulier.

Hæc palea non habetur in antiquis Gratiani exemplaribus Regio, vetere Victorino, & Colbertino. Exstat tamen in Sangermanensi cum hoc titulo: *Item ex Concilio apud Vermerias*. In recentiore Victorino: *Item ex Concilio Elibertano apud Vermerias*. Quo etiam modo legitur in antiqua editio Veneta, tum etiam apud Democharem & Contium, qui in margine adnotavit, caput istud deesse in veteri codice. In prima editione Moguntina hæc tantum habentur: *Ex Concilio Elibertano*. Vide Regionem lib. 2. cap. 118. & Antonium Augustinum in Notis ad primam collectionem Decretalium lib. 4. tit. 20. cap. 1. Adnotavit in hoc loco Antonius Augustinus, caput istud alicubi peti ex Concilio apud Vermerias, alibi vero sumptum dici ex Concilio apud Warmaciam vel Wormaciam. Cujacius vero ad titulum Decretalium de divortii cap. 1. volens tollere difficultatem, quæ heic remorari posset lectores istarum rerum curiosos, adnotavit nihil referre Vermeriam scribas an Wormaciam; utroque enim nomine eundem locum significari. Præstat autem ponere ipsa ejus verba: *Et ut hoc admoveam, quo cœcutiunt multi, nihil refert Vermeriam scribas an Wormaciam. Utrouque nomine Vangionum civitas cognominatur, ubi & Pipinum habuisse Concilium fere omnes historici narrant*. Verum est Wormaciam esse civitatem Vangionum, in Germania superiori, vulgo hodie Worms. At Vermeria, sive Vermeriacum, fuit palatium regium in Gallia, haud procul Compendio in diocesi Suesionensi. Hodie locus ille vocatur Verberie & contractus Verberi. Itaque magnum discrimen est inter hæc duo nomina, immensum spatium inter hæc duo loca.

31. 9. 2.
c. 1. Si ve-
rum.

In omnibus Gratiani exemplaribus manuscriptis & editis, etiam apud Democharem, Contium, & Correctores Romanos, hæc tantum habentur in titulo istius capituli: *Item iudicium Urbani Papæ*. Ivo parte 8. Decreti cap. 23. & in Pannormia lib. 6. cap. 108. addit: *de filia Jordani Principis*. Quo etiam modo legitur in veteri canonum collectione MS. in bibliotheca Regia.

RODELL. Apud Ivonem, & in veteri illa collectione bibliothecæ Regiæ scriptum di-

ferre est *Ridelli*; quæ est vera lectio. Notissimum per eas tempestates nomen in Gallia Narbonensi.

OSTENDITUR. Ibidem utrobique legitur ostendetur: quod melius est.

In libris Gratiani regio, & Sangermanensi, tum etiam in prima editione Moguntina, legitur: *Item Sanctio Regi Aragonum*. Alii codices manuscripti, & editio Veneta, *Sacrato* vel *Sacratio*. Ivo parte 8. Decreti cap. 24. *Satino*. In Pannormia edita Lovanii lib. 6. cap. 109. *Item Sanctio Regi Aragonum*. In editione Sebastiani Brant: *Item Sacratio Regi Aragonum*. In Victorino vero Pannormiæ codice: *Urbis Sancio Aragonum*. Refert hoc caput Hildebertus in epistola 42. sed absque titulo. Recte in libro Cæsaraugustano, ut admonet Antonius Augustinus in dialogo quinto libri prioris, scriptum erat: *Urbanus secundus Sanctio Regi Aragonum*.

31. 9. 2.
c. 3. De ne-
ptis.

ALTERUM DUXIT. Ita vetus editio Veneta. Sed prima Moguntina, itemque veteres codices Sangermanensis, Colbertinus, & recentior Victorinus habent *ducit*. Ubi glossa interlinearis in antiquo codice Victorino ponit: *id est, ducere vult*. Editiones Democharis, & Contii habent: *& alterum maritum duxit*. Codex regius, & antiquior Victorinus: *& adulterum ducit*: quam lectionem, tamenetsi prorsus malam, censeo retinendam apud Gratianum, quia is accepisse videtur ex Burchardo. Burchardus autem ex Reginone fideliter exscripserat, uti diximus in capite XVI. præfationis nostræ ad Reginonem. Nam apud Burch. lib. 9. c. 63. legitur *adulterum ducit* in editionibus, & in libro Talonico.

32. 9. 7.
c. 8. Fide-
lis.

Probabile est istum canonem esse Concilii Compendiense, quod sub Pipino Rege celebratum est, licet aliis illic verbis referatur. Hæc sunt verba canonis octavi Compendiense apud Sirmondum: *Si quis homo habet mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa fœmina, qui adulterium perpetrarunt, interim quo vivunt, nunquam habeant conjugium. Ille, cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere aliam*. Brevius Regino lib. 2. cap. 216. *Si quis cum uxore fratris sui dormierit, adulter, & mœcha diebus vitæ suæ absque conjugio maneant. Ille vero, cui uxor fuit, si vult, aliam conjugem accipiat*. Burchardus lib. 17. cap. 17. refert ex Concilio Triburienti cap. 12. iisdem omnino verbis, quibus a Reginone relatam erat ex Concilio Vermerienti (f).

32. 9. 7.
c. 19. Quæ-
dam.

Pri-

(f) Nunquam fieri cum possit in Ecclesia Christi, ut uno vivente Coniuge, quomodocumque fugitioso, alter utramque innocens ad alias transeat nuptias, si valide primum Matrimonium fuerat celebratum ut iam superius in Nota (45) adversus Maftrichtium observatum est; hinc necesse est, quod Canon iste, cuilibet tandem synodo accenseatur, in eo exponatur sensu, quem, eidem in emendato Gratiani Codice per Correctores Romanos ascriptum invenimus. Nempe quod nunquam Frater, vel Fœmina, qui adulterium perpetrarunt, conjugium inire possint, etiam post Mariti obitum. Mortua vero adultera muliere, Maritus possit cum altera Matrimonium inire. Si autem ita intelligendus esset Canon ille, ut innocens Coniux possit repellere uxorem incestuoso adulterio pollutam, & altera illico ducere, jam Ecclesiæ Doctrinæ in præcitata observatione indicatæ Canon ille refragaretur. W.

32. q. 7. c. 20. Si quis viduam.

32. q. 7. c. 21. Qui dormierit.

32. q. 7. c. 23. Concubuit.

Primus omnium Rhabanus caput istud citavit ex Concilio Mogontiensi in epistola ad Heribaldum cap. 20. ex quo Regino descripsit lib. 2. cap. 197. Repertum est in eodem capite 26. Concilii Moguntini sub Rhabano, ex quo ipse Rhabanus citat. Vide rursus Reginonem lib. 2. cap. 225.

Exstat in Concilio Vermeriensi cap. 12. & hinc apud Reginonem lib. 2. cap. 215.

Certum est caput istud a Gratiano tributum esse Zachariæ Romano Pontifici: id quod & antiqua exemplaria manuscripta, & veteres editiones probant. Unde vero ita accepit Gratianus, non video. Burchardus enim lib. 9. cap. 5. citat ex Pœnitentiali Romano: quod magis placet. Nam & stilus ipse non est epistolaris, & præterea non convenit dignitati pontificiæ.

CONCUBUISTI. *Scienter*, ut ait glossa interlinearis in antiquis Gratiani exemplaribus Victorino vetere, & Sangermanensi. Quamquam quid opus erat istud adnotare, cum fieri vix possit, ut quis insciens forori commisceatur uxoris suæ? Quod si tamen contingeret, scelus vero illud nullo is unquam tempore intelligeret a se perpetratum, hæud dubie pœna teneri non posset, quæ adversus incestos istiusmodi statuta est in hoc capite. Non habent enim latentia peccata vindictam, ut ait Innocentius primus in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum 32. q. 5. c. 23. *Christiana religio.*

NUBAT CUI VELIT. *Post mortem mariti*, inquit auctor glossæ. Sed hanc interpretationem apud Petrum Lombardum lib. 4. Sententiarum dist. 34. reprehendit Erasmus in caput septimum epistolæ prioris ad Corinthios, ubi fuscè disputat, an unquam divortium licitum esse possit inter Christianos. Non dubitabat autem Erasmus, quin hæc constitutio vere esset Zachariæ. Itaque ea persuasione imbutus, ex eo etiam refellit Magistrum sententiarum, quod probabile non sit Zachariam prætermisurum fuisse eam interpretationem suæ constitutionis, si ea illi mens fuisset, quam ipsi affingit Lombardus: *An rem tanti momenti*, inquit, *taciturnus erat Pontifex, si sensisset, quod hic interpretatur? Quid si maritus superstes sit uxori? Nonne jam par erit hac in parte pœna nocentis, & innocentis?* Sane si quis verba istius capituli expendat paulo diligentius, facile animadvertet glossam esse contrariam sententiæ, quæ illic posita est. Nam fœmina, cujus maritus mortuus est, quæ ideo soluta est a lege viri, privilegio non indiget, ut alium ducat. Istic vero damnatione viri sublato matrimonio, uxori potestas fit in aliam familiam nubendi: quod marito interdicitur. Unde colligi certo debet regulam hanc esse diversam a generali lege connubiorum, quæ nemo unquam dubitavit, quin licita essent inter liberos, id est, inter eos, qui matrimonii vinculis adstricti non essent, adeoque auctorem istius capituli non approbaturum ho-

die, si revivisceret, interpretationem, quam huic loco adhibuerunt Petrus Lombardus, & Bartholomæus Brixienfis.

Canon est synodi Vermeriensi, ex qua refertur a Reginone lib. 2. c. 214.

Caput istud sumptum est ex libro secundo sententiarum Pauli in interpretatione, ut etiam observatum est a Correctoribus Romanis. Regino lib. 2. cap. 130. laudaverat ex lege Romana: quod idem est. Vide porro Notas nostras ad Reginonem pag. 585.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus legitur: *Unde Gregorius scribit Johanni Ravennati Archiepiscopo.* Apud Burchardum lib. 9. cap. 40. in codice Dionysii Talonii: *Ex epistola Gregorii ad sanctum Johannem Ravennatem Episcopum.* In vulgatis editionibus & apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 178. & in Pannormia lib. 6. cap. 115. *Ex epistola Gregorii ad Joannem Ravennatem Episcopum.* His itaque auctoritatibus adducti Correctores Romani vocem *Episcopo* reposuerunt apud Gratianum, cum antea legeretur *Archiepiscopo.* Regino lib. 2. cap. 242. recte citat ex epistola Rhabani ad Heribaldum, ut ostensum est in capite undecimo præfationis nostræ ad epistolam illam. Vide supra 27. q. 2. cap. 29. *Quod autem.*

Burchardus lib. 9. cap. 44. citat simpliciter ex epistola Gregorii. Fons non est inventus. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de conditionibus appositis cap. ult.

Apud Reginonem lib. 2. cap. 244. caput istud refertur absque inscriptione. Burchardus lib. 9. cap. 42. citat ex Concilio apud Compendium cap. 20. Hodie est in Concilio Compendiensi sub Pipino cap. 17.

Vir clarissimus Jacobus Sirmondus in capite tertio Antirrhæti secundi adversus Petrum Aurelium admonet caput istud sumptum esse ex epistola Hincmari ad Aquitanos, quæ nunc edita est in synodo Tullensi apud Tusiacum tomo tertio Conciliorum Galliarum pag. 173.

NUNQUAM INJUSTO. In epistola ipsa tomo 3. Conciliorum Galliarum pag. 184. legitur: *sed nunquam vel nusquam injusto.* Hæc meminisse oportet observationis a nobis non uno loco factæ, veteres librarios, cum non satis intelligerent, quamnam lectio præferenda esset ex duabus, quæ illis occurrebant inter exscribendum, utramque ut plurimum posuisse, eo pacto lectori arbitrium integrum relinquentes sequendi quam mallet. Vide Notas ad Salvianum pag. 403. secundæ editionis. Itaque legendum simpliciter, *nunquam injusto.* Quæ lectio sola habetur in libro 6. Pannormiæ, cap. 117. tam in editis, quam in codice Victorino.

Revocanda ad memoriam hoc loco sunt, quæ supra observavimus dist. 27. cap. 6. *Quod interrogasti.* & 7. q. 1. cap. 4. *Pontifices.* nimirum epistolam istam Nicolai primi datam esse ad Adalvinum Juvavensem sive Saltzburgensem Archiepiscopum.

32. q. 7. c. 24. Si quis.

32. q. 7. c. 25. Hi qui.

33. q. 1. c. 1. Quod autem.

33. q. 1. c. 2. Requisite.

33. q. 1. c. 3. Si quis accepit.

33. q. 1. c. 4. Si perfortiaras.

33. q. 2. c. 6. Inter hæc.

In

33. 9. 2.
c. 8. Admo-
nere.

In omnibus antiquis Ivonis & Gratiani exemplaribus & editionibus inscriptio istius capituli hæc est: *Item Stephanus V. Astulpho.* Burchardus tamen lib. 6. cap. 40. refert ex epistola Paulini Foro-Julienensis Episcopi ad Heistulfum. Itaque nuper ea sub nomine eisdem Paulini edita est in tomo septimo Conciliorum pag. 1064. ex manuscripto codice Remensi. Neque dubium est, quin ea sit vera ac genuina epistolæ istius inscriptio, cum differa illius mentio exstet apud Flodoardum lib. 3. hist. Remensis cap. 21. in commemoratione epistolarum ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo scriptarum: quod observatum est in margine epistolæ in tomo septimo Conciliorum. Verba sunt Flodoardi: *Vulfado Biturigeni Archiepiscopo, de his, qui inconsulte uxores suas interficiunt, sententiam Paulini, quam sibi mitti petierat, scribens.*

33. 9. 2.
c. 15. Lato-
rem.

Inscripção istius capituli hæc est in libro Sangermanensi: *Item Nicholas Papa Rodulpho Episcopo sanctæ Argenteæ retensis.* In regio autem sic: *Item Nicholas Papa Radulfo Episcopo sanctæ Argenteæ retensis Ecclesiæ.* Sed heic primo scriptum erat *trerenis*, postea prima litera t jugulata est. Antiquus codex Victorianus: *Item Nicholas Papa Rodulpho Episcopo sanctæ argenteæ utensis.* Recentior: *sanctæ argenteæ erecensis Episcopo.* Colbertinus: *sanctæ argenteæ reconis.* Antiquæ editiones Moguntina & Veneta: *sanctæ Ecclesiæ argenteæ retensis.* Burchardus, ex quo alii sumpsisse videntur, diserte scriptum habet lib. 6. cap. 46. *sanctæ argenteæ retensis Ecclesiæ*, etiam in libro Dionysii Talonii. Anselmus Lucensis lib. 11. cap. 43. in codice sancti Germani, *argenteæ remensis*, in Barberino, *retensis.* Testatur quoque Beatus Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatis eandem lectionem reperiri in omnibus, quos ipse vidit, Gratiani codicibus, non excusis modo, verum etiam manuscriptis, reperisse se porro epistolam illam in veteri codice adjunctam constitutionibus provincialis synodi, quam Magonciaci habuit Rabanus Archiepiscopus. Itaque in editione Rhenani sic legitur: *Nicolaus. Sc. Ratholdo Episcopo sanctæ Argentoratensis Ecclesiæ.* Quo postea modo apud Gratianum emendarunt Demochares, & Contius. Recte porro Demochares, Contius, & Correctores Romani heic Ratholdi nomen reposuerunt pro Radulphi. Nam & ita eum nominat Burchardus, & ea ipsa tempestate vivebat Radoldus Argentoratensis seu Argentinensis Episcopus, ut fidem facit Jacobus Wymphelingius in catalogo Episcoporum Argentinensium his verbis: *Radoldus, vir mirifica sapientia præditus, episcopatum vehementer auxit, & diversis operibus loca sacra exornavit. Sedit annis octo. Obiit in Domino anno octingentesimo, & septuagesimo octavo.* Falsus est tamen hoc loco Wymphelingius; omninoque necesse est Radoldum mortuum esse ante annum

Tom. III.

DCCCLXXVIII. si verum est ipsum sedisse annis tantum octo. Vel si mortuus est anno illo, sedisse dicendus est annis saltem duodecim. Nam Nicolaus primus, qui epistolam istam scripsisse dicitur ad Ratholdum, obiit anno DCCCLXXVII. exeunte.

DE PŒNITENTIA. Primus, ut arbitror, hunc locum protulit Regino lib. 2. cap. 49. *ex dictis Ferrandi Diaconi.* Postea Burchardus lib. 6. cap. 31. eundem locum referens, accepisse se ait ex dictis Augustini. Quem secuti sunt non solum Anselmus, Ivo, & Gratianus, sed etiam Alexander III. in epistola XXII. earum, quæ a Sirmondo editæ sunt cum epistolis Petri Cellensis. Cum autem putaret vir doctissimus Joannes Molinaus, hunc locum vere Augustini esse, neque tamen illum inveniret apud Augustinum, ista addidit in margine apud Ivonem parte 10. Decreti cap. 160. *Decerpta hæc videntur ex enarrat. psal. ad versi. Dormivi conturbatus, & proximos.* Quoniam vero locus ille Augustini non sufficiebat ad constituendam integram sententiam istius capituli, Correctores Romani hæc descenderunt, ut existimarent ex variis Augustini locis confectum esse. Hæc sunt eorum verba: *Caput hoc collectum est ex variis locis B. Augustini, videlicet ex lib. 3. de consensu Evangelistarum, c. 13. explanatione psal. 56. & 63. & tract. 114. & 115. in Joannem.* Quantum laboris ac tædii ademisset Regino viris doctissimis, si tum editus ille fuisset!

Jam antea adnotatum est supra 24. q. 3. c. 18. *Ecce autem.* libros de vita contemplativa non esse Prosperi, sed Juliani Pomerii. Qua observatione utendum etiam est in hoc capite, & in capite *Charitas.* dist. 2. de pœnit.

VOLUNT. EXCOMM. Elegans est locus Cæsarii Episcopi Arelatensis ex homilia prima inter eas, quæ a nobis editæ sunt: *Et hoc attendite, fratres, quod qui pœnitentiam petit, excommunicari se supplicat.* Vide reliqua.

ORET P. V. ECCLES. Vide Cæsarium Arelatensem in eadem homilia prima.

Vide eundem Cæsarium in homilia nona & decima de nostris.

Vide Rhabanum in epistola ad Heribaldum cap. 15. & Reginonem lib. 1. cap. 313.

Caput istud sumptum est ex canone tertio Concilii Compendientis sub Pipino Rege. In Concilio ipso legitur: *Mulier si sine comæatu viri sui velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiat eam iterum ad conjugium.* In libro autem quinto Capitularium cap. 16. *Mulier si sine comæato viri sui &c.* Latini veteres comæatum dicebant pro facultate, potestate, licentia, sed ut plurimum in rebus bellicis. Annibal ad milites apud Livium lib. 21. *Si quis vestrum suos invisere vult, comæatum do.* Apud Suetonium in vita Tiberii accipitur pro potestate abundi: *Requiem laborum præterens, comæatum*

D d

tum

Dist. 1. c.
23. Perni-
ciosa.

Dist. 1. c.
31. Porro
illi.

Dist. 1.
c. 32. Faci-
lius.

Dist. 1. c.
44. Agite.

Dist. 1. c.
13. Quia ra-
dix.

Dist. 5. c.
2. Qualitas.
33. 9. 5.
c. 3. Mulier.

rum petiit. Et paulo post: *Facta tandem abeundi p̄ testate.* Inutile esset ista probare pluribus testimoniis. Postea, labente bona Latinitate, vocabulum illud usurpatum est simpliciter pro potestate seu permissione. Concilium Vernense sub Pipino cap. 9., & lib. 5. Capitularium cap. 42. *Si quis Presbyter ab Episcopo suo degradatus vel excommunicatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine comitatu* (in Capitularibus, *comiatu*) *facere præsumpserit &c.* Eddo Argentinenlis Episcopus apud Franciscum Guillimannum in Episcopis Argentinenlis pag. 107. *Ideo placuit nobis per comitatum Domini nostri Pippini gloriosi Regis.* Hinc factum, ut Regino, cum describere statuisset hunc canonem Compendiensem in sua collectione, ita scripserit lib. 2. cap. 126. *Mulier si sine licentia mariti sui &c.* Reginonem secutus est Burchardus lib. 9. cap. 47. Falluntur enim vehementer, aut fallunt, qui scribunt, Burchardum in hoc loco usum esse voce *comiatu*. Nam & in editionibus & in codice Talonico diferte scriptum est *licentia*. Hinc rursus factum, ut duæ deinceps fuerint istius canonis editiones; una vetus, quam librarii retinuerunt in libris Capitularium; alia recens ac nova, quam collectores canonum & decretorum post Reginonem usurpare maluerunt. Ivo Carnotensis Episcopus utramque posuit in suo Decreto, antiquam parte 9. cap. 124. ex libro quinto Capitularium, aliam part. 8. cap. 185. ex Concilio, ut ipse ait, *apud Compendium cap. VI.* sed revera ex Burchardo, apud quem hæc ipsa verba habentur. Gratianus novam tantum lectionem retinuit, quæ tum apertior videbatur. Et tamen non multo ante Gratianum vox *comiatu* adhuc in usu erat haud procul Gratiani patria, nimirum apud Langobardos. Exstant enim in Chartulario monasterii Casauriensis acta vetera, in quibus sic habetur: *In Dei nomine. Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anno MXLVII. mense Januario, Indictione XV. Ideoque ego Raimundo filius quondam Grimaldi, & ego Beledruda filia quondam Coni, quæ sum sociata in conjugio Raimundo viro meo, consentiente mihi Beledruda ipso jamdicto Raimundo viro meo, & ego Raimundus comiatum dedi & consentiens sum tibi jamdictæ Beledruda conjugi meæ.* Et paulo post: *Declaro enim, quia statutum est in ipso Capitulari Domini Imperatoris, & Dominus Karolus Imperator instituit in suo Capitulari, ut quæcumque femina libera Langobarda per comiatum viri sui potestatem habeat de rebus suis vendere aut donare.* Item in aliis actis biennio post confectis: *Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anno MXLIX. mense Octobri, Indictione III. Ideo constat me Tederadam filiam quondam Luponi, conjugem Johannis. Declaro enim, quia Dominus Karolus Imperator constituit in suo Ca-*

pitulare, ut quæque femina potestatem habeat per comiatum viri sui vendere, & donare, & cuicumque venderet, firmum & stabile permaneret. Et ego Johannes filius quondam Transarici comiatum dedi tibi Tederada conjugi meæ. Acta ista descripta sunt ex vetustissimo Chartulario monasterii Casauriensis, quod mecum pro humanitate sua & amicitia nostra communicavit vir clarissimus & literati orbis fulgentissimum sydus Antonius Vion Herovallius.

Hoc caput Regino lib. 2. cap. 125. retulit ex Concilio Vermeriensi, ubi exstat. Postea Burchardus lib. 9. cap. 46. Remense Concilium pro Vermeriensi, ut solet, substituit. Burchardum descripsit Ivo parte 8. Decreti cap. 184. & in Pannormia lib. 6. cap. 82. Verba autem illa, *sed similiter convertatur*, quæ in fine capituli habentur apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum, non exstant in Concilio Vermeriensi neque apud Reginonem. Addita autem illa fuisse puto a Burchardo, ne fortean accepisse videri posset a Reginone.

Heic Sanctus Ambrosius dicit, mulierem debere velare caput, quia non est imago Dei. Addit deinde, illam, ut ostendatur subjecta, & quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debere habere, ut in Ecclesia, propter reverentiam episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum. Interpretatio est capituli undecimi prioris epistolæ Pauli ad Corinthios, ubi scriptum est debere mulierem potestatem, id est velum, signum subjectionis & prævaricationis, habere supra caput propter angelos, id est, ut vulgo interpretantur, propter Episcopos & Presbyteros, qui angeli Dei vocantur. Quo respexit etiam videtur Tertullianus in libro de corona militis, ubi scribit, feminam nudo capite videri non debere propter angelos. Explicandus autem heic obiter est, data occasione, canon XLII. Aunacharii Episcopi Augustodunensis, in quo sic vulgo legitur: *Ut unaquæque mulier, quando communicat, dominicalem suam habeat. Quod si qua non habuerit, usque in alium diem dominicum non communicet.* Baronius, Binius, Vossius, alii, existimant heic per dominicalem intelligi linteolum illud, cujus mentio est apud Augustinum in sermone 252. de tempore, sive ille Augustini sit, sive alius cujuscumque; *Mulieres, inquit, nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant.* Sed ego semper aliter fensi, omninoque ita existimavi, dominicale illud fuisse genus quoddam velaminis absque quo non licebat feminis accedere ad sacram communionem. Atque ut in ea etiam sententia perstem facit antiqua collectio canonum Andegavensis, in qua canon ille sic ad verbum legitur tanquam ex Concilio Matisconensi: *Si mulier communicans dominicale suum super caput suum non habuerit, usque ad alium diem dominicum non communicet.* Quare
fixum

33. 9. 5.
c. 10. Qui
uxorem.

33. 9. 5.
c. 19. Mu-
lier.

fixum ac constans esse debet dominicale fuisse velum, quo mulieres operiebantur eo tempore, quo accedebant ad Eucharistiam percipiendam. Vide supra 21. q. 4. cap. 3. *Episcopi*.

PROPTER REV. EPISC. Sic explicat Ambrosius locum Pauli. Sic etiam multi alii explicarunt. Attamen Jacobus Gothofredus, pro eo quod apud D. Paulum legitur *διὰ τῶν ἀγγέλων*, legendum esse putat *διὰ τῶν αἰγέλων*, id est, propter greges juvenum. Sed hanc interpretationem reiicit vir clarissimus Franciscus de Roye in libro secundo de iuribus honorificis in Ecclesia cap. 14. licet emendationem Græci textus non omnino improbet. Ego arbitror retinendam esse antiquitatem, explodendam novitatem, juxta monitum Vincentii Lirinensis.

34. q. 1. c. 2. Cum in capit.

Inscriptio illius capituli hæc est in codicibus manuscriptis: *Item Innocentius Papa*. Vel: *Item Innocentius Probo*. Quo etiam modo legitur apud Ivonem in Decreto. In Pannormiæ editionibus legitur: *Innocentius Papa Probo Episcopo*. Sed in optimo libro Victorino hæc tantum habentur: *Innocentius Probo*, quod melius est. Itaque male in prima editione Moguntina legitur: *Item Innocentius Papa Probo Episcopo*. Melius Veneta: *Item Innocentius Papa Probo*.

CUM CONSTITUTA. Legendum *Restituta* auctoritate omnium veterum Gratiani librorum, & editionum. Hoc enim est proprium nomen mulieris, quam Fortunius duxerat, cum Urfa tenebatur in captivitate, ut adnotatum etiam est supra lineam in codicibus Sangermanensi, & antiquo Victorino. *Restituta* quoque vocatur in collectione decretorum Innocentii primi apud Dionysium Exiguum, tam in veteribus libris quam in editionibus, & apud Ivonem parte 8. Decreti cap. 245. & in Pannormia lib. 6. cap. 89. denique in antiqua collectione canonum Lugdunensi, & in vetustissima item collectione monasterii Ripullensis.

34. q. 1. c. 4. Si quis nec.

Caput istud sumptum est ex canone nono Concilii Vermeriensis, non a Gratiano quidem, sed ab Ivone, qui primus illum in compendium redegit videtur, quemadmodum existat apud Gratianum. Regino integrum illum retulit lib. 2. cap. 124. itemque Burchardus lib. 9. cap. 54. Sed apud Burchardum desunt verba sequentia: *aut seniore suum, cui fidem, & fidelitatem promissam mentiri non potest, secutus fuerit* &c. Postrema porro pars canonis non existat apud Ivonem neque apud Gratianum.

34. q. 1. c. 6. In lectum.

Regino lib. 2. cap. 206. Burchardus lib. 17. cap. 4. & Pœnitentiale Romanum Antonii Augustini tit. 3. cap. 5. citant hoc caput ex Concilio Triburiensi, ubi non existat. Sed meminisse heic oportet observationis quam protulimus in capite decimo præfationis ad Reginonem: nimirum plurimos canones Concilii Triburiensis a Reginone relatos, qui nunc non existant, non ideo tamen reiiciendos, ob

auctoritatem, & perspectam bonam fidem hominis.

Palea ista non existat in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis. Habetur autem in vetustis editionibus Moguntina, & Veneta. Et certe additum Gratiano fuisse istud caput vel ex eo manifeste colligitur, quod inscriptio sequentis capituli ita omnino habet etiam in editionibus, quæ habent hanc paleam: *Unde in eodem Concilio legitur*. Quo etiam modo editum est a Demochare, & Contio. Correctores Romani addiderunt vocem *Triburiensi*.

34. q. 1. c. 7. Ego dixi.

Regino lib. 2. cap. 208. & post eum Burchardus lib. 17. cap. 5. citant ex Concilio Triburiensi. Neque dubium esse potest, post testimonium Reginonis, quin vere sit illius Concilii.

34. q. 1. c. 8. Si quis cum duabus.

Certum est, antiquas editiones, & aliquot manuscripta Gratiani exemplaria sic habere in titulo istius capituli: *Ait enim Urbanus Papa secundus Gratiano Neapolitano Episcopo*. Sed in vetere Victorino est, *Gratiano apolitano Episcopo*. Sic etiam primo scriptum fuit in codice regio; sed postea supra lineam inter has voces *Gratiano & apolitano* addita est syllaba *ne*: unde factum est *Gratiano neapolitano*. Vitiosa lectio, quam recte emendarunt Correctores Romani. Nam scriptam esse epistolam ad Hugonem Episcopum Gratianopolitanum testis est omni exceptione major Ivo Carnotensis Episcopus in epistola 232. uti illic observavit Franciscus Juretus vir eruditissimus.

35. q. 2. c. 11. Extraordinaria.

In Colberino Gratiani codice sic habet inscriptio istius capituli: *Item Isidorus*. In recentiori Victorino: *Item Isidorus ex Concilio Maticensis provincie*. In regio: *Item Isidorus ex Concilio Maticensi*. In Sangermanensi, & Victorino vetere: *Idem Isidorus vel ex Concilio Maticensi*. Prima editio Moguntina: *Item Isidorus ex Concilio Maticensi*. Veneta: *Item Isidorus ex Concilio Maciensis*, quo etiam modo editum est a Demochare, & Contio. Correctores Romani: *Item Isidorus ex Concilio Manciensis*. Ivo parte 9. Decreti cap. 41. *Ex Concilio Manticoeno sive Manticoeno*. In Pannormia lib. 7. cap. 69. *Ex Concilio Maciensis*. Male, cum legendum sit *Maticensis* auctoritate libri Victorini. Sane cum Ivo ista acceperit ex Burchardo, non aliter legere potuit, quam scriptum ab illo fuit. At Burchardus lib. 7. cap. 8. scripsit: *Ex concilio Maticensi cap. 3*. Non reperitur tamen inter canones Conciliorum Matifconensium. Sed in capite 29. Concilii, quod apud Cabilonem habitum est ævo Caroli Magni, eadem ferme verba habentur, quæ in isto capite leguntur.

35. q. 2. c. 14. Sane consang.

Refertur hoc in exceptionibus Egberti cap. 130. & in prima appendice Reginonis cap. 30. tum etiam apud Burchardum lib. 7. cap. 19. & 20. Ex illo porro collegit Cujacius ad titulum Decretalium de consanguinitate, &

35. q. 2. c. 20. Quædam lex.

affinitate cap. 5. affinitatem, quæ contracta est inter cognatos viri, & uxorem, tum etiam inter cognatos uxoris, & virum, morte alterius conjugis non perimi in superflite.

35. 9. 2.
c. 21. Con-
tradictimus.

Regino lib. 2. cap. 226. recte citat ex Concilio Moguntiacensi. Burchardus lib. 7. cap. 18. ex Concilio Cabillonensi, non recte. Ex Burchardo descriperunt Ivo, & Gratianus. Hinc origo falsæ inscriptionis istius capituli. Vox *inventum* non habetur apud Reginonem.

35. 9. 5.
c. 2. Series.

Caput istud a Gratiano refertur ex Isidoro. In margine vero Demochares ista addidit: *Isidor. cap. 6. lib. 9. Etym.* Secuta est deinde editio Antonii Contii, ubi addita est in margine nota Democharis; & consequenter diverso caractere Contius ita heic scripsit: *Non exstat in his, quæ vidi Isidori exemplaribus vel impressis vel manuscriptis.* Deinde lib. 1. lectionum subsecivarum juris civilis cap. 10. ait valde mirari se, exstitisse quosdam tantæ falsitatis confirmatores, qui & librum, & caput, quo apud Isidorum invenirentur, notaverunt ad marginem librorum: *quibus, inquit, in tam aperto mendacio nulla venia suffragatur.* Videndus heic Antonius Augustinus in dialogo sexto libri prioris, & in dialogo decimo libri posterioris.

35. 9. 5.
c. 6. Prius
gradu.

Rursum heic exandescit in eodem capite lectionum suarum Contius adversus eos, qui Pauli J. C. verbis heic abusi sunt sub nomine Isidori, cum non exstant apud Isidorum. Conqueritur autem præterea, fraudem factam fuisse in contaminandis Pauli verbis, & cum barbari cujusdam interpretis ineptiis commiscendis. Itaque caput istud omnino emendandum est ex libro quarto Sententiarum Pauli tit. XI. Vide iterum eundem Augustinum in dialogis mox laudatis.

35. 9. 6.
c. 2. Vide-
tur.

Palea ista non exstat in antiquis Gratiani exemplaribus Regio, Sangermanensi, Colbertino, ac vetere Victorino. Habetur tamen in recentiore Victorino, & in antiquis editionibus Moguntina & Veneta. Vide Cujacium ad titulum Decretalium *Qui matrimonium accusare possint* cap. 3.

35. 9. 6.
c. 3. Noti-
ficamus.

In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus caput istud inscriptum est Richario, vel Richardo Episcopo Januensi. Codex Sangermanensis Ricarium Genuensem vocat. Verus collectio canonum Rivipullensis: *Cyriacho Genuensi Episcopo*, Ivo parte 9. Decreti cap. 33. *Cyriaco*. In Pannormia edita lib. 7. cap. 85. *Richardo Januensi Episcopo*. In codice Victorino: *Cyriaco Genuensi Episcopo*. Legendum *Cyriaco*, ut monet Ferdinandus Ughellus tomo quarto Italiae sacre pag. 1164. ubi adnotat, Cyriacum factum fuisse Episcopum Januensem circa annum MXC. eamque Ecclesiam rexisse annis quatuor.

DEF. UXORIS. Omnes antiqui libri & veteres editiones, etiam apud Democharem & Contium, habent: *duo ex propinquioribus*

jam defunctæ uxoris vel vivæ ejus, qui accusatur hanc &c.

Caput istud sumptum esse dicitur ex Concilio Urbani Papæ habito in Apulia, id est, ex Concilio apud Melphiam, vel ex Concilio apud Trojam.

35. 9. 6.
c. 4. Si duo.

Regino lib. 2. cap. 231. fons est & origo istius capituli. Sed verba illa, *et istæ sanctorum reliquiæ*, quæ leguntur apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum, non exstant apud Reginonem.

35. 9. 6.
c. 5. De pa-
rentela.

Et istud quoque caput Burchardus sumpsit ex Reginone lib. 2. cap. 232.

35. 9. 6.
c. Istud.

Nuper in Notis ad Reginonem pag. 579. diximus decretum istud non esse Eutychni Papæ, sed formulam fuisse, secundum quam Episcopi interrogare debebant laicos in unaquaque parœcia.

35. 9. 6.
c. 7. Episco-
pus.

IN SYNODO. Id est, in conventu habendo in Ecclesia, cum Episcopus ad illam accederet visitaturus. Vide Notas ad Reginonem pag. 578. Addendus vero nunc est insignis locus ex vita sancti Udalrici Episcopi Augustani ab incerto, sed antiquo auctore conscripta, qui in capite sexto tractans qualiter diocesim visitavit, ita ait: *Ad loca autem illa cum pervenisset, ubi Concilia sua denunciata fuerant, cum evangelio, & aqua benedicta, & sonantibus campanis, & tanta honorificentia susceptus est, quantum illis, qui ibi congregati sunt, virtus suppetebat. Statim vero Missa celebrata in Concilio confidens populum ante se vocari fecit, prudentioresque, & veraciores sacramento interrogare præcepit, quæ in illa parochia emendatione digna fuissent, & contra jura Christianitatis perpetrata peccata, ut ei veraci relatu nota fierent facta.* Vide reliqua.

SYNODALEM CAUSAM. Id est, quæ ad Episcopi cognitionem pertineat, quæ judicari debeat in synodo Episcopi cum consilio Clericorum suorum, ut patet ex laudata vita sancti Udalrici. Vide Notas ad Reginonem pag. 579.

Caput istud exstat apud Reginonem lib. 2. cap. 233. sed paulo diversum ab editione Gratiani. Itaque Gratianus descripsit ex Burchardo lib. 7. c. 27.

35. 9. 6.
c. 9. Ab ista
die.

Et hoc quoque caput ex Reginonis lib. 2. cap. 240. descripsit Burchardus lib. 9. cap. 81. ex quo postea aut ex Ivone Gratianus accepit. Ceterum fons istorum omnium est Regino.

35. 9. 6.
c. 11. Ab ista
die.

Epistola ista inventa non est inter epistolas sancti Gregorii, nec ullus ætate illius fuit Venerius Episcopus Calaritanus. Non reperi porro illam apud auctorem ullum Anselmo Lucensi Episcopo antiquiorem, apud quem exstat lib. 10. cap. 35. in codice MS. sancti Germani Parisiensis, ubi manu antiqua scriptum est in margine: *Apocrysum caput.* Apud Anselmum vero, post ultima verba a Gratiano relata, hæc adduntur in fine epistolæ: *Sed ne Domini constitutio vel jussio cassaretur,*

35. 9. 10.
c. 1. Frater-
nitatis.

¶

Et ne tellus a proprio vacaret ornatu, Spiritu sancto reflante, posuit terminum constitutio sancta sanctorum. Ait autem præcepto sancta divina: Crescite et multiplicamini, et replete terram. Posuit enim Dominus terminos-causis, atatibus sæculi finem statuit, compaginibus membrorum hominum posuit numerum. Lex Ecclesiæ regulæ sanctorum cognatio mortalium agnatis atque affinibus terminum reciprocationis instituit. Quod valde metuendum exterminare sancimus; quique exterminare non metuit, catholicus non esse convincitur. Miror autem, epistolam istam non fuisse insertam amplissimæ collectioni Conciliorum, cum illic in tomo quinto pag. 1578. edita sit alia supposititia sancti Gregorii epistola ad Felicem Episcopum Messianensem. Facile enim conjungi ambæ poterant.

36. q. 2.
c. 8. Tria legitima.

Caput istud adjectum vidi libris Capitularium in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ, in altero Oratorii Trecentis, & in tertio nostro. Utrobique autem hanc habet inscriptionem: De legitimis conjugis. Hieronymus ait. Tria legitima &c. Regino quoque lib. 2. cap. 107. istud ipsum refert ex dictis Hieronymi.

Dist. 1. c. 9.
Nemo Ecclesiam.

DE CONSECRATIONE OSTENSA DONATIONE. Id est, dote basilicæ per donationem cartulæ confirmata, ut loquitur Concilium Bracharense secundum apud Reginonem lib. 1. cap. 23. Debet autem dos illa sive donatio gestis municipalibus alligari, ut docet sanctus Gregorius lib. 2. Indict. 10. epist. 9. *Percepta primitus donatione legitima gestisque municipalibus alligata.* Donationem illam dotis nomine expressit Zacharias Papa in epistola ad Pipinum Majorem Domus cap. 15. si modo vocula *tot*, quæ nullum heic sensum habet, mutetur in vocem *dote*, ut par est. Hæc sunt enim verba Zachariæ Gregorium describentis, & interpretantis: *Percepta primitus donatione legitima, id est, præstante tot, gestisque municipalibus allegata.* Nemo enim non videt legendum illic esse *præstante dote*. Vide Notas ad Reginonem pag. 543.

Dist. 1. c. 18. Ecclesiæ.

Certum est, hoc caput apud Gratianum citari ex Concilio Meldensi cap. VIII. cum tamen non sit concilii Meldensis canon, sed ex libro primo Capitularium. Error hinc ortus quod Regino lib. 1. cap. 28. citat canonem 63. Meldensem, deinde adfert absque inscriptione constitutionem de Ecclesiis antiquitus constitutis, tum caput istud, cui hæc verba superscripsit: *Cap. LXV.* Hinc Burchardus lib. 3. cap. 10. collegit caput istud sumptum esse ex canone LXV. Concilii Meldensis; sic enim legendum haud dubie apud Burchardum non vero XLV. ut perperam editum est. Scio ita haberi in codice Burchardi Talonico. Sed nihilominus existimo ita rescribendum esse.

Dist. 1. c. 24. De fabrica.

Hoc caput apud Burchardum lib. 3. cap. 62. citatur simpliciter ex epistola Vigilii Papæ. In antiquis Gratiani exemplaribus, & e-

ditionibus scriptum est: *Item Julius Papa.* In editionibus Democharis, & Contii: *Item Julianus Papa.* Sed in margine ista adnotata sunt: *Vigilius Papa ad Eutherum.* Ex quo Correctores Romani effecerunt inscriptionem istius capituli hoc modo: *Item Vigilus Papa ad Eutherium epist. 1. c. 4.* Revera est Vigilii, ut recte observat Antonius Augustinus in dialogo decimoquarto libri prioris, verum non ex epistola ad Eutherium, sed ex ea, quæ ad Profuturum Bracharensem Episcopum scripta est. Vide quæ supra adnotata a nobis sunt 2. q. 6. c. 12. *Qui se scit.*

SANCTUARIA. Id est, reliquias sanctorum sacra pignora. Vide clarissimum virum Antonium Dadinum Alteserram in Notis ad epistolas sancti Gregorii lib. 1. epist. 48. pag. 53.

LIGNEI SACERDOTES. In omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus ita legitur hic locus: *Quondam sacerdotes non aureis calicibus, sed ligneis utebantur. Zephrinus XVI. Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tunc deinde Urbanus XVIII. in aliis XVII. Papa omnia misteria sacra fecit argentea.* Fatendum tamen est in Concilio Triburiensi, unde sumptum est hoc caput, tum apud Burchardum lib. 3. cap. 223. & apud Ivonem parte 3. Decreti cap. 282. ita legi, quo modo editum hodie est apud Gratianum. Refert autem hunc locum illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum DCCLV. demum addens pulcherrimam hanc gravissimamque sententiam, de Bonifacio Episcopo Moguntino loquens: *Ita sanctus, cum sui temporis sacerdotum ignaviam deploraret.* Ita etiam Petrus Damiani, vir sanctissimus, in opusculo 31. ad Episcopos Cardinales cap. 6. *Nunquam certe vidisse me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore coniectos, sicut erant, qui ab Esculano atque Tranensi gestabantur Episcopis. Uterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao præidente, alter in Lateranensi Ecclesia coram Alexandro, Romanis scilicet Pontificibus, sunt dejecti. Nec eis profuit, quod Pontifices ligneis auratis usi sunt baculis, dum sacerdotii meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum, et non micantia margarita vel gemma, sed mores aurei deceant sacerdotem.* Hinc vetus adagium sive carmen inter Francos, a Vido Coquillio relatum in historia Nivernensi:

*Au temps passé du siecle d'or,
Crosse de bois, Evêque d'or.
Maintenant changent les lois,
Crosse d'or, Evêque de bois.*

Regino lib. 1. cap. 67. citavit hoc caput, ex Concilio Remensi. Vide illic Notas nostras.

Recte adnotatum est ab eminentis doctrinæ dignitatisque viro Joanne Cardinale Bona lib. 1. rerum liturgicarum cap. 13. caput istud falso tribui Papæ Soteri aut Anacleto. Addit dein-

Dist. 1. c. 44. Vasa.

Dist. 1. c. 45. Ut calix.

Dist. 1. c. 61. Hoc quoque.

deinde vir doctissimus optimam, ac verissimam observationem, nimirum Missas solitarias istorum Pontificum a vo non fuisse in Ecclesie usu, huncque abusum non nisi post aliquot secula inter monachos irreplisse. Vide Reginonem libro 1. cap. 191. & Burchardum libro 3. cap. 68.

Dist. 1. c.
64. Missas.

Canon iste conditus fuit in Concilio Agathensi, cui præsuit sanctus Casarius Episcopus Arelatensis. Exstat inter ejus homilias a nobis editas una, quæ octava est, valde pia, docta, & elegans, de hoc argumento, digna profecto, quæ his nostris temporibus relegatur in conventu Christianorum.

Dist. 1. c.
65. Cum ad celebr.

UBI EPISCOPUS. In aliquot antiquis Gratiani exemplaribus legitur: *Et si ibi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat a sacerdote.* Antiqua collectio canonum Lugdunensis & Regino lib. 1. cap. 196. habent: *Et ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis,* id est, Episcopi. Nam si Episcopus non adest, populus benedictionem ejus accipere non potest. Postea cum sacerdotis vocabulum vulgo usurpatum est ad significandum Presbyterum, raro ad significandum Episcopum, putarunt, qui postea secuti sunt negationem, in hoc loco deesse, adeoque substituendam. Et tamen canon 26. Concilii primi Aurelianensis, unde sumptum est hoc caput, non habet negationem illam; quæ non exstat etiam in Additione quarta Capitular. cap. 42. ubi descriptus est idem canon. Immo Concilium tertium Aurelianense cap. 29. aperte ostendit, heic per sacerdotem intelligi Episcopum, adeoque tollendam esse negationem. Hæc sunt verba canonis: *De Missis nullus laicorum ante discedat quam dominica dicatur oratio. Et si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur.* Refertur autem iisdem omnino verbis iste canon lib. 7. Capitular. cap. 201. Primus ergo negationem adjecit Burchardus lib. 3. cap. 29. *Et si Episcopus defuerit &c.* Fatendum tamen est, eam lectionem reperiri in antiqua collectione canonum edita in tomo undecimo Spicilegii Dacheriani, non quidem in codice nostro, ex quo edita est, sed in regio & Trecenti, ubi sic legitur lib. 2. cap. 95. *Et ubi Episcopus defuerit, benedictionem accipiant sacerdotis.* Verum admonendum illud est, in codice Trecenti, quod multo antiquius est regio, scriptum a primo fuisse fuerit, postea syllabam de additam fuisse supra lineam ante verbum fuerit. In antiquissimo codice Lugdunensi, ubi caput istud positum est in libro tertio, legitur simpliciter fuerit, ut in nostro. Vide Concilium Agathense can. 47.

Dist. 1. c.
66. Qui die.

Adversus impiam illam perditissimorum hominum dementiam, quæ in hoc capite notatur, valide declamat Salvianus Presbyter Massiliensis in libro sexto de gubernatione. Vide notas nostras pag. 402. secundæ editionis.

Dist. 1. c.
71. Invenimus.

Jam alii observaverunt, hanc epistolam non

posse esse Pelagii secundi. Quod confirmari potest ex eo, quod scripta dicitur ad Episcopos Germaniarum atque Galliarum. Nam hæc conjungendarum harum nationum ratio in usu non fuit nisi sub secunda Regum nostrorum stirpe, cum regiones illæ Francorum imperio parerent. Tum vero nihil vulgatus. Acta sancti Albani martyris edita ab Henrico Canisio in tomo quinto lectionis antiquæ pag. 660. ajunt Bonifacio concessum a Gregorio & Zacharia Romanis Pontificibus fuisse *per totam Galliam Germaniamque in omnibus Conciliis & ecclesiasticis conventibus apostolica vice fungi.* Præfatio Concilii apud Theodonis villam habiti anno DCCCXXI. apud Burchardum lib. 6. cap. 5. *cum nuntiis reliquorum Episcoporum Gallie & Germanie.* Decretum Ludovici Pii eodem anno editum in conventu Triburienfi apud eundem Burchardum ibidem: *a primatibus totius Germanie & Gallie.* Infra: *pene omnes Gallie & Germanie principes subscripserunt.* Gregorius IV. epistolam de Aldrico Episcopo Cenomanensi scripsit ad Episcopos per Galliam & Germaniam constitutos. Idem in epistola ad Episcopos regni Francorum apud Agobardum tom. 2. pag. 59. *hec idcirco dicimus, ut noveritis, non vos posse dividere Ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab unitate tunice, que subiacet capicio.* Acta sancti Friderici Episcopi Trajectensis apud Surium die XVIII. Julii: *Porro Germanie & Gallie Episcopi comperta eade immerita beati Friderici &c.* Walafridus Strabo cap. 28. de rebus ecclesiasticis: *Triduanæ autem Litanie, que proximis diebus ante Ascensionem Domini annue per omnes Galliarum vel Germanie Ecclesias celebrantur, in Galliis sunt constitutæ.* Nicolaus prius in epistola LXIV. ad Theutbergam Reginam in tomo tertio Conciliorum Gallie pag. 321. *omnes religiosi & clari Galliarum & Germanie viri.* Idem in epistola LXVII. Lotharium ibidem pag. 327. *Siquidem cum ad relationem omnium pene qui ex Gallicanis & Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt &c.* Flodoardus lib. 3. hist. Rem. cap. 21. in commemoratione epistolarum ab Hincmaro Archiepiscopo scriptarum: *Respondit etiam ad capitula quædam regni Francorum Episcopis a Johanne Papa transmissa de privilegiis sedium per capitula VII. quoniam idem Papa nisus fuerat Ansegisum Sennensem Episcopum Primatem constituere, ut apostolica vice per Gallias & Germanias frueretur.* Sumptum illud ex epistola Joannis VIII. ad Episcopos per Gallias & Germanias constitutos, quibus scribit se Ansegiso Sennensis Ecclesie Præsuli concessisse, ut vice sua in ecclesiasticis negotiis exercendis frueretur per Gallias & Germanias. Responsio itaque Hincmari, cujus meminit Flodoardus, est epistola ipsius sexta in editione Busæi, XLIV. in editione Sirmondi. In capi-

te autem XX. conjunguntur etiam, alia occasione, Germanicæ & Gallicanæ nationes: *In Germanicis & Belgicis ac Gallicanis provinciis omnis religio Christianitatis pene fuit abolita.* Belgicam provinciam miscuit Hincmarus in gratiam suæ provinciæ, quæ una erat ex Belgicis. Ante tempora igitur Bonifacii Moguntini Galliarum & Germaniarum Episcopi non solent conjungi. Unde certo colligitur, epistolam illam Pelagii confictam esse ævo Carolino. Videndus autem eminentissimus Cardinalis Joannes Bona lib. 2. rer. liturgicar. capit. 10.

Dist. 2. c.
13. Quotidie.

Regino lib. 1. cap. 194. citat simpliciter *ex definitione ecclesiasticorum dogmatum*, absque nomine auctoris. Heic apud Gratianum tribuitur Augustino, alibi Gennadio Massiliensi. Vide Notas Geverharti Elemenhorsti ad caput 53. editionis ejusdem libri ab eo procuratæ sub nomine Gennadii. Vide etiam epistolam quadragesimam Hincmari Remensis Archiepiscopi.

Dist. 2. c.
21. Omnis.

Constitutio ista non exstat inter vulgatos canones synodi Eliberitanæ, videturque esse ex veteri Pœnitentia aut ex canone quodam Concilii Hibernensis, quod sæpe canones Hibernici laudentur in veteribus libris tanquam ex Concilio Elibertano. Regino, qui lib. 1. cap. 331. primam partem istius capituli habet, retulit absque nomine auctoris. Burchardus lib. 5. cap. 22. *ex Concilio Elibertano cap. 3.* Idem lib. 19. cap. 155. refert decretum quoddam de eadem materia ex Concilio Elibertano, quod Regino lib. 1. cap. 328. tribuit Concilio Helibernensi, in veteribus vero libris, ut adnotavimus nuper ad hunc locum Reginonis, dicitur esse Concilii Hibernensis.

Dist. 2. c.
28. Si per ebrietatem.

Caput istud in veteribus Gratiani libris citatur ex Pœnitentia Bedæ Presbyteri. Exstat autem in capite duodecimo libri de remediis peccatorum, qui vulgo Bedæ tribuitur. Regino lib. 1. cap. 149. non adfert nomen auctoris, ex quo ipse descripsit. Burchardus lib. 5. cap. 46. refert ex Pœnitentia Bedæ.

Dist. 2. c.
29. Pervenit.

Heic & apud Reginonem lib. 1. cap. 120. & apud Burchardum lib. 5. cap. 30. citatur ex Concilio Remensi. Vide Notas ad Reginonem pag. 554.

AD DEFER. INFIRMIS. Vide rursus Notas ad Reginonem pag. 537.

Dist. 2. c.
30. Sacerdotum.

Vide eruditissimum virum Franciscum de Roye Antecessorem Andegavensem in tractatu de juribus honorificis in Ecclesia capit. 3. pag. 10.

Dist. 2. c.
31. Institutio.

Sumptum est istud ex Concilio Gerundenfi, ut inscriptio indicat. Notandum autem est discrimen, quod Romani Correctores admonent esse in editionibus hujus capituli. Nam apud Gratianum legitur *in omnibus provinciis*, & apud Burchardum & Ivonem *in omnibus comprovinciabus Ecclesiis*: quod melius est. Nam in Concilio ipso legitur *in Tarraconensi provincia*. Synodi enim provin-

cialis auctoritas non egreditur extra provinciam. In antiqua collectione canonum Lugdunensi legitur: *ita in Dei nomine Terraconensis provinciæ tam ipsius Missæ ordo &c.*

Regino lib. 1. cap. 69. caput istud citat *ex Capitulis synodalibus*, id est, ex libro primo Capitularium. Duplex quippe Capitulum regionum genus erat. Alia enim erant regia simpliciter, id est, in concilio Principis inventa & statuta. Alia vero erant synodalia regia sane; sed in synodis facta, & ut plurimum de rebus ecclesiasticis. Vide Notas ad Reginonem pag. 542.

Dist. 2. c.
93. Presbyter.

INFIRMATUS. Recte admonent Correctores Romani, post ista addi apud Burchardum & Ivonem & in Capitularibus *aut parvulus infirmus fuerit*. Vide Notas ad Reginonem pag. 551.

ASSUMPTIO S. MARIE. De hac festivitate nihil decreverat Carolus Magnus cum festivitates recte enumeraret, quæ per omnia venerari debent in anno. Cum enim ceteras nominasset lib. 1. Capitularium cap. 164. demum addit: *De adsumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus*. Deinde ista quoque festivitas addita est aliis, ut patet ex lib. 2. Capitular. cap. 35. & lib. 6. cap. 186. Ex Capitularibus descripsit etiam Regino lib. 1. c. 377. Magnum inter Canonicos Ecclesiæ Parisiensis his diebus certamen fuit de hoc festo propter verba Usuardi, qui dormitionem sanctæ Dei genitricis Mariæ simpliciter vocat, ab assumptionis nomine abstinet. Meum non est componere hanc litem. Adferam tantum insignem locum ex vetustissimo libro homiliarum Ecclesiæ Lugdunensis, cujus auctor ignoratur. Videtur autem tribui debere Paulo Diacono aut Smaragdo. In codice itaque illo post recitatam in festo assumptionis sanctæ Mariæ homiliam in illud ex evangelio secundum Lucam, *intravit Jesus in quoddam castellum*, auctor homiliæ ista addit in fine: *Succincte evangelica lectione tractata, dicendum breviter quid hæc eadem lectio ad beatam Dei genitricem conveniat. Cum enim tota ex duabus sororibus Deo devotissimis constet, tamen in fine sui non incelebrem immo præcipuam de Beata Dei genitrice sententiam continet, ubi dicitur: Maria optimam partem elegit. Cum enim sancta Ecclesia tribus fidelium gradibus constet, conjugatorum scilicet, continentum, & virginum, beata profecto Dei genitrix, cujus hodie sollempnia celebramus, optimam partem elegit, cui datum est, & de intemerata virginitate, & de prole gaudere fecunditate, quæ simul, & virgo materque esse promeruit. Dicamus ergo, immo incunctanter dicamus, quia Maria optimam partem elegit. Ferunt enim quidam codices, quod hodierna die a filio suo Domino Jesu Christo in celestibus fuerit prosecta palatii. Quod quia a beato Hieronymo in epistola, quam ad Paulam scripsit, apocryphum asseveratur, minus fiden-*

Dist. 3. c.
1. Pronuntiandum.

fidenter a catholico sensu recipitur. Sit ergo illud necne, nos tamen debemus credere eam filio suo in cœlestibus conregnare. Jam ergo ad eam vota nostra precesque convertamus. Rogemus eam, ut pro nobis apud pietatem filii sui intervenire dignetur. Flodardus lib. 3. historiæ Remensis cap. 5. enumerans res præclare gestas ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo, hæc ait inter cetera: *Libellum quoque de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius Dominæ Assumptione scribi fecit.*

Dist. 3. c.
20. Aquam.

Remedius Curienfis cap. 24. & Regino lib. 1. cap. 210. citant etiam ex epistola Alexandri Papæ.

Dist. 4. c.
23. Romanus.

Caput istud est pars capituli *Si quis per ignorantiam.* l. q. l. c. 59. ubi vide quæ dicta illic a nobis sunt.

Dist. 4. c.
44. Ab antiqua.

Inscriptio istius capituli hæc est in antiquis Gratiani exemplaribus, & in editione Veneta: *Gregorius Quirico Episcopo, & ceteris in Hibernia Episcopis.* nisi quod codex regius *Quirino* habet pro *Quirico*. Editio prima Moguntina non legit *Hibernia*, sed *Iberia*; & quidem rectius. Nam ita prorsus scriptum est in antiquissimo epistolarum sancti Gregorii libro manuscripto in bibliotheca regia: *Gregorius Quirio Episcopo, & ceteris Episcopis in Iberia.* Vide Antonium Augustinum pag. 35. & Marcam in Notis ad Concilium Claromontanum pag. 327. editionis nostræ. Falluntur autem, ut ego arbitror, qui istius epistolæ mentionem fieri putant a Paulo Diacono in libro tertio de gestis Longobardor. c. 10. Agitur enim illic de epistola Pelagii.

Dist. 4. c.
94. Plerique.

SISEMUNDI. In antiquis Gratiani exemplaribus Regio, Sangermanensi, recentiore Victorino, & duabus editionibus Moguntina, & Veneta, scriptum est *Sisemandum*, in Colbertino *Semandum*, in Victorino vetere *Sisemundum*. Legendum est *Sisenandum*, ut recte monet Antonius Augustinus pag. 36. & 37.

Dist. 4. c.
104. Monachi.

Vide Antonium Augustinum pag. 138. & ibi Notas nostras. Vide etiam quæ in hoc loco observantur a Correctoribus Romanis.

Dist. 4. c.
118. Eos quos.

PUERIS AUTEM. Cujacius ad titulum Decretalium de dispensatione impuberum cap. 3. admonet hunc locum, qui valde depravatus est apud Gratianum, ita legi debere: *Pueris autem, quibus, quod adhuc investes sint, a puritate vocabulum est.* Apud Burchardum sane lib. 4. cap. 99. legitur: *Pueris autem, quibus, quod adhuc investes sunt, a puritate vocabulum est.* At in codice Talonii paulo aliter legitur, sed tamen eodem sensu: *Pueris autem, quibus, qui adhuc investes sunt,*

a puritate vocati sunt. Vide illustrissimum virum Franciscum Bosquetum Episcopum Monspeliensem in Notis ad epistolas Innocentii III. pag. 151.

IMPUBERES. Ita recentior codex Victorinus & antiquæ editiones Moguntina, & Veneta. Ceteri habent *imberbes*.

Sumptum est hoc caput ex canone 36. Concilii quarti Carthaginensis. Burchardus tamen lib. 4. cap. 76. citat ex Concilio apud Valentias, pessimo more. Vide Notas ad Reginonem pag. 553.

Dist. 4. c.
122. Presbyteri.

Titulus hujus capituli in antiquis Gratiani libris, & editionibus præfert heic nomen Anselmi Romanæ Ecclesiæ Legati, nisi quod in codice regio vocatur Aricelinus. Reponendum haud dubie est Afelli nomen, qui per ea tempora Legatus Romanæ Ecclesiæ fuit in Africa. Vide Antonium Augustinum pag. 24.

Dist. 4. c.
152. Placuit.

Caput istud sic inscriptum est in veteribus Gratiani libris: *In libro quinto Capitularium.* Sumptum est autem ex canone nono Concilii Moguntiaci sub Carolo Magno, unde descriptum est in libro quinto Capitularium c. 115. Canonorum Clericorum mentio etiam in canone undecimo Concilii tertii Aureliensis.

Dist. 5. c.
34. In omnibus.

Sumptum est hoc caput ex Capitulis Hincmari Remensis Archiepiscopi tit. 1. cap. 14. Vide Reginonem lib. 1. c. 213.

Dist. 5. c.
35. Nullus.

TURPIA JOCA. Cicero lib. 14. epist. 14. ad Atticum: *Joca tua plena facietiarum de hæresi Vestorina, & de Phetriorum more. Puteolano risisse me satis nihil est necesse rescribere.* Quo loco vide Notas clarissimi, & eruditissimi conterranei mei Simeonis Bosii. Aelius Spartianus in vita Adriani: *Joca ejus plurima extant.* Julius Capitolinus in vita Antonii Pii: *Omnia multa joca semper patienter accepit.* Vide Notas ad Reginonem pag. 537.

CUM URSO. Vide Notas ad Reginonem pag. 564.

LARVAS DÆMONUM. In Capitulis Hincmari, unde sumptum fuisse diximus hoc caput, & apud Reginonem, tum etiam apud Burchardum lib. 2. cap. 161. post hæc verba sequitur, *quas vulgo talamascas dicunt.* Vide Notas ad Reginonem pag. 564.

Gratianus hoc caput citat ex Concilio Laudicensi, ubi exstat. Regino autem lib. 1. cap. 507. & Burchardus lib. 2. cap. 135. ex decretis Martini Papæ, id est, Martini Bracharenfis, apud quem inventum etiam est. Vide Cujacium ad titulum Decretalium de vita, & honestate Clericorum cap. 12.

Dist. 5. c.
37. Non oportet.



ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

DE QUIBUSDAM VETERIBUS

CANONUM ECCLESIASTICORUM

COLLECTORIBUS

JUDICIUM, AC CENSURA.

AD LECTOREM.

*Quæ verba nullam habent adjunctam notam, ea sunt Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis: quæ vero habent ejusmodi », ea sunt eorum Virorum, quorum testimonia ab eodem afferuntur. Cætera, diverso * typorum genere descripta, ab Antonio Augustino, Tarraconensis ex Fr. nepote, adjecta sunt.*

* Typis Curfivis.

AN-

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

DE QUIBUSDAM VETERIBUS

CANONUM ECCLESIASTICORUM COLLECTORIBUS

JUDICIUM, AC CENSURA.

CAPUT I.

De S. Clemente martyre.



Atthæus monachus initio Nomocanonis de conciliis, & sacris scriptoribus, qui canones ediderunt: „ Clementis Papa Romanus edidit LXXV. canones, qui „ Apostolorum dicuntur.

„ (Vide Apostolorum canones, de quibus jam „ (a) plura diximus) sub Trajano passus est. „ Libro priori de emendatione Gratiani dial. VI. Clementis hujus libros Apostolicarum institutionum Auctor fontes dicit canonum Apostolorum.

CAPUT II.

De S. Cypriano martyre.

MAtthæus monachus, ut supra: „ Cyprianus edidit synodum Carthaginensem de baptizandis hæreticis: sub Decio passus est. „ Atque certum est damnatam hanc synodum a Cornelio fuisse. De pœnitentiis etiam multa Cyprianus in libro de lapsis. Vide Auctoris præfationes ad antiquas decretalium collectiones, & ad canones pœnitentiales.

CAPUT III.

De S. Dionysio Alexandrino martyre.

MAtthæus monachus, ut supra: „ Dionysius martyr eodem tempore ad quendam Basilidem de diversis capitulis scripsit, & ut canones Ecclesia ejus universa observat. Fuit Dionysius Origenis discipulus anno quarto Philippi Imperatoris, qui Gordiano successit & successit ipse Heraclia XIII. Episcopo Alexandria, & sedit * anno XVII. ex quibus tres Philippi, unus Decii, unus Galii, & Volufiani Decii filii, XII. Valeriani

* annos f.

„ & Galeni filii ejusdem Valeriani, qui fuerunt XV. annis Imperatores, & passus est „ martirium pro Christo. Hic Basilides Episcopus fuit cujusdam parœciæ Pentapoleos in Libya, ut scribit Eusebius in VI. & VII. Ecclesiasticæ historiæ.

Joannes Zonara: „ Interpretatio epistolæ „ B. Dionysii Archiepiscopi Alexandrini ad „ Basilidem Episcopum, qui de diversis capitulis interrogaverat, & responsa canonum „ vim obtinent; canones IV. „

Theodorus Balsamon totidem verbis usque ad verbum EPISCOPUM: „ canones IV. „

Nicephorus CP. Episcopus in chronicis: „ Alexandrinorum Episcopus XIII. Heracleas annis 46. XIV. Dionysius expulsus ab Imperatore Valeriano anno 17. XV. Maximianus annis 8. „

Hujus meminit Auctor in utraque illa præfatione. Epistolam hic citatam invenies tom. 3. biblioth. Patrum col. 73. & D. Hieronymi de hoc sancto viro encomium.

CAPUT IV.

De S. Gregorio admirabili.

MAtthæus monachus, ut supra: „ Beati „ Gregorii Thaumaturgi epistula exstat „ divisa in canones XII. hic interfuit in concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatenum tamquam Neocesariensis Episcopus; de eo multa Gregorius Episcopus Nysses. „ Joannes Zonara: „ interpretatio epistolæ „ canonicæ B. Gregorii Thaumaturgi de his, „ qui captivi idolothyta comederunt, & de aliis criminibus, canones XII. „

Theod. Balsamon totidem verbis, sed addit NEOCÆSARIENSIS & CANONES XI.

Alexius Aristenus appellat etiam NEOCÆSARIENSEM & CANONES XIII.

Inter ejus opera nunc recens Moguntia edita exstat epist. hic citata: & in 3. tom. biblioth. Patrum col. 283. ultimum ejus caput excussit Auctor noster in libro canonum pœnitent-

E c 2

(a) In Apparatu ad primam partem Epitomes Juris Pontificii veteris, ubi de Canonibus Apostolorum differit Antonius Augustinus Augustini ex Fratre nepos.

nitentialium; & meminit hujus sancti in utraque præfatione citata. Sed quis tantum virum non laudet, non admiretur? vide in initio suorum editorum operum sanctos patres, qui eum summopere commendant.

CAPUT V.

De S. Petro Alexandrino.

M Athæus monachus, ut supra: „ Post „ beatum Dionysium, qui fuit XIV. „ Alexandria Episcopus, Theonas successit, „ post quem Maximus, post Maximum Pe- „ trus martyr. Hujus feruntur canones XIV. „ ex sermone de pœnitentia; de his, qui tem- „ pore persecutionis lapsi sunt, quo pacto pœ- „ nitentes suscipi debeant; item ex sermone „ de sancto paschate. Passus est pro Christo „ sub Diocletiano, qui fuit quintus ab Aure- „ liano, post annos 15. “

Joannes Zonara: „ Interpretatio sancti Pe- „ tri Archiepiscopi Alexandr. & martyris ex „ sermone de pœnitentia, de his, qui in per- „ secutione lapsi sunt, pœnitentibus canones „ XIV. Item ex sermone de paschate canon „ singularis “.

Theod. Balsamon eadem; CANONES XV. o- „ mittit de paschate titulum.

Alexius Aristenus CANONES XIV. & omit- „ tit titulos de pœnitentia, & de paschate.

Nicephorus CP. Episcopus in chronicis: „ Alexandrinorum Episcopus XIV. Dionysius „ expulsus ab Imperatore Valeriano anno 17. „ XV. Maximianus ann. 8. XVI. Theonas „ ann. 19. XVII. Petrus martyr ann. II. Ha- „ stenus ex diversis gentibus. Post Constanti- „ num XVIII. Achilles ann. I. “

Hujus, sicut & ceterorum, de quibus ha- „ stenus diximus, meminit Auctor in utraque „ prædicta præfatione, ut concilio Nicæno an- „ tiquiorum.

CAPUT VI.

De Athanasio Alexandrino.

M Athæus monachus, ut supra: „ Sunt „ quoque ex Athanasio Magno Alexan- „ drino præclaræ voces in his libris. Interfuit „ is Nicænæ synodo: & non multo post suc- „ cessit Alexandro Antistiti. Nam post B. Pe- „ trum martyrem Achilles successit, huic „ Alexander successit. Victoriis autem Atha- „ nasii plena sunt omnia terrarum, ac marium „ spatia, ita multis certaminibus contendit „ pro Christo “.

Joannes Zonara: „ Interpretatio epistolæ „ B. Athanasii Archiepiscopi Alexandrini ad „ Amun monachum, sine ulla canonum di- „ visione. Item ex ejusdem 39. epistula festiva „ cap. I. Item ex ejusdem epistula ad Rufinia- „ num Episcopum cap. I. “

Theodosius Balsamon totidem verbis. „ Socrates libro 7. cap. 36. & lib 4. cap. 20. „ histor. Eccles.

Histor. Tripart. libro 7. cap. 36. & 37. „ A-

„ thanasius, consulatu Gratiani II. & Probi, „ mortuus est. Sedit annos 46. successit Pe- „ trus “. Vide de eo lib. 4. & seq.

Nicephorus CP. Episcopus in chronicis: „ Alexandrinorum Episcopus XVIII. Achilles „ anno I. XIX. Alexander, qui fuit in prima „ synodo anno 23. XX. Athanasius sæpe expul- „ sus ab Arrianis, cui primum ejecto successerunt „ Gregorium. Hic XXI. fuit, expulsus „ est a Constantio, & restitutus Athanasius „ XXII. Gregorius Cappadox dejecto Athana- „ sio anno. . . . Athanasius tertio, itemque „ quarto, omnes simul anni Athanasii 46. „ XXIII. Petrus expulsus a Valente ann. I. “

Vide in initio suorum operum multos pa- „ tres graviter laudes numerantes. Auctor me- „ minit ejus in utraque præfatione.

CAPUT VII.

De Basilio Magno.

M Athæus monachus, ut supra: „ Multis „ verbis laudatur Basilius, cujus cano- „ nicæ epistolæ tres ad sanctum Amphilo- „ chium Episcopum Iconii, quæ dividuntur in cano- „ nes LXXXIV. & alia variis de rebus “.

Joannes Zonara: „ Interpretatio epistolæ ca- „ nonicæ sancti magni patris Basilii Archie- „ piscopi Cæsareæ in Cappadocia ad S. Am- „ philochium Episcopum Iconii, quæ Phry- „ giæ metropolis est, canones XVI. altera ad „ eundem incipit a canone XVII. ad quin- „ quagesimum: tertia a quinquagesimo primo „ ad octuagesimum quartum: quarta ad eun- „ dem, LXXXIV. capita continet de cibis „ variis. Postea ex ejusdem epistula ad Dio- „ dorum Tharsensem Episcopum, ut ne quis „ duas sorores ducat. Item alia epistula ad Gre- „ gorium presbyterum, ut non habitet cum „ uxore. Item ad Chorepiscopos, ne ordinent „ ministros Ecclesiæ. Item ad suos Episcopos, „ ne pecunia accepta ordines faciant. Item ex „ cap. 27. de sancto Spiritu ad B. Amphilo- „ chium. Item ex cap. 29. ejusdem libri “.

Theodorus Balsamon eadem dicit: „ tres e- „ pistulas conjungit in canones 85. quarta est „ cap. 86. quinta ad Diodorum, incipit a cap. „ 87. ejus finis est cap. 88. sexta ad Gregorium „ cap. 89. septima ad Chorepiscopos cap. 90. „ octava ad Episcopos cap. 91. Alia sumpta ex „ lib. de sancto Spiritu sunt cap. 92. & 93. “

In omnium manibus ejus admiranda opera „ feruntur: & in eis sunt citatæ epistolæ; a- „ liter tamen in capita divisæ: cum in prima „ inveniuntur quinquaginta capita, triginta „ quatuor in secunda; reliquæ in capita non se- „ cantur. Ejus meminit Auctor in utraque præfa- „ tione; sicut & ejus fratris sanctissimi, de quo „ nunc dicendum.

CAPUT VIII.

De Gregorio Nysseno.

M Athæus monachus, ut supra: „ Basili „ frater fuit Gregorius Nyssæ Episco- „ pus:

pus: ex ejus canonica epistula ad Letojum
Episcopum Melitenes, sumpta sunt quæ-
dam “.

Joannes Zonara: „ Interpretatio canonica
epistulæ S. Gregorii Episcopi Nyssæ ad B.
Letojum Episcopum Melitenes canones 8. “
Theodosius Balsamon totidem verbis.

*Hæc ad Letojum epistula est in 2. tomo
suorum operum. In bibliotheca patrum est in
3. tomo collect. 61. aliaque ejus opera ibi ad-
duntur. Eandem edidit Auctor inter canones
pœnitentiales cum notis.*

CAPUT IX.

De Timotheo Alexandrino

M Athæus monachus, ut supra: „ Timo-
thei Alexandri canones XV. qui
ex responsis ejus constituti sunt. Nam cum
magnus Athanasius Alexandrina sede extur-
batus est ab Arianis, Gregorius Cappadox
Arianus sedem occupavit; is justo judicio
damnatus, & iterum Athanasius reversus est.
Huic Petrus successit orthodoxus, quo a
Valente expulso, Lucius Arianus sufficitur.
Lucio ejecto (sive mortuo) Petrus rediit.
Post Petrum Timotheus sedere cœpit anno 4.
Theodosii magni, & interfuit universali con-
cilio CP. Huic post septem annos successit
Theophilus “.

Joannes Zonara: „ Interpretatio responso-
rum canonicorum Timothei sanctissimi Episcopi
Alexandriæ, qui unus fuit ex CL. patribus
synodi CP. ad varia Episcoporum, & cleri-
corum interrogata, cap. 18. “

Theod. Balsamon totidem verbis excepta
mentionem synodi CP.

Alexius Aristenus: „ Timothei Alexan-
drini unius ex CL. patribus CP. adversus Ma-
cedonium congregatis, cui successit Theo-
philus, canon. XV. “

Socrates lib. 9. cap. 22. hist. tripart. „ Con-
sulatu Arcadii Aug. primo, & Baudonis,
defuncto Timotheo Alexandrinæ Ecclesiæ
Episcopo, Theophilus successit “.

Nicephorus CP. Episcopus in chronicis:
Alexandrinorum Episcopus XXIII. Petrus,
expulso a Valente anno primo XXIV. Lu-
cius Arianus anno 5. XXV. Petrus iterum
ann. 1. XXVI. Timotheus, qui in secunda
synodo fuit ann. 8. XXVII. Theophilus
annis 28. “

*Ejus xviii. responsa reperies in VI. Tomo
Bibliothecæ Patrum, & auctores, qui de eo
agunt. Socium, & successorem Athanasii eum
facit Rufinus in lib. 1. histor. Eccl. cap. 17.
Vide eundem lib. cap. 21. Socrat. lib. 4. cap.
37. lib. 5. cap. 8. & 12. Sozomen. lib. 6.
cap. 29. & lib. 7. cap. 7. & 9. Ejus memi-
nit Auctor in præfationibus citatis.*

CAPUT X.

De Theophilo Alexandrino.

M Athæus monachus, ut supra: „ Timo-
theo Alexandriæ Episcopo successit
Theophilus, cujus epistulæ duæ, canones
duo exstant. Ei Cyrillus successit fratris fi-
lius “.

Joann. Zonara: „ Interpretatio sermonis
Theophili Archiepiscopi Alexandrini in theo-
phanis de suggestionem Ammonis, de gestis
in Lyco Ægypti regione, can. 10. Item ad
Aphyrgium de catharis nuncupatis. Item
ad Agathum Episcopum. Item ad Mennam
Episcopum “.

Theodof. Balsamon brevius: „ canones o-
mnes, XIII. “

Alexius Aristenus CANONES XIV.
Nicephorus CP. Episcopus in chronicis:
Alexandrinorum Episcopus XXVI. Ti-
motheus, qui in secunda synodo fuit anno
8. XXVII. Theophilus ann. 28. XXVIII.
Cyrillus “.

Socrates lib. 7. cap. 7. hist. Eccles. „ Theo-
philus lethargico morbo mortuus est, Ho-
norio IX. & Theodosio V. Cos. 15. Oct.
tertio post mortem die Cyrillus fratris filius
sufficitur “.

*Ejus epistulæ referuntur 3. tom. biblioth.
patrum col. 496. ubi sunt auctores, qui de eo-
dem agunt. Vide etiam Niceph. Calist. lib. 11.
cap. 34. in fin. lib. 12. cap. 10. 12. 24. Tri-
part. lib. 9. cap. 44. in fin. 22. 26. lib. 10. c.
7. 10. 13. 14. Verba relata ab Auctore sunt
lib. 11. cap. 9. paulo aliter: „ Defuncto Theo-
philo morbo letargico consulatu Honorii IX.
& Theodosii V. Cos. 15. Octob. die tertio
mortis Theophili Cyrillus ordinatur Episco-
pus “.* In margine ANNO DOMINI. CDIV.

CAPUT XI.

De Cyrillo Alexandrino.

M Athæus monachus, ut supra: „ Theo-
philo successit Cyrillus fratris filius,
cujus exstant epistulæ duæ in VII. canones di-
visæ “.

Joannes Zonara: „ Interpretatio epistulæ ca-
nonicæ sancti patris Cyrilli Archiepiscopi
Alexandri ad Domnum canones tres.

Theod. Balsamon totidem verbis. Additur
canon quartus ex epistula ejusdem ad Episco-
pos Libyæ.

Alexius Aristenus: „ Sancti Cyrilli Alexan-
drini ad Domnum can. 3. Ad Episcopos Li-
byæ, & Pentapoleos duo. Ad Maximum
diaconum unus. Ad Gennadium Archiman-
dritam unus, simul omnes VII. “

Theodorit. lib. 10. cap. 25. histor. tripart.
Cyrillus Theophili * consobrinus Alexan-
drinum suscepit post patrum Episcopa-
tum “.

Idem lib. 5. cap. 35. histor. Ecclesiasticæ,
Nicephorus monach. in hist. eccl. post tri-
part.

* fratris
filius Th.

part. „ Septimo Theodosii ann. mortuo Theo-
 „ philo Alexandrino Cyrillus confobrinus e-
 „ jus sufficitur “. (Idem Anastas. Biblioth.)
 „ Nicephorus CP. Episcopus in chronicis:
 „ Alexandrinorum Episcopus XXVII. Theo-
 „ philus ann. 28. XXVIII. Cyrillus, qui E-
 „ phesi in priori synodo fuit contra impium
 „ Nestorium ann. 32. XXIX. Dioscorus “.
 „ Socrates lib. 7. cap. 7. hist. eccl. & XI. Tri-
 part. cap. 7. „ Theophilus letargico morbo
 „ mortuus est. Honorio IX. & Theodosio V.
 „ Cos. 15. Octob. tertia die electus est Cyril-
 „ lus fratris filius Theophili “.
 „ *Ejus epistulae sunt inter opera eius evulga-*
 „ *ta: ubi & reliqui, qui de eo scripserunt, &*
 „ *in 3. tomo bibliothecae Patrum col. 555.*

CAPUT XII.

De Gennadio Constantinop.

M Athæus monachus, ut supra: „ Leonis
 „ Imperatoris, qui post Marcianum fuit
 „ anno X. beatus Gennadius sedem CP. ascen-
 „ dit post Anatolium, sedit annos 14. exstat
 „ ejus epistula ad synodum Rom. omne sce-
 „ lus superare pecunia accepta ordines confer-
 „ re “.
 „ Joannes Zonara: „ Encyclicæ epistulae Gen-
 „ nadii Patriarchæ CP. & synodi ad omnes Me-
 „ tropolitanos, & ad Papam Romanum sub-
 „ scripserunt Episcopi LXXIII. “.
 „ Alexius Aristenus: „ Gennadii CP. & syno-
 „ di ab eo coactæ “.
 „ Nicephorus CP. Episcopus in chronicis:
 „ Constantinopol. Episcopus. XL. Flavianus
 „ presbyter CP. ann. 1. mens. 10. Hoc de-
 „ jecto a Dioscoro in insidiosa synodo Ephesi.
 „ XLI. Sufficitur Anatolius presbyter, & a
 „ responsis Dioscori ann. 8. mens. 8. XLII.
 „ Gennadius presbyter CP. ann. 13. mens. 2.
 „ XLIII. Acacius presbyter, curator pupillo-
 „ rum, hæreticus ann. 17. mens. 9. “.
 „ *Ejus meminit Auctor in præfatione ad Ca-*
 „ *nones Pœnitent. ut prædictis posterioris.*

CAPUT XIII.

De Joanne Chrysofostomo Constantinop.

T Heodoret. lib. 10. cap. 18. histor. tri-
 „ part. „ Joannes in desertum Armeniæ
 „ Cucufon destinatus, inde ad Pityuntem, u-
 „ bi fines sunt Ponti, & Imperii Romani “.
 „ Sozomenus: „ Ajunt, Joannem, cum in exi-
 „ lium duceretur, vidisse dicitur Basiliscum
 „ martyrem Comanis, eum mortis lux diem
 „ prædicentem: illic mortuus est “.
 „ Socrates 14. „ * Septemb. lib. 6. cap. 21.
 „ vel 19. histor. Eccl. in Cumanis Euxini
 „ Ponti “.
 „ Nicephorus CP. Episcopus in chronicis:
 „ Constantinop. Episcopus. XXXII. Nectarius
 „ axiomaticus (hoc est, ex optimatibus, sive
 „ purpuratis Imp.) a patribus CL. simul ba-

* Novemb.
 Gr.

„ ptizatur, & ordinatur. Sedit ann. 16. men-
 „ ses 3. XXXIII. Joannes presbyter Antio-
 „ chiæ, cognomento Chrysofostomus ann. 5.
 „ mens. 6. XXXIV. Joanne * expulso Arfa-
 „ cius presbyter Nectarii frater ann. 2. “.
 „ Socrates lib. 6. cap. 2. hist. Eccl. „ Necta-
 „ rius CP. mortuus est, Casario & Attico
 „ Coss. 27. Septemb. Joannes presbyter An-
 „ tiochiæ electus est, Arcadio Imp. consen-
 „ tiente. Sed Theophilus Alexandrinus stude-
 „ bat, Isidorum presbyterum fieri: metu accu-
 „ sationis destitit, 26. Februarii consecratur.
 „ Honorio Romæ, Eutychiano CP. Coss. “.
 „ *Eadem fere Sozomen. lib. 8. cap. 2. histor.*
 „ *Eccl.*

* extermi-
 nato

„ Idem Socrat. cap. 3. „ Erat Joannes An-
 „ tiochenus ex Coele Syria Secundi, & An-
 „ thusæ filius nobili genere, Libanii Sophi-
 „ stæ discipulus, & Andragathii philosophi.
 „ Evagrius condiscipulum in quiete vitæ i-
 „ mitatus, lectionibus sacris operam dedit. I-
 „ dem ut facerent, suavitudo Theodoro, & Ma-
 „ ximo condiscipulis, quorum alter Mopsue-
 „ stia in Cilicia, alter Seleucia in Isauria E-
 „ piscopus fuit. Habuerunt monasticæ discipli-
 „ næ institutores Diodorum, & Carterium.
 „ Fuit Diodorus postea Tarsi Episcopus, &
 „ scriptor multorum librorum piorum. Dege-
 „ bat Joannes cum Basilio Diacono a Mele-
 „ tio ordinato, qui postea fuit Casareæ Cap-
 „ padociæ Episcopus: Zenon Episcopus rever-
 „ sus ex Hierosolymis lectorem Antiochiæ
 „ Joannem fecit. Mox a Meletio Diaconus
 „ ordinatus est, multa scripsit. Ab Evagrio
 „ Paulini successore presbyter ordinatus “. *So-*
 „ *crates lib. 6. c. 19.* „ Joannes pulsus in exi-
 „ lium Comanis ad Pontum Euxinum sitis.
 „ Exivit e vita XVIII. Kalend. Decembris
 „ ad VII. consulatum Honorii, & Theodosii
 „ II. “ *Eadem dixit c. 2. & 3.*

„ Marcellinus Comes: „ Joannes Antiochiæ
 „ natus, ibique a Meletio Episcopo, & con-
 „ fessore lector Ecclesiæ ordinatus, per singu-
 „ los officii gradus ascendit. Diaconus per
 „ quinquennium divinos edidit libros, presby-
 „ ter 12. ann. plures confecit. Constantinopoli
 „ in locum Nectarii susceptus est indict. II.
 „ Honorio IV. & Eutychiano Coss. plura vo-
 „ lumina superioribus addidit; habuit inimicos
 „ Theophilum Alexandrinum, Epiphanium
 „ Cyprium, Aracium Beroënses, Antiochum
 „ Ptolemacensem, * Everianum Gabalensem,
 „ & Severianum Caldonensem “. (Calcedo-
 „ nensem scribo.) *Hujus Comiris chronicon ex-*
 „ *stat VII. lib. bibliothecae Patrum ad finem, post*
 „ *CALDONENSEM addit: „ Ob statuam Eudoxiæ*
 „ *in exilium missum in Cussum oppidum; post*
 „ *annum in Comanam villam in regione Pon-*
 „ *tica, ubi mortuus, & sepultus in atrio*
 „ *Basilici Episcopi, & martyris. Honorio*
 „ *VI. Aristene Coss. “ Plura in initio suorum*
 „ *operum. In præfat. ad antiquas collectiones*
 „ *Auctor eum nominat.*

* Sever.f.

CAPUT XIV.

De Tarasio Constantinop.

Matthæus monachus, ut supra: „ Tara-
 „ sius CP. ad Hadrianum Papam Ro-
 „ manum multis sacræ scripturæ testimoniis
 „ docet, maximum scelus esse, pecunias acci-
 „ pere ordinantem clericos “.
 Joannes Zonara: „ Interpretatio epistolæ
 „ Tarasii sanctissimi Patriarchæ CP. novæ
 „ Romæ ad Hadrianum Papam veteris Ro-
 „ mæ, ut non fiant ob pecuniam ordinatio-
 „ nes “.
 Theodorus Balsamon totidem verbis.
 Alexius Aristenus: „ Tarasii CP. Hadriano
 „ Romæ “.
 Nicephorus CP. Episcopus in chronico:
 „ Constantinopolitanus Episcopus LXXV.
 „ Paulus Cyprius diaconus orthodoxus, & con-
 „ fessor ann. 5. mens. 6. LXXVI. Tarasius
 „ a secretis ann. 21. dies. 2. LXXVII. Nice-
 „ phorus a secretis monachus factus expulsus
 „ ab Imperatore Leonte Armenio impio ann.
 „ IX. “ *De eo multa in actis concilii Nicæ-
 „ ni II. VII. synodo gener. Meminit ejus Au-
 „ ctor in præfatione ad Canones Pœnitentiales.*

CAPUT XV.

De Martino Bracarense Archiepiscopo.

Isidorus Hispalensis Archiepiscopus in libro
 „ de viris illustribus cap. 22. „ Martinus Du-
 „ miensis monasterii sanctissimi Pontifex ex
 „ orientis partibus navigans * Galatiam ven-
 „ nit, ibique universis ab Arriana impietate
 „ ad fidem catholicam conversis, Suevorum
 „ populis regulam fidei, & religionis constituit,
 „ Ecclesias informavit; monasteria condidit,
 „ copiosaque præcepta piæ institutionis com-
 „ posuit. Cujus quidem ego legi librum de dif-
 „ ferentiis quatuor virtutum, & aliud volu-
 „ men epistularum, in quibus hortatur vitæ
 „ emendationem, &c. Floruit regnante Theu-
 „ domiro Rege Suevorum, temporibus illis,
 „ quibus Justinianus in republica & Athana-
 „ gildus in Hispaniis Imperium tenuere “ *Ea-
 „ dem fere verba repetit in chronico Gotho-
 „ rum, Wandalorum, & Suevorum, agens de
 „ Theudomiro Rege, ubi commendatur ut cla-
 „ rus omni virtute, maxime orationis instantia,
 „ & elemosynarum largitione. Opus de diffe-
 „ rentiis quatuor virtutum est tom. 5. Biblio-
 „ th. Patrum: Vide ejus lib. de viris illustribus
 „ cap. 22. & 35.*

Gregorius Turonensis Archiepiscopus lib. 5.
 „ cap. 37. hist. „ Hoc tempore & B. Marti-
 „ nus Gallicienfis Episcopus obiit, magnum
 „ populo illi faciente planctum. Nam hic Pan-
 „ noniæ ortus fuit, & exinde ad visitanda lo-
 „ ca sancta in Orientem properans, in tantum
 „ se literis imbuit, ut nulli secundus suis tem-
 „ poribus haberetur. Exinde Galliciam venit,
 „ ubi cum B. Martini reliquiæ portarentur,
 „ Episcopus ordinatur. In quo sacerdotio im-

„ pletis plus minus triginta annis, plenus vir-
 „ tutibus migravit ad Dominum: Vericulos,
 „ qui super ostium sunt a parte meridiana in
 „ basilica S. Martini, ipse composuit “ *Vide
 „ eum etiam libro 1. de miraculis S. Martini
 „ cap. 11.*

Aimoinus de gestis Francorum lib. 3. cap.
 „ 38. vel 39. „ Ea tempestate B. Martinus Gal-
 „ licienfis migravit ad Dominum. Hic Panno-
 „ nia oriundus loca sancta in oriente circu-
 „ miens abunde se illis litteris imbuit, & Gal-
 „ liciam revertens, in basilica, quæ prima apud
 „ Hispanos in honore S. Martini dedica-
 „ ta est, Pontifex ordinatus, triginta in hoc
 „ officio explevit annos. Anno septimo Chil-
 „ deberti Regis, qui fuit vigesimus primus
 „ Chilperici, atque Guntranni stella cometes
 „ visa est in die sancto paschæ “.

Joannes Tritthenemius de scriptoribus Ecclē-
 „ siasticis: „ Martinus Episcopus Dumienfis cœ-
 „ nobii rector quondam, & Abbas, vir tam
 „ in divinis scripturis, quam in sæcularibus
 „ literis eruditus, veniens a partibus orientis
 „ in Galliam Suevorum populum doctrina, &
 „ miraculis ab Arriana impietate ad rectam
 „ fidem convertit. Regulas orthodoxæ fidei
 „ constituit, monasteria condidit, Ecclesias re-
 „ formavit. Scripsit ad Mironem Regem Gal-
 „ liciæ, De quatuor virtutibus Cardinalibus:
 „ Formulam honestæ vitæ: Epistularum librum
 „ plenum cultura virtutum. Claruit sub Theu-
 „ domiro Rege Suevorum, & Justiniano Imp.
 „ CP. anno DXL. “

Idem lib. 2. cap. 13. de viris illustribus or-
 „ dinis S. Benedicti: „ Martinus ex Abbate
 „ Dumienfis Cœnobii Episcopus Galliarum,
 „ &c. claruit anno DCL. “

Ex concilio Bracarense II. in princip. „ Re-
 „ gnante D. N. Jesu Christo, corrente æra
 „ DCX. anno 2. Regis Ariamiri. 18. Kalend.
 „ Januar. &c. Martinus Bracarenfis Ecclesiæ
 „ Episcopus dixit, &c. “

Et in fine: „ Martinus Bracarenfis Metro-
 „ politanæ Ecclesiæ Episcopus his gestis sub-
 „ scripsi “.

*De capitulis LXXXV. excerptis ex Orientis
 conciliis a Martino Bracarenfi.*

Præfatio sancti Martini Bracarenfis Episco-
 „ pi in librum capitulorum ex græcorum
 „ synodis collectorum: „ Nigefio Episcopo, vel
 „ universo concilio Lucensis Ecclesiæ Martinus
 „ Episcopus. “

„ Canones sancti, qui in partibus orientis
 „ ab antiquis patribus constituti sunt, Græco
 „ prius sermone conscripti sunt, postea autem
 „ succedenti tempore in latinam linguam trans-
 „ lati sunt. Et quia difficile est, ut simpli-
 „ cius aliquid ex alia lingua transferatur in a-
 „ liam; simulque & illud accidit, ut in tan-
 „ tis temporibus scriptores, aut non intelli-
 „ gentes, aut dormitantes multa præmittant;
 „ & propterea in ipsis canonibus aliqua simpli-

* in Gal-
 læciam.

„plicioribus videantur obscura, ideo visum
 „est, ut cum omni diligentia, & ea, quæ per
 „translatores obscurius dicta sunt, & ea, quæ
 „per scriptores sunt immutata, simplicius &
 „emendatius restaurarem id primum observans,
 „ut illa, quæ ad Episcopos, vel universum
 „clerum pertinent, una in parte conscripta
 „sint, similiter, & quæ ad laicos pertinent,
 „simul sint adunata: ut de quo capitulo sci-
 „re aliquis voluerit, possit celerius inve-
 „nire “.

Innocentius tertius libro 2. registri epistula
 121. Petro Compostellano: „ Ex epistula,
 „quam Martinus Bracarenfis Archiepiscopus
 „ex certa scientia dirigit ad Episcopos Lu-
 „censis concilii, &c. “

* Ant. Au-
 gustini Cen-
 sura.

* Hæc Martini Episcopi capitula pro Marti-
 ni Papæ in synodo decretis olim habebantur,
 atque ita mendose apud Gratianum, & alios
 legebantur ante Ant. Democharis editionem.
 Non sunt autem omnia e Græcis conciliis sum-
 pta, sed quædam sunt ex concilio Toletano
 primo, alia ex Bracarenfis; maxima vero
 ex parte sunt a Græcis sumpta. Aliquando non
 ita latina facta, ut Græce habentur, sed ex
 duobus, aut tribus capitibus diversorum con-
 ciliarum uno cap. conscripta. Debuit quoque
 singulis addere, unde fumerentur. Id ex nostra
 collectione elici poterit.

*Addit his potest Sigebertus, qui multa de
 hoc sancto viro, de illustribus scriptoribus
 Ecclesiasticis cap. 19. § 118. Tom. V. Bi-
 bliothecæ Patrum extant libri de quatuor vir-
 tutibus cardinalibus, column. 1322. § 1327.
 de moribus. Hujus sancti Archiepiscopi testa-
 menti meminit etiam concilium Toletanum
 X. in decreto 3. Inter collectores Latinos eum
 numerat Auctor in præfatione ad antiquas
 collectiones multa de ejus collectione 1. lib.
 de emendatione Gratiani dial. X. XI. XII.*

CAPUT XVI.

De Isidoro Hispalensi Episcopo.

BRaulio Episcopus Cæsaraugustanus in vi-
 ta Isidori: „ Isidorus vir egregius His-
 „palensis Ecclesiæ Episcopus, Leandri Epif-
 „copi successor, & germanus floruit a tempo-
 „re Mauritii Imperatoris & Reccaredi Regis
 „in quo * quidquam sibi antiquitas vindica-
 „vit, immo vero tempus antiquitatis, in eo
 „scientiam imaginavit, &c. Edidit libros dif-
 „ferentiarum duos, &c. Procemiorum librum
 „unum, &c. De ortu & obitu patrum librum
 „unum, &c. Ad germanum suum Fulgen-
 „tium Episcopum Astigitanum officiorum lib.
 „duos, &c. synonymorum lib. duos, &c. de
 „natura rerum ad Sisebutum Regem lib. u-
 „num, &c. De numeris lib. unum, &c. De
 „nominibus legis, & Evangeliorum lib. unum
 „&c. De hæresibus lib. unum &c. Sententia-
 „rum lib. tres, quos floribus ex libris Papæ
 „Gregorii moralibus decoravit. Chronicorum
 „a principio mundi usque ad tempus suum,

* quid-
 quid f.

„ &c. Contra Judæos postulante Florentia ger-
 „mana sua lib. duos, &c. De viris illustribus
 „librum unum. Monastica regulæ librum,
 „&c. De origine Gothorum, & regno Suevo-
 „rum, &c. Wandalorum historiæ librum u-
 „num. Quæstionum lib. duos, &c. Etymolo-
 „giarum codicem, &c. quem ego in XX. lib.
 „divisi, &c. Quanto vero flumine eloquentiæ
 „& quotiaculis divinarum scripturarum, seu
 „patrum testimoniis Acephalitarum hæresim
 „confuderit, synodalia gesta coram eo specia-
 „li astu declarant, & quæ contra Gregorium
 „præfatæ hæresis antistitem eam asserunt veri-
 „tatem. Obiit temporibus Heraclii Imperato-
 „ris & Christianissimi * Zintillani Regis: sa-
 „na doctrina præstantior cunctis & copiosior
 „operibus charitatis “.

* Chintila-
 ni

*Extat hoc opus initio
 operum D. Isidori, & in fine liber Ildefonsi
 de viris illustribus, de quo statim.*
 Ildefonsus Episcopus Toletanus in libro de
 viris illustribus cap. 9. „ Isidorus post Leandrum
 „fratrem Hispalensis sedis provinciæ
 „Baticæ cathedram tenuit, vir doctrina simul
 „& ingenio pollens, &c. scripsit opera exi-
 „mia, & non parva. Librum de genere offi-
 „ciorum. Librum procemiorum. Librum de or-
 „tu; & obitu patrum. Librum lamentationis
 „quem ipse synonyma vocitavit: Libellos
 „duos ad Florentiam sororem contra nequi-
 „tiam Judæorum. Librum de natura rerum
 „ad Sisebutum principem. Diversarum senten-
 „tiarum. Expositiones Sacramentorum,
 „qui liber dicitur quæstionum. Ad petitionem
 „Braulionis Cæsaraugustani Episcopi librum
 „Etymologiarum: in ejus opere diem extre-
 „mum consumpsit. Floruit temporibus Rec-
 „caredi, * Leuvani, * Veterici, Gundemari
 „Sisebuti, * Suntilani, & Sisenandi Regum
 „annis ferme quadraginta tenens pontificatus
 „honorem, insignemque; doctrinæ sanctæ glo-
 „riam pariter, & decorem “.

* Livuanis.
 * Vuetitici.
 * Suinti-
 lani.

Joannes Tritthenemius de scriptoribus Eccle-
 siasticis: „ Isidorus Junior Episcopus Hispalen-
 „sis post Leandrum, vir in divinis scripturis
 „eruditissimus, &c. Carmine excellens, & pro-
 „sa, non minus sanctitate, quam doctrina in-
 „signis effulsit. Hic dicitur Junior ad differen-
 „tiam senioris Episcopi Cordubensis, vel al-
 „terius etiam, qui eum præcessit, Hispalensis
 „Episcopi. Scripsit ad Braulionem Episcopum
 „Etymologiarum lib. XX. In Genesim alle-
 „gorias, &c. & in alios libros sacros. Inter-
 „pretationis veteris, & novi testamenti libros
 „duos, procemiorum lib. unum. Differentiarum
 „&c. Synonymorum, vel Soliloquiorum, &c.
 „De summo bono sententiarum libros tres.
 „De origine officiorum lib. duo. De sancta
 „Trinitate, de corpore, & sanguine Domini,
 „de officio missæ Decretum canonum. De
 „computo, & natura rerum. De proprietate
 „rerum. Sermonum Ecclesiasticorum dogma-
 „tum. Lamentum poenitentis. De astronomia.
 „Historiam, seu Chronicam libros tres, de
 „cosmographia. De Grammatica, & vocabu-
 „lis.

„ lis.

lis. Allegoriarum de hæresibus. Epistularum. Claruit sub Heracleona Imp. Heraclii filio anno Domini DCXXX, temporibus Sisebuti Regis Gothorum in Hispania, & catalogo Sanctorum insertus est 18. Kal. Febr. " In concilio Hispalens. II. in quo cap. 12. & 13. damnatur Acephalus Episcopus duarum in Christo naturarum proprietatem abnegans, & Deitatem passibilem asserens, subscriptio: " Isidorus in Christi nomine Ecclesiæ Spalensis Episcopus subscripsi " In concilio Toletano, VIII. cap. 2. " Nostri quoque sæculi doctor egregius, Ecclesiæ Catholice novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, & quod majus est, * jam sæculorum finitorum doctissimus, cum reverentia nominandus Isidorus in libro Sententiarum secundo, &c. " Regino in chronicis: Ann. DLXXII. " Heraclionas filius Heraclii cum matre sua Martina regnavit ann. 2. Circa hæc tempora Sinenandus, & post eum Chilitilla in Hispania regnaverunt. Synodus bis facta est Toleti, &c. Sub his Regibus Isidorus Hispalen. Ecclesiæ Episcopus floruit, nulli modernorum Doctorum postponendus, qui multa de fidei regulis, Ecclesiasticisque disciplinis disputavit "

De collectione conciliorum Isidori Hispalensis.

A Perte * Joann. Trittenham. ait decret. canonum hunc Isidorum scripsisse, & de Burchardo ait " magnum, & insigne opus decretorum post Isidorum scripsit ". Idem scribit Innocentius in historia de Ivone Carnotensi, ut ex Sebastiano Brantio cognovimus. Juvat hanc sententiam, quod legitur apud Isidorum lib. 6. cap. 16. etymolog. " Sed & si quæ sunt concilia, quam sancti patres, spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem, omni manent stabilita vigore: quorum gesta in hoc opere condita continentur ". Eadem refert Ivo Carnotens. lib. 2. tit. 11. cap. 22. panorm. & Gratian. dist. 15. cap. 1. & Raban. in etymolog. & Hugo sancti Victoris didascal. lib. 4. cap. 12. Ac mirari nequeo fati eorum negligentiam: cum neque Isidorus, neque Rabanus, neque Hugo gesta conciliorum in suis libris posuerint. Si quis dicat sumpsisse hæc Isidorum ex præfatione conciliorum, & oblitum esse ea verba omittere: ego potius convincam eum, qui præfationem scripserit, a libro etymologiarum permulta accepisse. Sed de duplici præfatione conciliorum mox agemus. Interea cum videam duos Antistites Braulionem, & Ildefonsum libros Isidori enumerasse, & nihil de conciliis dixisse; augeat suspicionem meam, ut putem, illa verba sumpsisse Isidorum ex aliquo veteri conciliorum libro. Sed fingamus, Isidorum collegisse aliquando concilia; non ideo sequitur, hanc eandem esse collectionem, quæ ejus nomine

Tom. III.

inscripto edita est: in qua permulta sunt post Isidori mortem conscripta, ut est sexta synodus generalis, & concilia Toletana VI. VII. & cætera, ad XIII. in editis, XVII. in veteribus, & Emeritense, & Bracarense III. Nec mihi obiiciatur Innocentiana historia, neve Trittenhamii, aut aliorum opinio, qui præfationem illam duplicem videre potuerunt Isidori nomine conscriptam, ut a Gratian. appellatur, dist. 16. c. 1. & 4. & ab Ivone Carnotens. lib. 2. tit. 11. cap. 39. panorm. & parte 4. cap. 107. decr. Vide etiam Grat. 35. q. 2. cap. 14. sane. Verba autem illa Isidori, quæ antea retulimus, Gelasii Papæ esse videntur in concilio LXX. Episcoporum: ita enim scribit: " Sed & si quæ sunt concilia a sanctis patribus hæctenus instituta, post horum auctoritatem, & custodienda & recipienda, & decernimus & mandamus ". Quæ verba sunt non solum in omnibus editis conciliorum libris, sed & apud Burchard. Vornat. lib. 3. c. 220. & Ivo dicto tit. 11. cap. 3. panorm. & part. 4. cap. 64. decr. & in lib. Casaraugust. lib. 1. cap. 33. & apud Gratian. dist. 15. cap. 3. SANCTA. in principio.

In decreto de scripturis apocryphis.

CAPUT XVII.

De altero Isidoro, cujus collectio in Hispania est, & de corpore canonum Hispaniensis, tempore Innocentii Tertii.

I NNOCENTIUS III. lib. 2. registr. epist. 121. Petro Compostellano Episcopo: " Emeritense vero concilium authenticum esse multis rationibus adstruebas: tum quia cum aliis conciliis continetur in libro, qui corpus canonum appellatur, quem Alexander Papa per interlocutionem authenticum approbavit; tum quia de ipso concilio sumptum est illud capitulum: PRISCIS QUIDEM CANONIBUS: quod continetur in corpore decretorum: est autem apud Gratian. 10. q. 3. cap. 2. mendose MEBECH appellatum ". *Emendatum jam in Romana editione ex Emeritensi.*

Præfatio Isidori in Hispaniæ bibliothecis: " Canones conciliorum a temporibus Constantini cœperunt: in præcedentibus namque annis, persecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas, &c. "

Sumuntur hæc ex Isidoro Hispalens. lib. 6. c. 16. etymolog. eadem refert Ivo lib. 2. tit. 11. cap. 16. & 20. & 21. & 22. panorm. & Gratian. dist. 15. cap. 1. & Hugo S. Victoris, lib. 4. cap. 11. & 12. didascal.

Sequitur in dicta præfatione post illa verba: QUORUM ET JAM GESTA IN HOC OPERE CONDITA CONTINENTUR: " In principio autem hujus voluminis Nicænam synodum constitutus propter auctoritatem ejusdem magni concilii. Deinceps diversorum conciliorum Græcorum, & Latinorum, sive quæ antea, sive quæ postmodum facta sunt sub ordine numerorum, ac temporum capitulis suis distincta, sub hujus voluminis aspectu locavit

F f

mus;

* in sæculorum fine

* Antonii Augustini Censura.

„ mus; subiicientes etiam decreta Præfulum
 „ Romanorum, in quibus pro culmine Sedis
 „ Apostolicæ non impar conciliorum exstat
 „ auctoritas. Quatenus Ecclesiastici ordinis di-
 „ sciplina in unum a nobis coacta, atque di-
 „ gesta, & sancti Præsules paternis instruantur
 „ regulis, & obediens Ecclesiæ ministri, vel
 „ populi spiritualibus imbuantur exemplis. Ca-
 „ nones autem, qui dicuntur Apostolorum,
 „ seu quia eosdem nec sedes Apostolica reci-
 „ pit, &c. “

Quæ sequuntur, inuenies apud Gratian, dist.
 16. cap. 1. „ Et post apocrypha deputata:
 „ Canon autem græcæ, latine regulæ nuncu-
 „ patur. Regulæ autem dicta, &c. “ ut apud
 Gratian. dist. 3. cap. 1. & 2. & Hugo didalc.
 lib. 4. cap. 11. quæ sunt etiam Isidori Hispa-
 lens. verba, dicto cap. 16. libri sexti etymolog.

Et post illa, PRAVUMQUE CORRIGAT; „ Sy-
 „ nodum autem ex Græco interpretari, &c. “
 ut apud Grat. dist. 15. cap. 1. in fine, & Hugo
 cap. 12. ubi supra, quæ etiam Isidori Hispa-
 lens. verba sunt: dicto cap. 16.

Finis præfationis: „ Concilium a societa-
 „ te multorum in unum, &c. “

*Index eorum, quæ in hac collectione
 posita sunt.*

Capitula Græciæ; Canones Nicæni concilii,
 Ancyritani, Neocæsariensis, Gangrensis,
 Sardicensis, Antiocheni, Laodicæ Parygiæ,
 Constantinop. CL. Episcoporum, Constantinop.
 CLXIII. Episcoporum, Ephesini primi,
 Chalcedonensis. Epistula formata Attici
 CP. Episcopi: Concilia Africa: Synodus
 Carthaginis, Africa prima, sic secunda, ter-
 tia, quarta, quinta, sexta, septima. Synodus
 Africa in Milevitana urbe habita. Concilia
 Gallia, Arelatense primum, secundum, ter-
 tium. Valentinum, Tauritanum, Regiense,
 Arausicum primum, secundum: Valense pri-
 mum, secundum: Agatheale, Aurelianense I.
 II. Epaunense, Carpentoracense, Arvernense
 primum, secundum. Concilia Hispania: Con-
 ciliium Eliberitanum, Tarracohense, Gerun-
 dense, Cæsaraugustanum, Ilerdense, Valenti-
 num, Toletanum primum, secundum, ter-
 tium, quartum, quintum, sextum, septimum,
 octavum, nonum, decimum, undecimum, duo-
 decimum, decimumtertium, decimumquar-
 tum, decimumquintum, decimumsextum, de-
 cimumseptimum: Bracarense primum, secun-
 dum, tertium. Capitula ex Orientalium pa-
 trum synodis a Martino Episcopo, Hispanense
 primum, secundum: Emeritense.

Epistula Pontificum Romanorum: Damasi
 ad Paulinum, Syrici, Innocentii, Zosimi, Bo-
 nifacii, Cælestini, Leonis, Hilarii, Simplicii, Fe-
 licis, Gelasii, Anastasii, Symmachi, Ormisidæ,
 Vigilii, Gregorii.

* Ant.
 Augustini
 Censura.

* Si præfationem tantum, & Romanorum
 Pontificum decreta consideremus; Isidori His-
 palensis Episcopi esse hæc collectio potest. I-

dem dicendum est de conciliis Græciæ, Afri-
 cæ, & Gallia. At si concilia Hispania respi-
 ciamus, dicere cogimur, alium esse, & extre-
 mis Gothorum temporibus vixisse, quibus con-
 ciliium Toletanum decimum septimum habi-
 tum est, anno Christi DCXCIV. Egicani
 Regis anno septimo. Sed & superiora concilia
 Toletana a sexto, quod habitum est anno se-
 cundo Chintilani Regis, Christi DCXXXVIII.
 post mortem Isidori Hispanens. habita sunt.
 Eadem ratione Emeritense, & Bracarense ter-
 tium videre non potuit. Quisquis tamen hic
 Pseudisidorus fuerit nobis auxilio fuit tum in
 Græcis regulis, quas aliter latinas edidit, quam
 Dionysius, atque Martinus Bracarensis fece-
 rant: tum in permultis Carthaginensibus con-
 ciliis, & aliis Gallia, & Hispania, quæ hac
 ratione conservata ad nos pervenerunt. Quod
 vero aliqui putant, post Isidorum addita fuisse
 huic collectioni illa, quæ diximus, concilia
 posteriora; fieri id quidem potuisse non nega-
 mus: sed illa, quæ ex etymologiis sumpta
 sunt, posteriorem esse demonstrant; & index
 horum conciliorum in titulos aliquos discretus,
 in quibus omnium conciliorum habetur ratio,
 quem indicem vidi, qui eidem Isidoro adscri-
 berent; sed vehementer falluntur; nam ipse se
 scriptor prodit his carminibus ineptis usus;
 quæ detegunt eum adolescentem fuisse tum pri-
 mum manum ferulæ subtrahentem.

CAPUT XVIII.

*De tertio Isidoro, cognomento Mercatore,
 sive Peccatore, cuius collectio edita
 est Parisiis anno M. D. XX.*

Initio hujus collectionis ante præfationem
 scriptum est: „ Origo conciliorum genera-
 „ lium. Quo tempore concilia celebrari cœpe-
 „ runt, & de quattuor conciliis. Canones ge-
 „ neralium conciliorum, a temporibus Con-
 „ stantini, &c. “ ut apud Isidorum Hispanens.
 lib. 6. c. 16. etymolog. & in præfatione alte-
 rius Pseudisidori. Finis eorum verborum est:
 „ Quorum etiam gesta in hoc * corpore con- * opere
 „ dita continentur “.

Postea additur hic titulus: „ Item de syno-
 „ dis principalibus, quibus in locis, quibus
 „ pro causis, quibus temporibus, quibus au-
 „ ctoribus celebratae sint. Prima synodus in
 „ Nicæa, &c. “ ut apud Gratian. distinct.
 16. capit. 10. PRIMA AUTEM. Quæ verba
 Isidori Hispanens. non sunt, quia hic agitur de
 sex generalibus synodis: & is ante sextam sy-
 nodum moritur. Sed & idem ignorasse videtur
 quintam generalem synodum, in qua Theodo-
 rus Mopsuestenus damnatus est, & Iba epistu-
 lam ad Marin Persam, & Theodoriti capitula
 contra B. Cyrillum scripta. Hæc sunt tria il-
 la capitula, de quibus fuit olim magna con-
 tentio ante quintam synodum: cum in illa
 quinta generali synodo damnatus fuerit Theo-
 dorus, & illa alia duo capita epistulae Iba, &
 scriptorum Theodoriti, Isidorus nimis laudat
 hunc

hunc Theodorum, & ait ab Acephalis Episcopis fuisse damnatum. In lib. de viris illustribus, & in etymologiis, Acephalis obiicit trium capitulorum damnationem. In Hispalensi vero secundo concilio præclare in Acephalum Episcopum invehitur, negantem duas Christi naturas, & deitatem passam esse asserentem.

Sequitur annotatio synodorum, quarum gesta in hoc codice continentur; „ Prima annotatio Ancyranæ synodi “ (sic enim scribo, non Aquitanæ, ut in edito libro est, sive Anquiritanæ, ut olim scripserunt.) Cætera habet Gratian. distinct. 16. cap. 11. PRIMA. Hæc unde sumpta sint, ignoramus.

Postea duæ epistulæ referuntur Aurelii Carthaginensis Episcopi, & Damasi Papæ: Has existimo inventas cum epistulis Clementis, & aliorum Pontificum, qui fuerunt ante Damasum, quæ neque in collectione Hispaniensi, neque in corpore canonum legebantur.

Sequitur præfatio Isidori: „ Isidorus servus Christi lectori conservo suo, & parenti in Domino fidei salutem “. Post vocem ISIDORUS, additur in veteri libro MERCATOR: sic etiam est apud Ivonem part. 4. c. 107. de cr. & in margine est PECCATOR; at vox LECTORI, illic non est, neque vox FIDELI: sed ita scriptum est: „ Ex præfatione Isidori in opus canonum: „ Isidorus Mercator servus Christi conservo suo, & parenti fidei in Domino salutem “. Et lib. 2. tit. 11. c. 39. Panorm. „ Epistula Isidori in capite canonum. Isidorus servus Christi lectori conserto suo “; sic est in edito. At in veteri libro: „ Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo “. Apud Grat. dist. 16. cap. 4. vel potius 5. est: „ Epistula Isidori in capite canonum: Isidorus servus Christi lectori suo conservo “. „ Verba Isidori Mercatoris: „ Compellor a multis tam Episcopis, quam reliquis servis

* Dei

„ Christi canonum sententias colligere, & in uno volumine redigere, & de multis unum facere. Sed hoc me oppido conturbat, quod diversæ interpretationes varias sententias faciunt: & licet unus sit sensus, diversæ tamen sunt sententiæ, & aliæ longiores, aliæ breviores. Ea vero concilia, quæ Græco sunt edita stilo, amplius quam tripliciter, aut quadrupliciter interpretata, atque conscripta reperimus. Quod si veritas est quærenda, e pluribus Græcorum sequamur stylum, eorumque imitemur dictiones, atque exemplaria. Sin minus, ipsi dicant, atque exponant, quibus tot sunt exemplaria, quot codices. Nobis tamen videtur, cum in nostro discrepaverint sermone, ut unitas, & veritas ab ipsis quærenda sit, quorum lingua edita esse noscuntur. Quod & nos fecimus: & sicut a veris eorum reperimus magistris, in volumine, cui hæc præponitur præfatiuncula, inferere curavimus “.

Hæc mihi videtur non Isidori esse, sed Hieronymi verba in prologo in Josue, & in quatuor evangelia. Quæ sequuntur, Isidori Hispal. sunt.

„ Canon autem græce, latine regula nuncupatur. Regula autem dicta, &c. “ ut apud Gratianum dist. 3. c. 1. & 2. & Hug. S. Viet. didascal. lib. 4. c. 11. & Pseudisidorum in præfatione Hispan. collectionis; qui sumunt ex Isid. Hisp. l. 6. c. 16. etimolog.

Post illa: „ pravumque corrigat: Synodum autem ex Græco, &c. “ ut apud Gratian. dist. 15. c. 1. in fine, & Hug. dicto lib. 4. c. 12. & Isid. Hispal. dicto c. 16. & alterum Isidor. d. præfatione Hispan.

Et post illa: „ a societate multorum in unum: In principio vero voluminis hujus, qualiter concilium apud nos celebratur, posuimus: ut qui nostrum ordinem sequi voluerint, sciant qualiter hoc agere debeant. Qui autem hoc agere melius elegerint, faciant, quod iusto, canonicoque, atque sapientissimo concilio judicaverint. Denique propter eorum auctoritatem, cæteris conciliis præposuimus canones, qui dicuntur Apostolorum, &c. “ ut apud Gratian. dist. 16. c. 4. vel 5. & Ivon. lib. 2. tit. 11. cap. 39. Panorm. & p. 4. c. 107. Decr.

Post verba: „ canonicas posuerunt constitutiones. Deinde quorundam epistularum decreta [virorum] Apostolicorum interseruimus: id est, Clementis, Anacleti, Evaristi, & cæterorum Apostolicorum, quos potuimus hæcenus reperire, epistulas ulque ad Silvestrum Papam. Post modum vero Nicænam synodum constituimus, &c. “ ut in præfatione Hispan.

Post illa: „ sub hujus voluminis aspectu locamus “ (vel locavimus, ut est in veteri, & in Hispan.) „ Subiicientes etiam reliqua decreta Præfulum Romanorum usque ad S. Gregorium, & quædam epistulas ipsius, in quibus, &c. “ ut in Hispan.

Post illa: „ imbuantur exemplis. Et non malorum hominum pravitatibus decipiantur. Multi enim pravitate, & cupiditate depressi accusantes sacerdotes depresserunt, &c. “

Et post alia: „ Scire autem vos volo octuaginta Episcopos, qui hoc opus me incipere & perficere coegistis, & cunctos reliquos Domini sacerdotes oportet, quod plura, quam illa viginti capitula, quæ apud nos habentur, Nicæanæ synodi reperimus, & in decretis Julii Papæ septuaginta capitula ejusdem synodi esse debere legimus, &c. “

Et postea: „ nobis autem quidam [e consortio] fratrum nostrorum Orientales testati sunt, se vidisse concilium Nicænum, habens potiore quatuor evangeliorum magnitudinem, continens in se sessiones Episcoporum, & introductiones, judicialeque querimoniarum, atque definitiones, & constitutiones, nec non & subscriptiones eorum. Ad cujus similitudinem magnum Chalcedonense concilium conscriptum esse confirmaverunt. Et demum alia CP. condita: unum videlicet sub Justiniano Imperatore contra Dei impugnatores, Origenem, Didymum,

” & Evagrium: & aliud temporibus Agathonis Papæ, & Constantini Imperatoris contra Macarium Episcopum, & Stephanum, &c.“

” Item: „ Nosse etiam oportet, licet cætera non infirmentur, quatuor esse principalia concilia, ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenent Ecclesiæ tam de Patris, & Filii, & Spiritus sancti divinitate, quam de prædicti Filii, & Salvatoris nostri incarnatione. Prior harum Nicæna synodus, &c.“ ut Gratian. distinct. 15. cap. 1. & Hugo dicto lib. 4. cap. 12. & Ivo lib. 2. tit. 11. cap. 16. 20. 21. & 22. Panorm. ex Isidoro Hispalens. d. cap. 16. lib. 6. etymol.

” Post: „ stabilita vigore. Primo quidem ordo, ut prædictum est, de celebrando concilio insertus habetur, & postmodum canonum Apostolorum, ac primorum Apostolicorum, id est, a S. Clemente usque ad S. Silvestrum sequens ordinem suum“. In veteri libro est: decretorum, atque diversorum conciliorum brevium interpolatur, sequens ordinem suum“.

” Eadem verba sunt apud Ivonem dicto tit. 11. cap. 39. in fine Panorm. & part. 4. cap. 107. Decret. & apud Gratian. distinct. 16. cap. 4. vel 5. in fine.“

De ordine collectionis Isidori Mercatoris.

ORdo de celebrando concilio. Canones Apostolorum 50. Decreta Clementis Papæ, & martyris, Anacleti, Evaristi, Alexandri, Sixti (vel Xysti) Telephori, Hyginii, Pii, Anicii (vel Aniceti), Soteris, Eleutherii, Victoris, Zepherini, Callixti (vel Callisti), Urbani, Pontiani, Anterii, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Sixti (vel Xysti) secundi, Dionysii, Felicis, Eutychiani, Caii, Marcellini, Marcelli, Eusebii, Melchiadis (vel Melciadis.) De primitiva ecclesia, & edicto Constantini. Concilium Nicænum. Fides Gregorii majoris. Concilium Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicente, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense. Edictum Marciani Imperatoris: Sacra Valentini, & Martiani Augg. Edictum Marciani Imp. contra hæreticos. Epistula formata qualiter debet fieri. Concilium Carthaginense I. II. III. IV. V. VI. VII. Milevitanum. Concilium Arelatense I. II. III. Valentinum. Taurinate. Regiense. Araucicum. Valense. Agathense. Aurelianense. Concilium Elibertinum, Tarraconense, Cerundense. Cæsaraug. Ilerdense, Valentinum, Toletanum, I. II. &c. XII. XIII. Bracar. I. II. Liber capitulorum ex diversis conciliis B. Martini Bracar. Episcopi. Concilium Bracarense III. Hispal. I. II. Excerptiones ex decretis Silvestri Papæ. Decreta Marci Papæ, Julii, Liberii, Felicis secundi, Damasi, Syricii, Anastasii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Celestini, Sixti (vel Xysti)

tertii, Leonis, Hil. Simplicii, Felicis (tertii), Gelasii, Anastasii, Symmachi. Liber Ennodii Papæ (vel Episcopi Ticinensis) Decreta Hormisdæ, Joannis, Felicis (quarti) Bonifacii (secundi) Joannis (secundi) Agapiti, Silverii, Vigili, Pelagii, Joannis (tertii), Benedicti. Pelagii (secundi), Gregorii I. II. Vitaliani, Martini, Gregorii tertii, Zachariæ. His adduntur acta quintæ, & sextæ synodi generalis, item Constantiensis, & Basiliensis synodi. Sed hæc duo posteriora concilia Jacobi Merlini sunt, illa priora Mercatoris fortasse.

Cum * ad Gregorium III. & Zachariam Papam hæc collectio perducatur: satis ostendit non esse Isidori Hispalensis. Fuit enim electus Zacharias mortuo Gregorio anno Christi DCCXXXI. Hispania capta a Mauris. Illi vero octuaginta Episcopi, ad quos mittitur hæc collectio, nunquam in Hispania fuerunt: in Africa fuisse aliquando scimus, & multo plures, non tamen Zacharia Pontifice; miseram enim servitutem serviebant Christiani in Africa, & in Hispania illis temporibus. At fingamus hanc collectionem Italicam esse: cum multi Episcopi in Italia semper fuerint. Repugnat numerus annorum ita scriptus, ut fieri in Hispania tantum, & in Africa solebat; hoc est, æra Cæsaris: qui numerus annis Christi major est triginta octo annis. Repugnat, quod nulla concilia hic ponantur Italica. At Africana, Gallica, & Hispanica satis diligenter collecta sunt. Magnaque ex parte hæc collectio sumpta est ex Hispaniensi Pseudisidori, de qua diximus, collectione. Ille tamen certiora refert, ab apocryphis manum abstinere: hic nihil relinquit, quod displiceat. Sic videas hic Apostolorum canones ab illo rejectos, ut apocryphos: illic nihil supra Damasum ex decretis Pontificum, ut in corpore canonum; hic etiam concilii Laryisai mentionem fecit, & canonum septuaginta Nicæni concilii, & Rufini interpretationem Clementis epistularum non omittit. Sunt tamen non pauca, quæ huic debeamus præclara; tum quod illa ipsa, quæ habet alter collector consecuti citius sumus; tum quod addidit alia post Gregorium edita, item aliam interpretationem 50. canonum Apostolorum. Et in epistulis Pontificum ante Damasum, vel Syricium, multa consecuti sumus. Sed illud maximum est, quod fontes habuerimus multorum capitum, quæ apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum legebamus.

De sancto Isidoro, & de altero Hispanico, quem Pseudisidorum auctor vocat, & de Mercatore meminit in libris de emendatione Gratiani: & in dial. 6. lib. prioris refert præfationem Pseudisidori, & Mercatoris duplicem, contraria de canonibus Apostolicis statuentem: cum prima illos reiiciat, hæc altera amplectatur. In præfatione ad collectiones antiquas, utrumque Isidorum Pontificum Romanorum epistulas, & omnium conciliorum decreta collegisse asserit.

* Anton. Augustini Censura.

CAPUT XIX.

De Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi.

EX Pontificali in vita Vitaliani Papæ : „ Im-
 „ perator Constantinus die XV. Julii.
 „ XII. Indict. in balneo occisus est. Eodem
 „ tempore missi sunt a Vitaliano Papa in Bri-
 „ tanniam Theodorus Archiepiscopus, & Ha-
 „ drianus Abbas, utriusque doctissimi, qui * plu-
 „ res ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasti-
 „ cæ fruge fecundarunt. Ex quibus Theodorus
 „ Archiepiscopus peccantium judicia, * quot
 „ scilicet annis pro uno peccato quis pœnite-
 „ re debeat, mirabili, & discreta consideratio-
 „ ne descripsit “.

Aimoinus de gestis Francorum lib. 4. cap.
 32. „ Constantini Imperatoris temporibus Vi-
 „ talianus Papa Theodorum Archiepiscopum,
 „ & Hadrianum Abbatem in Britanniam di-
 „ rexerit ad corroborandam, quam B. Grego-
 „ rius in Anglorum gente severat, fidei Chri-
 „ stianæ segetem “.

Ado in chronicis. Anno DCXLI. „ Con-
 „ stantinus filius Constantini imperavit annis
 „ 28. Vitalianus Papa Theodorum Archiepis-
 „ copum, & Hadrianum Abbatem virum san-
 „ ctum, atque doctissimum in Britanniam
 „ mittit, qui plurimas ecclesias Anglorum do-
 „ ctrina ecclesiastica fecundarunt. Constanti-
 „ nus Imperat. indict. 12. & paulo post : Vi-
 „ talianus Papa (*Obiit*) ann. DCLXIX. Con-
 „ stantinus filius Constantini superioris anno
 „ XVII. “

Beda l. 4. cap. 1. ecclesiast. hist. gentis An-
 „ glor: „ Sedi Apostolicæ tempore illo Vitalia-
 „ nus præerat. Erat in monasterio Niridiano
 „ non longe a Neapoli Campaniæ Abbas Ha-
 „ drianus vir natione Afer, sacris literis di-
 „ ligenter imbutus, & monasterialibus simul,
 „ & ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ
 „ pariter, & latinæ Linguae peritissimus. Hunc
 „ ad se accitum Papa Episcopatu accepto Bri-
 „ tanniam venire, &c. “

Et postea : „ Erat ipso tempore Romæ mo-
 „ nachus Hadriano notus nomine Theodorus,
 „ natus ex Tharso Ciliciæ, vir & sæculari,
 „ & divina literatura Græcæ, & Latine instru-
 „ ctus, probus moribus, & ætate venerandus,
 „ id est, annos habens ætatis 66. Hunc offe-
 „ rendens Hadrianus Pontifici, ut Episcopus or-
 „ dinaretur, obtinuit, &c. “

Deinde post alia : „ Ordinatus est Theodo-
 „ rus a Vitaliano Papa anno Dominicæ Incar-
 „ nationis DCLXVIII. die VII. Kal. April.
 „ & cum Hadriano VI. Kal. Jun. Britanniam
 „ missus est “.

Et cap. II. „ Pervenit Theodorus ad eccle-
 „ siam suam secundo post consecrationem an-
 „ no VI. Kal. Jun. & fecit in ea annos XXI.
 „ mens. III. dies XXVI. “

Et cap. 5. „ Anno Dom. Incarn. DCLXX.
 „ anno 2. adventus Theodori, Ofuvi Rex Nor-
 „ dam Humbrothum moritur XV. Kal. Mart.

„ Egfridum filium regni hæredem reliquit.
 „ Cujus ann. 3. Theodorus concilium cogit
 „ Episcoporum. Ejus verba sunt, &c. Ann.
 „ DCLXXIII. 24. Sept. Indict. 1. quo anno
 „ Rex Cantuariorum obierat Egbertus mense
 „ Julio, succedente fratre Lothere “.

Et cap. 6. Altera synodus refertur ejusdem
 Theodori : „ Imperantibus Egfrido Rege Hum-
 „ bronensium anno 10. die 15. Kal. Octobr.
 „ Indict. 8. & Edilredo Rege Mercinens. ann.
 „ 7. & Alduulfo Rege Estranglorum ann. 17.
 „ & Lothario Rege Cantuariorum ann. 7.
 „ Præsidente Theodoro Archiepiscopo Britan-
 „ niæ insulæ, & civitatis Dorovernis. Reci-
 „ piunt quinque synodos generales, & syno-
 „ dum Martini Papæ Indict. 8. Imper. Con-
 „ stantini anno 9. “

Idem Beda in epilogo ejusdem histor. eccles.
 „ Ann. DCLXVIII. Theodorus ordinatur E-
 „ piscopus. Ann. DCLXXIII. Egbertus Rex
 „ Cantuariorum obiit, & synodus facta est ad
 „ Herudforda præsentem Egfrido Rege, præsi-
 „ dente vero Theodoro Archiepiscopo, capi-
 „ tula 10. Ann. DCLXXX. synodus in Cam-
 „ po Hedfelda de fide catholica [præsentem
 „ Archiep. Theodoro.] Ann. DCXC. Theo-
 „ dorus Archiepiscopus obiit “.

Idem Beda lib. de sex mundi ætatibus :
 „ anno CCCCLXXXIII. DC. XXII. mundi.
 „ Martino in exilio defuncto Vitalianus ait,
 „ successit ei in Pontificatu, ab eoque Theodo-
 „ rus Archiepiscopus, & Hadrianus Abbas in
 „ Angliam missi sunt “ . Vide eundem libro
 „ questionum quest. 3. tom. 8.

Rabanus in epist. ad Humbertum Episcopum :
 „ quota generatione licitum sit connubium :
 „ Similiter & in Theodori Archiepiscopi gen-
 „ tis Anglorum capitulis, quæ de necessariis
 „ rebus conscripsit, invenimus, quod in tertia
 „ propinquitate carnis secundum Græcos liceat
 „ nubere ; in quinta vero secundum Romanos.
 „ Et postea : Hunc autem Theodorum Thar-
 „ so Ciliciæ natum, Vitellianus Papa Romæ
 „ Episcopum ordinans, Britanniam misit : un-
 „ de etiam Orientalium ecclesiarum consuetu-
 „ dinibus pleniter institutus fuerat ; nec eum
 „ aliqua latere potuerunt, quæ in observatio-
 „ nibus legitimis Græci, vel Romani eo tem-
 „ pore habuerunt, maxime cum in utraque lin-
 „ gua perfecte instructus esset “.

Regino in chronicis : „ Anno Dom. Incar-
 „ nationis DLXXVI. Constantinus filius *

„ Constantii, filii Hæraclii, regnavit ann. 28. “
 „ Et post alia : „ Per id tempus Theodorus
 „ Archiepiscopus, & Hadrianus Abbas doctis-
 „ simus a Vitelliano Papa missi sunt in Bri-
 „ tanniam, plurimasque ecclesias Anglorum
 „ doctrinæ Apostolicæ fruge fecundarunt. E-
 „ quibus Theodorus Archiepiscopus peccan-
 „ tium judicia, quantis scilicet annis pro uno
 „ quoque peccato quis pœnitere debeat, mi-
 „ rabili, & discreta consideratione describit “.
 „ Siebertus in chronicis : „ Ann. DCLXVIII.
 „ Theodorus Archiepiscopus, & Hadrianus,

„ Ab-

* Pluri-
mas

* Quan-
tis

* Constan-
tini f.
Eisdem ver-
bis utitur
Beda in l.
de temporibus
apud I-
vonem p. 4.
c. 146. de-
cret.

„ Abbas a Vitelliano Papa in Angliam diriguntur. Ann. DCLXXIV. Theodorus in Anglia synodo habita constituit multa ecclesie utilia. Hic Theodorus scripsit poenitentialem librum mirabili, & cauta discretione distinguens modum singularum culparum. Ann. DCXC. Theodorus Archiepiscopus Anglorum obiit “.

Joann. Trittenhamius de scriptorib. eccles. Theodorus septimus Archiepisc. Cantuariens. a Vitelliano Papa consecratus, natione Græcus ex Tarso Ciliciæ monachus ordinis nostri in urbe Romana: vir in divinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis nulli suo tempore secundus, Græco, & Latino sermone peritissimus. Carmine quoque excellens, & prosa; & non minus sanctitate, quam scientia clarus: habita synodo in Anglia, multa ad Anglicanæ ecclesie utilitatem constituit. Scripsit autem inter cætera ingenii sui monumenta egregium opus de qualitate poenitentiae injungendæ de his, qui in multis criminibus deliquissent, cujus operis titulus est: Poenitentiale Theodori, & epistulae ad diversos. Moritur non sine opinione sanctitatis sub Justiniano minore Imper. ann. DCXC. Ind. 3. ætatis 78. Episcopatus 22. “.

Idem lib. 2. cap. 18. de viris illustr. ordin. S. Bened. „ Theodorus monachus Romanus natione Græcus a Vitelliano Papa septimus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia destinatus, vir in divinis scripturis valde eruditus, & in observantia catholice traditionis studiosissimus, habita synodo in Anglia multa ad utilitatem ecclesie constituit. De cujus laude, sanctissimisque laboribus Beda in 4. & 5. eccles. histor. pluries fecit mentionem. Scripsit autem librum de poenitentia qualitate notabilem, quem Gratianus Decreti compilator sæpe allegat. Moritur ann. Dom. DCXC. Indiæ. 3. ætatis suæ 88. Pontif. 22. “.

De eodem lib. 3. cap. 114. & 115. addit: „ ex Tarso Ciliciæ, & sanctus appellatur, ut etiam sanctus Hadrianus ejus comes Abbas Heridanensis cœnobii non longe a Neapoli Campaniæ, natione Afer. “.

Item lib. 4. cap. 60. pro CANTUARIENSI ait: „ Dorvernensis septimus Archiepiscopus a Vitelliano Papa ordinatus “.

Ex poenitentiali Theodori multa sumpta sunt apud Burchardum Vormatiensem, & Ivonem Carnotensem, & Anselmum Lucensem, & Gratianum. Item apud Bernard. Papiens. in 1. collect. Decretal. & apud Gregor. IX.

* Ant. Augustini Centura.

* Hic primus videtur apud Latinos de poenitentiis scripsisse: quem sequutus est Beda ejus fortasse discipulus. Sumpsit poenitentiæ Theodorus Græcus ex Basilio, & aliis Græcis patribus, ita videtur eorum acerbitatem, ac severitatem sequi. Quæ res effecit, ut paulatim hæc ratio puniendi delicta abolita sit. Sed male in contraria lapsi sumus: ut dum acerbita-

tem fugimus, favemus morbis, vel fovemus potius hæc crimina impunitate data.

Hujus etiam meminisse Auctor in præfatione ad canones poenitent.

CAPUT XX.

De venerabili Beda presbytero.

EX verbis ejusdem Bedæ in fine histor. eccles. in epitome: „ Beda Dei famulus, & presbyter monasterii beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, quod est ad Wirimudam, & Ingiruum, qui natus in territorio ejusdem monasterii, cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reverendissimo Abbati Benedicto, ac inde Ceolfrido, &c. XIX. vitæ anno diaconatum. XXX. gradum presbyteratus ab Episcopo Joanne, jubente Ceolfrido Abbate, suscepi. Uique ann. LIX. ætatis hæc scripsi, in vetus, & novum testamentum, &c. Librum epistularum: Item de historiis sanctorum: De sancto Felice confessore: De sancto Anastasio martyre: De vita S. Cudberti monachi, & Antistitis: Historiam Abbatum hujus monasterii Bened. Ceolfridi, Wertberti lib. 2. Historiam eccles. gentis nostræ lib. 5. Martyrologium: Hymnorum librum: Item epigrammaton: De natura rerum, & de temporibus: De temporibus librum majorem: De orthographia: De metrica arte lib. duos: De schematibus & tropis, hoc est, de figuris & modis elocutionum sacre Scripturæ “.

Epitaphium ejusdem.

Beda Dei famulus, monachorum nobile sydus.

Finibus e terræ, prostruit ecclesie.

* Soles iste patrum scrutando per omnia sensum,

Eloquio viguit, plurima composuit.

Annos in hac vita ter duxit vite triginta, Presbyter officio, utilis ingenio.

Junii septenis viduatus carne Kalendis, Angligena Angelicam commeruit patriam.

* Solers f.

Obiit anno ab Incarn. DCCXXXV. ab obitu B. Gregorii Papæ CXXVII.

Joann. Trittenhamius de scriptor. eccles. „ Beda monachus, & presbyter monasterii sanctorum Petri, & Pauli in Anglia, ordinis S. Benedicti, vir in divinis scripturis studiosissimus, & valde eruditus, atque in sæcularibus literis peritissimus, philosophus, astronomus, calculator, & poeta insignis, Græci sermonis non ignarus, ingenio præstans, eloquio non curiosus, dulcis tamen, & compositus. „ Cum esset septem annorum &c. “ (ut supra Beda.) „ Scripsit (ultra supra scripta) Scintillarum ex sententiis Patrum: Flores B. Gregorii in cantica: Gesta diversorum Sanctorum: De passione S. Felicis: Vitam S. Alberti Episcopi libris duobus: Chronicam sui cœnobii libris duobus: De locis sanctis, &c. Moritur sub

„ Leo-

„ Leone Imp. anno DCCXXXIII. Indiēt.
 „ XV. ætatis LXXII. prid. Kal. Junii “.
 „ Eadem scribit lib. 2. c. 21. de viris illustr.
 „ ordin. S. Bened. „ Moritur ann. DCCXXXIII.
 „ Indiēt. I. ætatis ann. LXXII. “
 „ Et lib. 3. c. 155. INTER SANCTOS. additur;
 „ Hujus doctrina tanto pretio digna habita
 „ est, ut Sergius Papa ab urbe Roma Ceol-
 „ frido Abbati ejus scripserit in Angliam, pe-
 „ tens eum, & exhortans, ut sine omni con-
 „ tradictione famulum Dei Bedam ad limi-
 „ na destinaret Apostolorum, eo quod ejus
 „ præsentia in arduis causis fidei, ecclesiæ Dei
 „ valde utilis esset, & necessaria, &c. Nullus
 „ unquam Nonnum Bedam vidit otiosum,
 „ &c. “

Epitaphium.

*Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus.
 Dona, Christe, animam in cælis gaudere per
 ævum:*

*Daque Sophia illum inebriari fonte; cui iam
 Suspiravit ovans intento semper amore.*

„ Fuit primo sepultus in cœnobio suo, ac post-
 „ ea cum sancto Cunthiberto in Dunelim
 „ translatus dicitur. Obiit, &c. cujus natale
 „ 7. Kal. Junii colitur “.

„ Marianus Scotus lib. 2. chronicorum: „ An-
 „ no DCLXXVIII. sanctus Beda presbyter
 „ Anglicus computator his temporibus clarus
 „ habetur “.

„ Lambertus Schafnaburgens. in historia Ger-
 „ manorum: „ Anno DCCXXXVI. Beda nobi-
 „ lis, & præclarus doctor obiit “.

„ Sigebertus in chronicis: „ Anno DCCXXXI.
 „ Beda venerabilis presbyter, & monachus,
 „ sanctitate, & scientia clarus obiit “.

„ Otho Frisingens. in chronicis lib. 5. cap. 18.
 „ Sub Leone Imperatore Beda venerabilis An-
 „ glorum presbyter multa scripturarum suarum
 „ monumenta relinquens in pace quievit. Leo
 „ moritur anno DCCXLII. cœpit anno
 „ DCCXVIII. “

„ In epistulis S. Bonifacii Archiepiscopi Mo-
 „ guntini martyris mentio fit scriptorum Bedæ.

De pœnitentiâ Bedæ.

„ In extremo volumine librorum Bedæ exstat
 „ libellus ita inscriptus: „ De remediis peccato-
 „ rum “, cujus initium est: „ De remediis
 „ peccatorum paucissima hæc, quæ sequuntur,
 „ ex priorum monumentis excerptimus, &c. “

„ Post alia: „ Excerptum de canonibus catho-
 „ licorum patrum, vel pœnitentiæ ad reme-
 „ dium animarum Domini Agberti Archiepi-
 „ scopi. Institutio illa sancta, quæ fiebat, &c. “
 „ ut apud Burch. lib. 19. c. 8. qui in margine
 „ adscripsit: „ Ex dictis prophetæ, & Gregorii,
 „ Hieronymi, & August. & de tribus pœni-
 „ tentialibus collectum “.

„ Pro illis: „ Postea autem suum Pœnitentia-
 „ lem, qui hoc ordine secundum auctoritatem
 „ canonum ordinatur, ut discretionem omnium
 „ causarum investiges “, Burch. d. c. 8. sic

habet: „ Ad hæc autem suum Pœnitentialem,
 „ qui & secundum canonum auctoritatem, &
 „ juxta sententias trium Pœnitentialium Theo-
 „ dori Episcopi, & Romanorum Pontificum,
 „ & Bedæ ordinetur. Sed in pœnitentiâ Bedæ
 „ plura inveniuntur utilia, plura autem
 „ inveniuntur ab aliis inserta, quæ nec cano-
 „ nibus, nec aliis pœnitentialibus conveniunt.
 „ Sapiens autem medicus excipiat meliora, ut
 „ discretionem, &c. “

„ Pro illis verbis Bedæ: „ Constituerunt san-
 „ cti Apostoli, deinde sancti Patres, & sancti
 „ Pontifices, deinde canones sanctorum Pa-
 „ trum, deinde alii, atque alii, ut Hierony-
 „ mus, & August. & Gregor. & Theodorus.
 „ Ex quorum omnium illa descripsimus dictis,
 „ & sententiis veraciter, &c. “ Burchardus
 „ ita scribit: „ Hæc omnia de canonibus, & de
 „ sanctorum patrum sententiis, & de Hierony-
 „ mo, de Augustino, Gregorio, Theodoro, Be-
 „ da, & ex Pœnitentiâ Romano vera colle-
 „ gimus, & ut nulli necesse sit perire, &c. “

„ Ex pœnitentiâ Bedæ, & ex aliis libris sunt
 „ plura capita apud Burchardum Vormatiens. I-
 „ von. Carnorens. Anselm. Lucens. & Gratian.
 „ Item apud Bernard. Papiens. in 1. collect. de-
 „ cretal. & apud Gregor. IX.

*Refert Auctor in præfatione ad canones
 pœnitentiales: Bedam ex Romano Pœnitenti-
 tiali librum Theodori citatum auxisse, edi-
 ditque in eo opere librum Bedæ de remediis
 peccatorum.*

* Neque in Bedæ, neque in Joann. Trit-
 tenhemii enumeratione librorum ejusdem Be-
 dæ invenio hujus libri mentionem, qui de reme-
 diis peccatorum inscribitur, neque etiam illud
 volumen Pœnitentiale Bedæ dictum ab eisdem
 agnoscitur. Eundem vero librum esse, affirma-
 re non audeo, præsertim cum videam in ver-
 bis hujus libri relatis a Burch. fieri Bedæ men-
 tionem; ut facile suspicari liceat, hunc librum
 esse alicujus posteri scriptoris. Non est tamen
 inutilis, cum videatur referre veterum Parrum
 scripta de pœnitentiis omnium criminum.

* Ant. Au-
 gustini Cen-
 sura.

C A P U T XXI.

*De corpore canonum, & de Dionysio Abbate,
 cognomento Exiguo, interprete
 Græcorum canonum.*

EX præfatione canonum ejusdem Dionysii
 Exigui ad Stephanum, Episcopum Saloni-
 tanum: „ Quamvis clarissimus frater noster
 „ Laurentius assidua, & familiari cohortatione
 „ parvitatem nostram regulas Ecclesiasticas de
 „ Græco transferre * compulerit, confusione,
 „ credo, priscae translationis offensus, &c. “
 „ Hanc præfationem refert Beda de ratione
 „ temporum, & de sex ætatibus mundi ad an-
 „ num CCCICCCC. D. XVIII. & Baronius
 „ tom. VII. ad Christi annum DXXVII.

* pepule-
 rit (impu-
 lerit)

„ Ex Cassiodoro de institutione divinarum scri-
 „ pturarum lib. 1. cap. 23. „ Generat etiam ho-
 „ die catholica Ecclesia viros illustres proba-
 „ bi-

» bilium dogmatum decore fulgentes : fuit enim
 » nostris temporibus & Dionysius monachus
 » Scythia natione, sed moribus omnino Ro-
 » manus, in utraque lingua valde doctissimus,
 » reddens actionibus suis, quam in libris Do-
 » mini legerat, æquitatem, &c. qui mecum
 » dialecticam legit, & in exemplo gloriosi
 » magisterii plurimos annos vitam suam Do-
 » mino præstante transegit “.

» Et post alia : „ Qui petitus a Stephano E-
 » piscopo Salonitano ex Græcis exemplaribus
 » canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat
 » planus, atque disertus * magnæ eloquentiæ
 » luce composuit, quos hodie usu celeberrimo
 » Ecclesia Romana complectitur. Hos etiam
 » oportet vos assidue legere; ne videamini
 » tam salutares Ecclesiasticas regulas culpa-
 » biliter ignorare. Alia quoque multa ex Græ-
 » co transtulit in Latinum, quæ utilitati pos-
 » sunt Ecclesiæ convenire, &c. In Ecclesiæ
 » pace sepultus, inter Dei famulos credendus
 » est habere consortium “.

» Ex Joann. Trittenham. de scriptor. Ecclesiæ:
 » Dionysius Abbas Romanus, cognomento
 » Exiguus, vir certe ingenio, & scientia ma-
 » gnus, atque clarissimus, in scripturis sanctis
 » eruditus, & in disciplina sæcularium litera-
 » rum nobiliter doctus, Græco, & Latino e-
 » loquio clarus, computista, & calculator tem-
 » porum egregius, scripsit Latino sermone
 » nonnulla opuscula, de quibus ego tantum
 » reperi subjecta: Annorum 532. Cyclum pa-
 » schalem magnum, &c. Transtulit de Græco
 » in Latinum vitam sancti * Bachonii Abba-
 » tis, librum quoque Gregorii * Emisseni de
 » conditione hominis, & scripta Proterii Ale-
 » xandrini Episcopi ad Leonem Papam, &
 » quædam alia. Inchoavit autem Cyclum su-
 » um anno Domini DXXXI. &c. claruit sub
 » Justiniano magno anno DXL. “

» Eodem lib. 2. cap. 4. de illustr. viris ordin.
 » S. Benedicti: „ Dionysius Abbas Romanus,
 » cognomento Exiguus, vir in divinis scriptu-
 » ris valde eruditus, & in sæcularibus literis
 » peritissimus, calculator, & Geometer insi-
 » gnis, Græco, & Latino instructus eloquio;
 » qui doctrinæ suæ magnam apud veteres au-
 » ctoritatem consecutus, edidit non spernenda
 » opuscula. De ratione paschæ librum, Cy-
 » clum quoque magnum 532. annorum, Epi-
 » stulas etiam nonnullas composuit. De Græ-
 » co in Latinum transtulit scripta Proterii,
 » &c. De pascha celebrando, & librum Gre-
 » gorii Emisseni, &c. Vitam quoque S. Pa-
 » chonii. Claruit anno Domini DLXX. “

» Ex Adonis Chronico: „ Dionysius pascha-
 » les scribit circulos, incipiens ab anno Do-
 » minicæ incarnationis DXXXII. qui est an-
 » nus Diocletiani CCXLVIII. post consula-
 » tum Lampadii, & Orestis. Quo anno Co-
 » dex Justinianus orbi promulgatus est “.

» Otho Frisingensis lib. 5. cap. 4. „ Per idem
 » tempus florere Cassiodorus Senator, ac Dio-

» nysius Abbas, qui cyclos paschales subtiliter
 » composuit “.

» Interpretationem Dionysii multi collecto-
 » res decretorum sunt secuti. *Dionysii epistula
 ad Felicianum Pastorem, refertur tomo 3.
 bibliothecæ Patrum col. 613.*

*Index canonum, quos Dionysius
 Latinos fecit.*

EX præfatione canonum Dionysii Exigui
 citata: In principio: „ * itaque canones,
 » qui dicuntur Apostolorum, de Græco tran-
 » stulimus, quibus quia plurimi consensum
 » non præbuere, facile hoc ipsum vestram i-
 » gnorare nolimus sanctitatem: quamvis post-
 » ea quædam constituta Pontificum ex ipsis
 » canonibus assumpta esse videantur. Deinde
 » regulas Nicænæ synodi, & deinceps omnium
 » conciliorum, sive quæ ante eam, sive quæ
 » postmodum facta sunt usque ad synodum
 » CL. Pontificum, qui apud Constantinopo-
 » lim convenerunt sub ordine numerorum, id
 » est, a primo capitulo usque ad 165. sicut ha-
 » betur in Græca auctoritate, digessimus.

» Tum sancti Chalcedonensis concilii decre-
 » ta subdentes, in his Græcorum canonum finem
 » esse declaramus.

» Ne quid præterea notitiæ vestræ creda-
 » mur velle subtrahere; statuta quoque Sar-
 » dicensis concilii, atque Africani, quæ Latine
 » sunt edita, suis a nobis numeris cernuntur
 » esse distincta.

» Universalium vero definitionum titulos
 » post hanc præfationem strictius ordinantes,
 » &c. “

» Quinam sint 165. canones, explanatio ex
 » corpore canonum, & Græcis libris.

Nicænæ synodi canones	20
Ancyranæ	25
Neocæsariensis	15
Gangrensis	20
Antiochenæ	25
Laodicensæ	60
Summa	165

» Confirmatur hic ordo, & numerus ex ver-
 » bis concilii Calcedonensis actione XII. Græcis,
 » XI. Latinis, ubi canones 16. & 17. Antio-
 » chen. appellantur 96. & 97.

*Index corporis canonum, & de ejus
 auctoritate.*

» **L**Eo IV. Episcopis Britannia: De libel-
 » lis, & commentariis aliorum non
 » convenit aliquos judicare, & sanctorum con-
 » ciliorum canones relinquere, vel decretalium
 » regulas, quæ habentur apud nos, simul cum
 » canonibus: quibus in omnibus ecclesiasticis
 » utimur judiciis, id est, Apostolorum, Nicæ-
 » norum, Ancyranorum, Neocæsariensium,
 » Gangrensiū, [Antiochensium, Laodicen-
 » sium, Constantinopolitanorum, (Ephesio-
 » rum) Calcedonensium], Sardicensium, Afri-

» ca.

* magna
 f.

* Pacemii
 f.
 * Nysseni
 f.

* siquidem

„ canorum, Carthagenensium. Et cum illis regulæ præfulum Romanorum Silvestri, Syricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Hilarii, Gelasii, (Symmachi) Hormisdæ, (Simplicii) & Gregorii junioris. Isti omnino sunt, & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi, simul & clerici judicantur “.

Et postea: „ Qui illa, quæ prædiximus, sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canonum nomine prætitulantur, sive sit Episcopus, sive clericus, sive laicus, non indifferenter recipere convincitur: nec catholicam, & apostolicam fidem, nec sancta quattuor evangelia utiliter, & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur “.

Hæc omnia refert Ivo Carnot. l. 2. tit. 11. cap. 31. aliis est cap. 118. panorm. & part. 4. cap. 72. decret. & in epist. 217. ad clericos Educentes, & Deusdedit c. 2. & Anselm. Lucens. lib. 3. c. 115. & Cæsaraug. lib. 2. c. 11. & Gratian. dist. 20. cap. 1. *Vide hanc epistolam in Baron. tom. X. ad Christi annum DCCCLV.*

„ NICOLAUS PAPA Archiepiscopis, & Episcopis Galliæ: Quamquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia præfulum Pontificum in toto canonum codicis corpore esse descripta, & ideo inter canones non esse assumenda, &c. “

Et postea: „ Si ideo non esse decretales epistulas præfulum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptæ: ergo nec S. Gregorii, nec ullius alterius, qui ante ipsam fuit, vel post ipsam est, ad aliquod institutum, vel rescriptum recipiendum est; eo quod in codice canonum non habeatur adscriptum “.

Item post alia: „ Ostendimus nullam esse differentiam inter illa decreta, quæ in corpore canonum habentur Sedis Apostolicæ Præfulum, & ea, quæ præ multitudinem vix per singula corporum volumina reperiuntur, &c. “

Hæc Nicolai epistula exstat integra, incipit: QUAMVIS SINGULARIS. (*Est in appendice ad bibliothecam Patrum tom. 3. & epist. 54. in 3. tom. epist. decret. Romæ editarum, & in Baron. tom. X. cit. vide etiam dial. 14. libri poster. de emendat. Grat. n. 2. & dial. 11.*) refert multa Ivo Carnot. part. 5. c. 33. decret. & Cæsaraug. lib. 2. cap. 18. & Gratian. dist. 19. c. 1.

Liber editus Moguntia anno MDXXV. hos habet canones.

Conciliorum.

A postolorum per Clementem canones	50
Nicæni Concilii	20
Ancyrani	24
Neocæsariensis	14
Gangrensis	20
Antiocheni	25
Laodicensis	59
Constantinopolitani	3
Ephesini	12
Chalcedonensis	27
Sardicensis	21
Carthagenensis	33
Africanorum	105
Summa omnium	413

Pontificum Romanorum.

S yrici capita	15
Innocentii	57
Zosimi	4
Bonifacii	4
Cælestini	22
Leonis	49
Hilarii	6
Simplicii	2
Felicis III.	13. sive 16
Gelasii	18
(Anastasio)	(8)
Symmachi	5 sive 8
Hormisdæ	4
Gregorii junioris	17
Summa omnium	230

In libro, quem vidi etiam Moguntia editum anno MDXXV. non sunt canones Felicis III. adduntur vero Anastasio junioris 8. Symmachi quinque.

Confirmatur idem ordo ex lib. Cresconii de concordia canonum, qui liber in Vaticana bibliotheca est. Is in præfatione ad Liberinum Pontificem mentionem facit Breviarii canonum a Ferrando Carthagin. ecclesiæ diacono fuisse digestum. Idem ordo cap. 59. confirmatur ex capitularibus Caroli lib. 1. Item in Triburiensi concilio, & aliis, ubi decreta Pontificum Romanorum referuntur, semper ordo & numerus capitum servatur, qui in corpore canonum est. Eodem pacto Rabanus Moguntinus in lib. de penitentiis eadem utitur ratione, cum refert Innocentii, & Leonis, & aliorum Pontificum decreta. Sic etiam Burchardus Vormatiens. Ivo Carnotens. Anselm. Lucensis, Deusdedit Cardinalis, liber Cæsaraugustanus, & Gratianus, & collectores decretalium.

Ex corpore canonum Bernardus Papiens. in 1. collect. posuit c. 2. de Præbend. quod etiam habet Gregorius IX. sub eodem titulo c. 2.

cum eadem inscriptione. Vere tamen est ex Juliani Novellæ III. interpretatione.

De corpore canonum in Hispania, vide Innocent. III. lib. 2. epist. 121. registri, pag. 352. Vide Auctorem libro priori de emendat. Gratian. dial. 3. num. 5. & 9. & dial. 11. num. 5. & post utrumque Isidor. hoc opus editum esse docet Auctor in utraque præfatione ad antiquas collectiones, & ad canones pœnitentiales. Dionysius Exiguus historiam conciliorum edidisse videtur usque ad VIII. Synodum, seu IX. sub Joanne VIII. (quam pseudosynodum dico) Græcorum maxime, & Africanorum Stephano juniori dicatam, ut est in M. S. Vaticano codice. Cresconius locos edidit communes ad decreta Conciliorum, & Romanorum Pontificum collocanda, & sequens corpus canonum sola refert Græca, & Africana concilia, quæ Græce scripta fuere, & nullum Romanum Pontificem ante Syricium ponit.

• Anton. Augustini Censura.

* Etsi veteres libros legi, & varia fragmenta, quibus hæc eadem, aut bona eorum pars contineretur, quæ in corpore canonum diximus esse; nunquam tamen is titulus est a me reperiendus. Sic etiam in Moguntina editione neque is titulus, neque Dionysii præfatio posita sunt. In ea tamen sententia sum, ut ea addi debeant. Dionysii interpretationem corpus canonum continet, aliam edidit uterque Isidorus in collectione conciliorum, exceptis Apostolorum regulis, quas alter contemnit, alter quinquaginta refert. Ambo Isidori posteriores sunt Dionysio, item Isidoro Hispalensi. cujus exstant etymologia. Ipsæ interpretationes, ut illis temporibus scriptæ, valde placent. Miror tamen cur in corpore canonum, neque Pontificum Rom. decreta ante Syricium, neque post Hormisdam, aut Gregorium minorem posita sint. Conciliorum vero multorum canones, quos ambo Isidori ediderunt, hi omiserunt. Sed Colonienfes omnia conjunxerunt, exceptis cap. 33. concilii Carthaginensis, atque aliis quibusdam. Quæ de primatu Romanæ ecclesiæ in Moguntino libro sunt, ea non sunt ex corpore canonum; quod ex nominibus Pontificum cognosci potest. Et hoc argumentum nimis jejune tractatur, ut ex his, quæ a nobis collecta sunt, apparet.

C A P U T XXII.

De Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii ejus filii Imperatorum; & de ejus collectore Ansegiso Abbate.

EX præfatione ejusdem Ansegisi: „ Anno „ Incarnationis Domini DCCCXXVII. „ Indict. 5. anno 13. Imperii Ludovici Au- „ gusti, & Lotharii Cæsaris filii ipsius, An- „ segisus Abbas pro amore bonæ memoriæ Do- „ mini Caroli Magni Imp. & dicti Ludovici „ Aug. filii ipsius, & Lotharii Cæsaris Ludovici filii, hæc subter descripta adunavi capitula „.

Et postea: „ Hæc in quatuor distinxi libellis. Illa scilicet, quæ domnus Carolus Imp. fecit ad ordinem pertinentia ecclesiasticum, in primo adunavi libello. Ea vero ecclesiastica, quæ domnus, ac piissimus Ludovicus Imp. & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt, in secundo descripti. Illa autem, quæ domnus Carolus in diversis fecit temporibus ad legem mundanam pertinentia, in tertio adunavi. Ipsa vero, quæ Ludovicus, & Lotharius fecerunt ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congesti „.

Ex præfatione Benedicti Levitæ in lib. 5. Capitularium: „ Præcedentes quatuor libelli nonnulla gloriosissimi Caroli, atque Ludovici Imperatorum continent capitula, quæ eorum tempore ab Ansegiso Abbate sunt collecta, sicut in eorundem proœmio continentur „.

Partem horum verborum refert Ivo Carnot. lib. 2. tit. 12. cap. 11. panorm. & part. 4. cap. 174. decreti.

Ex Sigeberti chronico: „ Anno Domini „ DCCCXXII. Carolus Imp. per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium, & justitiam cunctis dirigit, & legis capitula 23. instituit „. Et postea: „ Anno Domini „ DCCCIII. Carolus per omne Imperium suum justitias facit, & legis capitula 29. instituit. Anno Domini DCCCXXVII. Ansegisus Abbas Lobienfis edicta Imperatoris Caroli Magni, & Ludovici filii ejus ad ecclesiasticam legem pertinentia in duobus æque libellis digessit „. Idem eorundem edicta ad mundanam legem pertinentia in duobus æque libellis congestit.

De eodem Ansegiso ex Joann. Trittenham. in lib. de scriptor. eccles. „ Ansegisus Abbas Lobienfis cœnobii ordinis sancti Benedicti, & postea Senonensis Archiepiscopus, vir in divinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, sermone & ingenio clarus, distinxit, & comportavit ad utilitatem ecclesiæ catholicæ Imperatorum Caroli Magni, & Ludovici leges, quas vidi. Statuta ecclesiastica Caroli lib. 1. Regnante Domino, &c. Alia nonnulla edidit. Claruit sub Lothario Imperat. Ludovicii filio anno 840. „.

Ex eiusdem lib. 2. cap. 45. de viris illustr. ordin. S. Bened: „ Ansegisus Abbas Lobienfis, postea Senonensis Archiepiscopus, vir undecumque peritus, & Regum sui temporis necessarius amicus, ingenio subtilis, & cautus eloquio scripsit, &c. Edicta Caroli Magni Imp. ad Ecclesiasticam legem pertinentia, &c. claruit anno DCCCXXI. „.

Item lib. 4. cap. 86. „ Ansegisus, &c. vir undecumque doctissimus verbo, & exemplo Episcopatu dignus, multa ingenii sui monumenta dedit, &c. „.

Aimoinus de gestis Francorum lib. 5. cap. 27. „ Carolus duos misit * oratores Ansegisum

* missos. al.

„ pre-

„ presbyterum monasterii S. Michaelis Ab-
 „ batem, & Etharium laicum Romam cum
 „ epistulis ad dominum Apostolicum “ (Ha-
 „ drianum).

Et cap. 32. „ Carolus Romam invitante
 „ Papa Joanne perrexit. Anno DCCCLXXVI.
 „ in die Nativitatis Domini in Imperatorem
 „ est unctus, & coronatus “.

Et postea: „ Accersens legatos Apostolici
 „ Joannem Tuscanensem, & Joannem Areti-
 „ num, atque Ansegisum Senonensem, illorum
 „ consilio medio futuro mense Julio, generalem
 „ synodum auctoritate Apostolica, & sanctione
 „ sua apud Pontigonem indixit “.

Et cap. 33. „ Legit Joannes Tuscanensis
 „ (Episcopus) in synodo epistulam (a domino
 „ Apostolico missam) de primatu Ansegisi Se-
 „ nonensis Episcopi, ut quotiens utilitas Ec-
 „ clesiastica dictaverit, sive in evocanda syno-
 „ do, sive in aliis negotiis exercendis per Gal-
 „ lias, & Germanias Apostolica vice fruatur,
 „ &c. “ Multi contradicunt. Literæ exstant da-
 „ tæ 4. Non. Jan. Indiæ. 9.

In extremo capite: „ Postea Imperator Le-
 „ gatos numeratos Apostolicos Leonem, &
 „ Petrum remisit Romam, & cum eis An-
 „ segisum Senonensem Episcopum, & Adalga-
 „ num Augustidunensem Episcopum “.

Martinus Polonus: Anno DCCCLXXIII.
 „ Joannes Papa VIII. sedit annos 10. diebus
 „ 12. Hic unxit oleo Carolum filium Ludovi-
 „ ci Regis, &c. Hic tradit venerabili viro
 „ Ansegiso Senonensi Archiepiscopo caput san-
 „ ctissimi Gregorii, & brachium Leonis Pa-
 „ pæ, quas venerandas reliquias Senonis in
 „ Ecclesia S. Petri cum magna veneratione
 „ (deportavit, & etiam) collocavit “.

*De confirmatione Apostolica, & au-
 „ thoritate Capitularium.*

Benedictus Levita lib. 7. cap. 478. Capi-
 „ tular. „ Maxime trium ultimorum capi-
 „ tula istorum librorum Apostolica sunt cun-
 „ cta auctoritate roborata; quia his cudendis
 „ maxime Apostolica interfuit legatio. Nam
 „ eorum nomina præter trium; id est, Leo-
 „ nis, Sergii, & Gregorii, hic non inferuimus;
 „ licet ea per singulos conventus inserta inve-
 „ nissimus, vitantes legentium, atque scriben-
 „ tium fastidia. Si quis autem plenius ea nos-
 „ se voluerit, istorum legat authentica, quibus
 „ illa inserta reperiet “.

Idem in præfatione lib. 5. „ Hæc vero ca-
 „ pitula, quæ in subsequentibus tribus libellis
 „ coadunare studuimus, in diversis locis, &
 „ in diversis schedulis, sicut in diversis syno-
 „ dis, ac placitis generalibus edita erant, spar-
 „ sim invenimus, maxime in sanctæ Mogun-
 „ tiacensis Metropolis Ecclesiæ scrinio ab *
 „ Hariculfo ejusdem sanctæ sedis Metropoli-
 „ tano recondita, & demum ab Autcario se-
 „ cundo ejus successore, atque consanguineo
 „ inventa reperimus, quæ in hoc opusculo
 „ tenore superscripto inferere maluimus “.

* a Ricul-
fo

Et postea: „ Quoniam valde sunt utilia hæc
 „ capitula, & scire volentibus oppido profutu-
 „ ra, quæ pro lege tam Ecclesiastica, quam
 „ & sæculari jure firmissimo sunt tenenda “.

Ex concilio Meldens. cap. 78. „ Ut capitu-
 „ la Ecclesiastica a domino Carolo Magno
 „ Imp. nec non & a domino Ludovico Pio
 „ Augusto promulgata obnixè observari præ-
 „ cipiantur, sicut & legalia observanda esse
 „ noscuntur “.

Ex concilio Troslejano cap. 3. „ Concilia,
 „ & conciliorum pedissequa capitularia obser-
 „ ventur “.

Ex Leonis IV. epistula ad Lothar. August.
 „ De capitulis vestris, vestrorumque præde-
 „ cessorum irrefragabiliter custodiendis, & con-
 „ servandis, quanto valuimus, & valemus,
 „ Christo propitio, & nunc, & in ævum con-
 „ servaturos modis omnibus profitemur, & si
 „ fortasse quilibet aliter vobis dixit, vel di-
 „ cturus fuerit, sciatis eum pro certo menda-
 „ cem “.

Hæc refert Ivo Carnotens. lib. 2. tit. 12. cap.
 12. Panorm. & part. 4. cap. 176. Decr. &
 Casaraug. lib. 1. cap. 61. & Grat. dist. 10.
 c. 9. Hæc capitularium collectio sæpe refer-
 tur in concilio Troslejano, & in Ticinensi, &
 in Coloniens. sub Carolo III. Burch. Vormat.
 lib. 1. cap. 218. & c. 219. refert caput Caroli
 Imp. de Episcopis Aquisgranæ coalaudatum, id
 existat libro 5. capit. 2. Capitular. verba sunt:
 „ Carlomani Ducis (Principis Francorum) an-
 „ no DCCXLII. in synodo Francica “.

Vide etiam lib. 7. cap. 141. Capit. & Ivon. part. 5.
 cap. 332. & 333. Decr. Refertur sæpe ab Ivo-
 ne Carnotens. tum in Panorm. tum in De-
 cretis præsertim parte 16, tum etiam in epi-
 stulis, & ab Anselmo Lucensi, & a Deusde-
 dit, & a Casaraug. Refertur a Gratiano dist.
 63. cap. 34. SACRORUM, & DI. q. 1. c. 38.
 VOLUMUS, & de cons. dist. 4. c. 104. MONA-
 CHI, & cap. 126. IN SABBATO, & alibi.

Hujus libri aliquot capita invenies in legi-
 bus Longobardorum sub titulis aptis colloca-
 ta, cum inscriptione nominis Caroli, Ludovi-
 ci, & aliorum Imperatorum. Usi autem sunt
 illis legibus, qui beneficia jure Longobardo-
 rum acceperant in Italia, & in Sicilia, mul-
 tique hodie illic eisdem legibus utuntur, pau-
 cis exceptis.

Ex Meldens. c. 80. ad Carolum Calvum
 Lodovici Pii filium: „ Capitula, quæ Domi-
 „ no mediatore communiter decrevistis, & ma-
 „ nu propria confirmastis, & nunc observa-
 „ tores vos verbis promisistis, ut opere pleni-
 „ ter conservetis, & adimpleatis, nunc etiam
 „ admonemus, &c. Capitula patris vestri sine
 „ refragatione de cætero conserventur, ac ca-
 „ pitulis vestræ religioni ab exiguitatis nos-
 „ træ ministerio oblatis hoc diploma, si com-
 „ placet, adnectatur “.

* Ad manus meas pervenit hæc collectio
 mutila: namque sex libri Parisiensis editionis
 anni MDXLVIII. erant imperfecti: sexti

* Ant. Au-
gustini Cen-
sura.

enim finis erat initium capituli CCLXXXIX. cum tituli essent capitulum CCCXX. sexti libri. Septimi vero libri exemplum, quod ab urbe Roma habui, multis capitibus erat deminutum. Ultimum ejus libri caput supra scripsimus CCCCLXXVIII. cum tituli capitulum essent DLVIII. sequebatur duplex collectio adjectorum capitularium. Jam vero in singulis capitibus desideratur inscriptio ejus, qui primus ejus capituli auctor est. Sunt enim multa capitula sumpta ex sacris libris, ut initio lib. VI. cap. LIII. Alia ex conciliis Græcis, & ex corpore canonum, ut initio libri primi cap. LIX. Multa sunt ex conciliis Maguntino, Parisiensi, Vormatiensi, & aliis eisdem temporibus, quibus ipsa Capitularia sunt edita, habitis. Multa sunt repetita, multa confuse collecta: multa etiam barbare scripta sunt, multa mores barbaros ostendentia. Magna tamen ex parte vincunt meliora, quæ cum his conciliorum, & Pontificum decretis consonant; atque conveniunt.

Hæc fere eadem docet Auctor dial. 10. & 11. posterioris libri de emendatione Gratiani. Vide etiam dial. 19. libri prioris, num. 12. & in notis: & ubique docet, concilia maxime in Gallia, & Germania celebrata fontes fuisse Capitularium canonum. Editio nova Parisiensis. MDCIV. anni valde diversa est & multo copiosior eis collectionibus, quas refert Auctor. In illius principio multa adduntur Capitularium encomia: sed quæ Auctor dicit, non exiguam ei operi lucem afferunt.

CAPUT XXIII.

De aliis Capitularibus Caroli, Ludovici, & aliorum Imperatorum, & de collectore Benedicto Levita.

EX præfatione ejusdem Benedicti ad lib. 5. Capitularium: „ Quæ Ansegisus, aut in venire nequivit, aut inferere fortasse noluit, & illa, quæ postmodum a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & Pipini, ac Caroli, atque Ludovici didicimus in dictis libellis non esse inserta, in tribus subsequentibus libellis distincte cum titulis suis coadunare curavimus: ac Ludovico, Lotharioque, atque Carolo nobilissimis Regibus, filiis videlicet Ludovici piissimi Imperatoris habenda, scribere non distulimus “.

Horum verborum partem refert Ivo Carnot. lib. 2. tit. 12. cap. 11. panorm. & part. 4. cap. 174. decret. Alia verba ejusdem præfationis refert Cæsaraug. lib. 2. cap. 33.

CAPUT XXIV.

De adjectis Capitularibus incertis collectoribus.

Post libros septem Capitularium adjecta sunt capitula XXVIII. & in posteriori collectione capitula CCXCVI.

In nova Parisiensis. editione multa plura ad-

duntur capitula, post septem libros: sunt enim quinque additiones: prima octuaginta capita continet ad monachos maxime pertinentia. Leo Episcopus Hostiensis. lib. 1. histor. Casinensis. cap. 18. ex monachorum, & Abbatum capitulo Aquisgrani celebrato tempore Ludovici Imperatoris Caroli filio, ea produisse docet, & refertur in principio additionis conventus præfatio, quæ idem dicit. Secunda additio vigintriquingenta capita continet varia, & a variis collecta. In tertia septuaginta octo sunt capita, ad Episcopos maxime pertinentia, & ad sacris ordinibus initiandos. In quarta sunt CIV. capita de variis rebus ex sanctorum Patrum decretis, & Imperatorum edictis, ut dicitur in principio nomine Regis Caroli Crassi (credo) cui etiam tribuuntur in præfatione capita quintæ additionis XX. sed ex synodis ab Episcopis, & Abbatibus habitis in suo regno: quæ potius comitia Regia dicenda videntur. Vitus Amepachius opusculum edidit de constitutionibus Caroli Magni a Clothario Imperatore ejus nepote in epitomem redactis: quod iterum cudid Joannes Busæus nostræ Societatis Jesu post Hincmari epistulas.

CAPUT XXV.

De Theodulpho Episcopo Aurelianensi.

AImoinus de gestis Francorum lib. 5. cap. 10. „ Carolus Magnus Imperat. obiit 5. Kalend. Februar. anno Incarnation. Domini „ DCCCXIV. missus est Rampo ad Ludovicum filium, qui cum Aurelianam devenisset ad urbem, Theodulphus ejusdem urbis Episcopus, vir undecumque doctissimus, „ ejus adventus causam perferit, & velocissime missus tabellario Imperatori innotescere studuit “.

Item lib. 4. cap. 105. extremo: „ Inter conjuratos contra Ludovicum piium Imperatorem aliqui Episcopi fuerunt, Anselmus Mediolanensis, Vuolfoldus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis “.

Sigebert. in chr. Anno Christi DCCCLXIII. Lotharii Imp. anno 3. „ His temporibus floruit Theodulphus Abbas Floriacensis; postmodum Episcopus Aurelianensis, de quo refertur, quod illos versus: Gloria, laus, & honor, in die Palmarum cantari in Galliis solitos composuerit. Quos cum ipse coram Ludovico Imp. Andegavi exul decantasset, misertus Imperator jussit eum absolvi “.

Joann. Trittenham. de script. Eccles. „ Theodulphus Episcopus Aurelianens. ex Abbate Floriacensis cœnobii ordinis S. Benedicti, „ vir in divinis scripturis doctus, & in secularibus literis a juventute instructus, carmine excellens, & prosa. Fertur nonnulla „ utroque stylo composuisse opuscula: sed in manus nostras adhuc minime venerunt. „ Hic a Ludovico Imp. nescio ob quam suspicionem, innocenter missus in carcerem, „ hy-

„ hymnum Gloria, laus, composuisse, &c.
 „ quem cum in die Palmarum, transeunte
 „ Imperatore juxta carcerem, alta voce
 „ cecinisset, adeo Imperatori complacuit, ut
 „ statim cum abire liberum permiserit. Scripsit
 „ diverso metro hymnorum lib. 1. epistolarum
 „ lib. 1. claruit sub eodem Ludovico anno
 „ Domini DCCCXL “.

Eadem fere dicit lib. 2. cap. 40. & lib. 4.
 cap. 197. de viris illustr. ordin. S. Benedicti.

* Ant. Au-
 gustini Cen-
 sura.

* Theodulphus ad presbyteros Aurelianenses
 capita XLVI. edidit, quæ in veteri conciliorum
 Gallicanorum libro vidimus. Is tamen privata
 auctoritate, aut fortasse in synodo diocesana,
 ea capita constituit. Falso aliquot sunt ex his
 in editis conciliorum libris pro sextæ synodi
 verbis scripta; aliquot etiam pro variis Roma-
 norum Pontificum decretis referuntur tum in
 eisdem conciliis, tum a Burchardo Vormatiensi,
 Ivone Carnotensi, Anselmo Lucensi, &
 Gratiano. Hac de causa his usi sumus, ut cer-
 ta pro incertis poneremus. Pietatem vero, &
 religionem ejus non minus probamus, quam e-
 ruditionem, atque prudentiam. Ex qua re uti-
 litas lectorum erit, ut sibi quisque dictum pu-
 tet, quod is suis sacerdotibus scripserat.

*Hanc epistolam invenies tom. II. Biblio-
 thecæ Patrum col. 994. ubi referuntur alii
 de hoc Theodulpho loquentes. Baronius eandem
 edidit tom. IX. annal. ad ann. DCCCXXXV.
 & ex illo noster Joann. Busæus post Hinc-
 mari Epistulas, cum aliquibus auctoribus,
 qui de illo dixerunt. Henricus Canisius tom.
 V. part. 2. & tom. VI. illius carmina quedam
 refert. Vide Auctoris præfationem ad canones
 pœnitentiales.*

C A P U T XXVI.

De Rabano Mauro Archiepiscopo Moguntino.

Sigebertus in chronicis: „ Rabanus Sophi-
 „ sta, & sui temporis poetarum nulli secun-
 „ dus, fit Abbas Fuldenfis, qui multa de scri-
 „ pturis sanctis disseruit; qui etiam librum
 „ de laude S. Crucis figurarum varietate di-
 „ stinctum, difficili, & mirando poemate con-
 „ posuit, Sergio Papæ sancto Petro offeren-
 „ dum misit anno Christi DCCCXXIV. Ann.
 „ Cristi DCCCXXVII. Rabanus Abbas tra-
 „ ctatus in libros Sapientiæ, & Eccles. ad Ot-
 „ garium Archiepiscopum edidit sub Leone
 „ IV. Papa Anno DCCCXLVIII. Rabanus
 „ Abbas Fuldenfis ordinatus Moguntia Ar-
 „ chiepiscopus, celebrata synodo Moguntia
 „ jussu Ludovici Regis multa Ecclesie utilia
 „ decrevit Anno DCCCLVI. Rabanus egre-
 „ giæ vitæ, & scientiæ Archiepiscopus obiit “:
*Vide etiam Sigebertum de viris illustribus
 cap. 90.*

Joann. Trittenham. de scriptor. eccles. „ Ra-
 „ banus Maurus sextus Archiepiscop. Mogun-
 „ tinus ex Abbate Fuldenfis monasterii ordi-
 „ nis S. Benedicti natione Teutonicus ex ci-
 „ vitate Fuldenf. in Buchonia, * Albinus An-

* Alcuini
 t

„ glii quondam auditor, vir in divinis scri-
 „ pturis eruditissimus, & in sæcularibus lite-
 „ ris nobiliter doctus, philosophus, rhetor, astro-
 „ nomus, & poeta subtilissimus; cui, ut abs-
 „ que invidia loquar, nec Italia similem, nec
 „ Germania peperit æqualem. In monasterio
 „ Fuldenfi juvenis monachum induit, & tam
 „ moribus, quam scientia mirabiliter profecit.
 „ Unde & quartus ejusdem cœnobii Abbas
 „ fuit, viginti quatuor annis præfuit, & pene
 „ infinita opuscula scripturarum composuit,
 „ &c. Tandem offensus improbitate monacho-
 „ rum ad Ludovicum Imp. Caroli filium mi-
 „ gravit, cum quo mansit usque ad mortem
 „ Otgarii Moguntinens. Archiepiscopi, in cu-
 „ jus locum suffectus præfuit annis novem.
 „ Habita quoque synodo multa ad utilitatem
 „ fidelium constituit. Scripsit autem in mona-
 „ sterio Fuldenfi tam carmine, quam soluta
 „ oratione multa volumina, maxime in scri-
 „ pturis sanctis, quas a principio usque ad fi-
 „ nem omnes explanavit. Scripsit de laudibus
 „ S. Crucis libros duos, ad Haymonem Epi-
 „ scopum de universo lib. XXII. de universali
 „ natura lib. I. de institutione clericorum
 „ lib. III. de divinis officiis lib. I. de com-
 „ puto dialogorum lib. I. ad Ludovicum Re-
 „ gem lib. I. de quæstionibus canonum lib.
 „ I. ad Regimbaldum Episcopum lib. I. de
 „ benedictionibus Patriarcharum lib. I. Epistula-
 „ rum ad diversos lib. I. Sermonum innumera-
 „ bilium lib. I. Moritur sub Ludovico, & Lotha-
 „ rio Principibus anno Domini DCCCLV.
 „ indict. III. Episcopatus ann. IX. Sepultus in
 „ monasterio S. Albani prope Moguntiam,
 „ non sine opinione sanctitatis “.

Idem lib. 2. cap. 39. de viris illustr. ord. S.
 Bened. „ Rabanus Maurus Magnetius ex Ab-
 „ bate &c. ex finibus Francorum in silva, quæ
 „ Buchonia nuncupatur, distans a Moguntia
 „ millibus ferme XV. versus Thuringiam, Al-
 „ bini auditor &c. cum adhuc monachus esset
 „ annos natus 30. scripsit de laude S. Crucis
 „ lib. II. metro primum, prosa secundum, quos
 „ postea S. Petro per manus Sergii Papæ obtulit.
 „ Scripsit ad Haymonem Episcopum Halber-
 „ statensem etymologiarum, seu de universo
 „ lib. XXII. de universali natura lib. I. ad
 „ Haistulfum quartum Moguntinum Archiepi-
 „ scopum de institutione clericorum libros III.
 „ ad Heribertum Episcopum de quæstionibus
 „ canonum lib. I. ad Regembaldum de eadem
 „ re lib. I. &c. Rexit Episcopatum annis octo,
 „ &c. Moritur anno DCCCLV. indict. III. “
 Eadem fere lib. 3. cap. 199. & lib. 4. cap.
 81. „ Annis novem præfuit Ecclesie Mogun-
 „ tia “.

*In utroque opere ait Trittenhamius plura
 opera a Rabano edita fuisse, quæ ad ejus ma-
 nus non pervenere, & in posteriori libro ait,
 in bibliotheca Fuldenfi plures ejus libros vi-
 disse, quorum titulum oblitus erat, utrobi-
 que ejus doctrinam, & sanctitatem valde
 commendat. Carmina de ejus vita a Rabano
 com-*

composita, exstant in I. tom. Bibliothecæ patrum, & in ejus expositione Ecclesiastes, & Hieremia edita Basilea.

Liber editus Colonia MDXXXII. „ Rabani Mauri Moguntinens. Archiepiscopus de clericorum institutione, & cæremoniis Ecclesiæ ex veteri, & novo testamento ad Heistulfum Archiepiscopum libros tres. Eiusdem ad Otharium Episcopum Pœnitentium lib. I. Quota generatione licitum sit matrimonium, epistula ad Humbertum Episcopum. De consanguineorum nuptiis, & de magorum præstigiis, ad Bonosum liber de anima, ad Lotharium Regem lib. I. de septem signis natiuitatis Domini: De ortu, vita, & moribus Antichristi “.

Marianus Scotus lib. 3. Chronicorum: Anno DCCCXXII. Eigildus Fuldenfis Abbas obiit: Rabanus sibi successit. Anno DCCCXLVII. Otharius Moguntinus Archiepiscopus obiit: Rabanus Abbas Fuldenfis sibi successit. Anno DCCCLVI. Rabanus Archiepiscopus Moguntinus obiit: Carolus ei successit “.

Martinus Polonus: Anno DCCCXVI. Ludovicus cum Lothario filio suo imperavit ann. 25. Eo tempore floruit Rabanus monachus Fuldenfis, Poeta Magnus, & in scientia theologiæ præclarus “.

* Solet Rabanus tacito Isidori nomine ejus verba referre tum in lib. etymologiarum, tum in lib. de institutione clericorum. Librum Pœnitentiæ ex corpore canonum, & ex variis conciliis, quæ Isidorus peccator etiam retulit, sumpsit. Eumque Rabanus Abbas Othario Archiepiscopo Moguntino, cui postea successit, inscripsit. Hujus libelli gratia, & quia concilium provinciale Moguntinæ habuit, hæc de eo scripsimus.

Pœnitentiale ejus, seu lib. de remediis peccatorum edidit Auctor in lib. de canonibus pœnitentialibus, in cujus operis præfatione multa de eo. Henricus Canis. tom. I. edidit Rabani martyrologium ex bibliotheca S. Galli apud Helverios.

C A P U T XXVII.

De Burchardo Episcopo Vormatiensi.

JOann. Trittenham. de scriptor. Ecclesiastic. „ Burchardus ex monacho Lobienfis cœnobii ordinis S. Benedicti, Episcopus Vormatiensis in Germania, Alberti Gemblacens. Abbatis apud Lobias quondam auditor, atque discipulus. * Hujus in canone fit mentio 73. dist. c. I. IN NOMINE DOMINI. „ Vir in divinis scripturis studiosissimus, & valde eruditus. Scripsit ex sententiis sanctorum patrum, & generalium conciliorum, atque summorum Pontificum magnum, & insigne opus post Isidor. videlicet Decretorum, quod divisit in libros XX. In novo testamento Epistularum ad diversos lib. I. cla-

„ ruit sub sancto Henrico Imp. anno Dom. MXX.

Idem lib. 2. cap. 73. de viris illustr. ord. S. Bened. „ Burchardus monachus Lobienfis, deinde Vormatiensis Episcopus, discipulus quondam Alberti Abbatis Gemblacens. cum adhuc ambo morarentur apud Lobias magnum divinis literis impendit studium, unde & doctor magnus evasit. Scripsit decretum post Isidorum ex sententiis patrum lib. XX. Epistulas etiam plures ad diversos, & quædam alia, quæ non vidi. Hujus viri mentionem facit Gratian. 73. dist. cap. I. in nomine, &c. Claruit anno Domini MX. “

Et lib. 4. c. 253. „ Burchardus, &c. vir doctrina, & moribus insignis, ingenii clara monumenta reliquit. Decreta sanctorum patrum, & conciliorum post Isidorum in XX. lib. magno studio comportavit, quo veteres ante Gratianum usi sunt. Claruit anno Domini MX. “

Burchardus l. 2. c. 227. Decretorum: „ In nomine Patris n, & Filii v, & Spiritus sancti A. Walterio Spirensi Episcopo. Ego Burchardus sanctæ Wormatiens. ecclesiæ devotus gregis Christi famulus, in Deo vero summæ felicitatis beatitudinem. * Quum sancta catholica ecclesia, &c. Data Wormatiæ Idibus Martii anno Dominicæ Incarnationis MXII. Indiæ. X. “

Eadem verba refert Ivo Carnot. part. 6. c. 434. & 435. Decreti, & Gratian. dist. 73. cap. I. sed Ivo mutat nomina personarum, & loci, & temporis: Gratianus retinet Burchardi nomen, & alia.

In calce libri XX. Burchardi Concilii Salegunstadenfis initium: „ Ego Aribo Moguntinæ sedis Archiepiscopus, quamvis indignus, cum cæteris confratribus nostris, & coepiscopis, Burchardo Wormatiensi, Werenhario Argentino, &c. synodum in Salegunstad. condiximus ann. Dominicæ Incarn. MXXIII. Indiæ. V. pridie Id. August. Anno autem D. Henrici secundi regnantis XXI. Imperii vero sexto, &c. “

Eiusdem concil. canones habes apud Ivonem Carnotens. part. 15. cap. 168. & sequentibus. Decreti. Bernardus Papiensis in I. collectione decretal. refert Burchardi verba cap. 2. de sponsa duorum. Item Gregorius IX. c. 2. ejusdem tit. Item cap. I. de frigid. Bernard. & Greg. Et cap. 9. de accusat. Bern. cap. 8. eodem titul. Gregor. Et cap. I. de sortileg. BERN. TANTUM. Burchardi librum decretorum Ivo Carnotensis Episcopus sequitur, paucis additis, & mutatis; quod poterit lector facile utriusque libri collectione cognoscere.

Idem Ivo in epist. 74. ad Willelm. Abbatem Fiscunens. monaster. „ In collectionibus Burchardi Episcopi Wormatiens. ex concilio Meldensi capit. 5. ita scriptum reperitur: „ ALTARE SI MOTUM FUERIT, &c. “ Vidend. Burchard. lib. 3. cap. 11. Ivo lib. 2. tit. 2. cap. 11. Panorm. & part. 3. cap. 13.

De-

* Ant. Augustini Censura.

* Cujus

* Cum.

Decreti. Anselm. lib. 5. cap. 13. Casaraugust. lib. 7. cap. 27. Grat. de conf. dist. 1. cap. 18. SI MOTUM.

Sigebertus in chronicis: „ Anno Christi „ MVIII. Burchardus fit Wormatiens. Epi- „ scopus, qui in scripturis studiosus magnum „ illud canonum volumen edidit, scripturarum „ sententiis undique compilatis defloratum, „ collaborante sibi in hoc magistro suo Olber- „ to Abbate viro undequaque doctissimo “. *Vide Sigebert. etiam in lib. de viris illustribus cap. 144. multis laudibus eum extollentem, & in editionis decretorum Colonienf. principio exstant ejus gesta.*

* Laudanda est Burchardi maxima diligen- tia in colligendis variis sententiis ex conciliis, & decretis Pontificum Romanor. & aliis scri- ptis sanctorum virorum, item ex Imperato- rum, & Regum sanctionibus, aliisque libris. Laudo etiam ejus prudentiam in discernendis, & separandis rebus, de quibus agitur: quamvis alius fortasse ordo aptior inveniri potuisset: tamen hic ipse ab eo excogitatus non est inu- tilis. In librorum delecta, & in inscriptione singulorum capitum minus certa notari potest. Est enim Burchardus, ut cæteri, qui postea scripserunt, reprehendendus, quod non ex fon- tibus ipsis hausit singula, sed ex rivulis, & stagnis aliorum. Vetus liber inscriptione caret, editi habent hanc: D. BURCHARDI WORMA- TIENS. ECCLESIAE EPISCOPI DECRETORUM LIB. XX. TRITTENHEMIUS DECRETUM, aut DE- CRETA inscripsit. IVO COLLECTIONES, Sigeber- tus CANONUM VOLUMEN appellat. Joann. Molinæus in præfatione Ivonis decreti auctor est, multa in editis Burchardi libris desiderari, quæ ipse viderit in veteribus pleniora, sed ea duo- decim libris tantum divisa, quorum sexta pars est editus liber. *De eo saepe Auctor in libris de emendatione Gratiani, & in utraque præ- fatione ed antiquas collect. & ad canones pœnitentiales.*

C A P U T XXVIII.

De Deusdedit Cardinali presbytero tituli Apostolorum in Eudoxia.

Hic ad Victorem tertium, Gregorii septi- mi successorem præfationem scribit, in qua hæc verba sunt: „ Ex variis sanctorum „ patrum, & Christianorum Principum aucto- „ ritatibus potioribus quibusque in unum con- „ gestis præfens defloravi opusculum, quadri- „ faria dispertitum partitione. Primus liber con- „ tinet privilegium auctoritatis Romanæ Ec- „ clesie. Et quoniam Ecclesia sine clero suo „ esse non potest, nec clerus absque rebus, „ quibus temporalibus subsistat; huic subjun- „ xi secundum, & tertium de clero, & de re- „ bus ejusdem Ecclesie. Quia vero sæculi po- „ testas Dei Ecclesiam sibi subjugare nititur, „ libertas ipsius Ecclesie, & cleri, & rerum „ ejus tertio, & maxime quarto libro eviden- „ ter ostenditur. Singulas autem deflorationes

„ huic operi insertas, juxta ordinem capitulo- „ rum minime locavi; quia pene omnes aliæ „ bina, aliæ plura negotia continet, &c. “

Idem in lib. contra invasores, & simonia- cos, & reliquos schismaticos tempore Urbani Junioris: „ Quatuor itaque sunt, de quibus, „ Deo auctore, scribere proponimus. Primum, „ quod Regi non liceat sacrosanctis Ecclesiis „ Episcopos constituere. Secundum de simo- „ niacis, schismaticis, & eorum sacerdotio, „ & sacrificio, &c. Tertium, quod clerus a „ sæcularibus pasci debet, atque honorari, non „ infamari, vel judicari, ac persequi. Quar- „ tum, quod sæculari potestati non liceat in „ Ecclesiam clericos introducere, vel expel- „ lere, nec res Ecclesiasticas regere, vel in sua „ jura transferre “. *Utriusque operis, & præ- fationis meminit Baronius tom. XI. annal. ad annum MLXXXVII.*

Ex Pontificali in Victore: „ Victor, qui „ & Desiderius, Cassinensis B. Benedicti Ab- „ bas, sedit mens. 4. dies 7. Ad hunc Deus- „ dedit presbyter tituli Apostolorum in Eudo- „ xia composuit, & ordinavit librum cano- „ num “.

* Duorum librorum, quos Deusdedit scri- psit, alterius tantum præfationem legi ad Vi- ctorem tertium: alterius duo habeo exempla ex libro veteri Romæ in sacrario Ecclesie B. Petri reperto sumpta. Utriusque indicem supra scripsi. Hic non eadem ratione utitur, qua Burchardus, Ivo, Anselm. & Grat. ut colligat tantum dicta patrum, vel conciliorum, sed ipse pluribus utitur argumentis, & sua aucto- ritate patrum confirmat, aliena confutat, & acrius in causa versatur, quæ illis temporibus ecclesiam Dei perturbabat, Henrico Imperatore sua privilegia concedendi ecclesias, & mo- nasteria, & Episcopos, & Abbates per virgam, aut baculum instituendi, sive investiendi armis defendente adversus Gregorium VII. & succes- sores. Multa colligit, sed non omnia ex fon- tibus haurit, neque in causa justa omnibus cer- tis utitur auctoritatibus.

Vide auctorem de eo in utraque præfatione ad antiquas collectiones, & ad canones pœ- nitentiales, & in libris de emendat. Gratia- ni maxime l. priori dial. V.

C A P U T XXIX.

De Anselmo Lucensi Episcopo.

Sigebertus in chronicis: „ Anno MLXXXVI. „ Cassinensium Abbas Desiderius, qui & „ Victor. 162. contra Clementem fit Papa: „ sed dysenteria dissolutus, non multo post „ moritur. Anselmus Lucensis Episcopus Hil- „ debrandi Papæ cooperatore indefessus apud „ Mantuam exulans moritur, qui in Hiere- „ miam, & in Psalmos tractatus edidit, & do- „ ctrinam Hildebrandi libro luculento confirma- „ vit: cujus sanctitas miraculis declarata est “. *Eadem scribit in lib. de viris illustribus cap. 162.*

Joann.

* Anto-
nii Augu-
stini Censu-
ra.

* Ant. Au-
gustini Cen-
sura.

Joann. Trittenham. de script. eccles. „ Anselmus Episcopus Lucensis, vir in divinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis non infime doctus, Gregorii VII. Papæ cooperator indefessus, & contra Guibertum ei subordinatum ab Henrico defensor egregius, adeo ut omnia ejus facta, dicta, vel scripta contra Henricum Imp. auctoritate juris, & scripturarum defenderet. Reliquit ingenii magni monumenta clarissima: In Hieremiam, in Psalterium. Contra Guibertum Antipapam; & plures epistulas ad diversos. Claruit sub Henrico quarto anno Domini M. LXXX. “

De collectione Anselmi credita, quæ appellatur Authentica canonum, sive regularum.

* Anton. Augustini Censura.

HUJUS * collectionis tres vidi libros: in duobus veteribus libri nullus erat: in exemplo Romano hæc inscriptio est: „ Incipit „ authentica, & compendiosa collectio regularum, & sententiarum sanctorum patrum, „ & auctorabilium conciliorum “. In libro veteri meo desideratur lib. XI. de poenitentia, in aliis duobus exstat, sed & in illo liber undecimus est, qui aliis duodecimus; liber duodecimus est, qui aliis decimustertius. In eodem veteri est initio ordo Romanorum Pontificum usque ad Paschalem Junioem: in exemplo Romano adduntur Paschalis, Gelasius, & Callistus plene notatis annis, mensibus, & diebus: Honorius, & Innocentius imperfecte sine diebus. In hac collectione sunt Urbani posterioris, & Paschalis aliquot constitutiones, quas Anselmus Lucens. videre non potuit, si credimus Sigeberto tempus mortis ejus notanti ante Urbani minoris electionem. Sed potuerunt addi ea capita post Anselmi mortem ab aliquo viro studioso. Et plane magna est varietas in numeris capitum singulorum librorum: ut ex his tribus libris, quos legi, cognovi. Idemque accidisse aliis certus sum. Et in exemplo Romano multa capita legi, sumpta ex Panormia Ivonis, alia ex concilio Romano Callisti posterioris, item ex aliis libris. Hic mihi collector visus est Burchardi collectionem legisse, idque adscriptum aliquot capitibus legi. Gratianus alicubi videtur hujus libri ordinem sequi. Inscriptionum incertitudo est, quæ in aliis libris Burchardi, Ivonis, & Gratiani; & ut in illis sine delectu omnes placent cuiuscumque scriptoris sententiæ. Multa vero sunt non male allata, quæ in aliis libris non leguntur: ut in nostra collectione notamus. Initium libri primi idem est cum initio libri primi Burchardi, & cum initio partis quintæ Ivonis decretorum: „ In novo testamento post „ Christum Dominum, &c. “ ex Anacleto: quibus etiam utitur Isidorus, & Rabanus, ut alibi diximus.

Ejusdem meminit Auctor in utraque præfatione sæpe citata, & in lib. priori de emendatione Gratiani dial. V. in principio ait:

Anselmus Lucensis, sive is, cujus collectionem habemus, Urbani II. tempore scripsit, &c. Henric. Canisus tom. 6. variæ lectionis edidit hujus Anselmi libellos contra * Wirbertum * Wibert. Antipapam Clementem nomine, & brevem quandam canonum collectionem, quæ potius tractatus quidam peculiaris est de facultatibus ecclesiæ a sæcularibus non usurpandis ex scripturarum testimoniis, conciliis, Romanisque Pontificibus. In principio refert testimonium Trittenhamii, Systi Senens. lib. 4. bibliothecæ, & Abbatis Urspergensis eum colaudantium.

CAPUT XXX.

De Ivone Episcopo Carnotensi.

AImoinus lib. 5. cap. 49. de gestis Francorum: „ Rex Philippus sexagenarius præfente Ludovico filio anno MCVI. diem clausit extremum, &c. Consulti proceres, & potissimum dictante venerabili, & sapientissimo Ivone Carnotens. Episcopo, ut Aurelianos Rex Ludovicus conveniat, suaserunt “.

Sigebertus in chronicis: Anno MLXXVIII. Ab hoc tempore cœpit refluere in Ecclesia B. Quirini Belvacensi canonicus ordo primum ab Apostolis, postea a B. Augustino Episcopo regulariter institutus sub magistro Ivone, venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo. Anno Christi M. XCII. Dominus Ivo sancti Quintini Belvacensis Præpositus a Papa Urbano consecratus fit Carnotensis Episcopus “.

In lib. de viris illustribus cap. 168. ait: „ Ivo Carnotensis Episcopus scripsit ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, & Apostolicæ Ecclesiæ legatum epistulam non multum prolixam, sed multum canonicis, & catholicis testimoniis auctorizatam pro diffidio regni, & sacerdotii; & pro inusitatæ ecclesiæ Romanæ decretis. Scripsit & ad diversos amicos utiles valde epistulas. Composuit etiam insigne volumen canonum “.

Joann. Trittenham. de script. Eccles. „ Ivo Episcopus Carnotens. ex Præposito S. Quintini Belvacens. ordinis Canonicorum regularium Divi Patris Augustini, vir in divinis scripturis exercitatus, & canonum sanctorum patrum, ac generalium conciliorum cautissimus interpres, nec minus sanctitate, quam scientia reverendus ordinem suum diu collapsum magnifice reformavit. Scripsit post Burchardum Wormatiens. Episcopum ex canonibus sanctorum compendiosum decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juristæ, quod prænotavit PANORMIAM libro 10. Excerptiones Eccles. Epistularum ad diversos lib. I. Ivo Carnotens. Ecclesiæ Episcopus claruit sub Henrico IV. anno Domini M. XC. “

Ex epistulis ejusdem Ivonis constat fuisse ab Urbano II. factum Episcopum Carnotensem; Ur-

* Wibert.

Urbano successit Paschalis II. sub quo scripsit Excerptiones.

Post Sigeberti chron. incertus: An. MCXIV.
 „ Post Ivonem, qui vita atque doctrina sua
 „ Carnotensem Ecclesiam illustravit; quique
 „ inter cetera opera sua, illud volumen, quod
 „ decreta Ivonis dicunt, utiliter compilavit,
 „ Gaufridus vitæ merito, ac prudentia venerabilis Carnotensem Ecclesiam rexit “.

De Panormia, sive Pannormia Ivonis.

* Ant. Augustini Censura.

HOC nomen *, PANORMIA in veteri libro non est, in quo etiam tota illa Ivonis præfatio Excerptiones, &c. nulla est: sed hic titulus: „ incipit liber sacrorum “, & mox: „ prima pars continet de fide, &c. “ Nomen collectionis nunquam in eo libro est. Desiderantur etiam numeri singulorum capitum cujusque partis, tituli in singulis partibus simul ponuntur. Non male in edito libro distinguuntur. Sebastianus Brant Basileæ ann. MCCCCXCIX. librum Decretorum, sive Panormiam Ivonis Carnotensis edidit mendose: hæc ex Innocentio in Historiarum libro addens: „ Ivo, qui
 „ Episcopus Carnotensis fuit, inter alia laudabilia ingenii sui opera decreta Apostolica abbreviando compilavit ordinando sub titulis
 „ ea, quæ prius Isidorus in unum magnum volumen redegerat, nullum alium habentia
 „ ordinem, nisi secundum Pontificum Romanorum tempora. Quæ quidem decreta Ivo abbreviavit, quia scribi non poterant sine magno sumptu. Ipsa quoque capita distinguit, & multas sanctorum patrum sententias interferuit. Hunc autem suum librum
 „ Pannormiam appellavit, quasi totius justitiæ sive legis materiam continentem, a πᾶν quod est totum, & νόμος lex, sive Justitia; sive a norma, quæ est regula, sive fabricarum directorium. Sed quia Ivonis non parvæ quantitatis erat opus; Hugo Catalanus ex eodem abbreviato libellum portabilem legitur composuisse, quæ Summa Decretorum Ivonis intitulatur; & forte præsens est libellus “. Hæc Sebast. Brant.

At Joann. Molinæus in præfatione de Panormia sive summa decretorum Ivonis ita ait:
 „ Qui liber ipsi, aliisque omnibus creditus est hæcenus Decretum esse Ivonis Carnotensis, cum interim nihil sit, quam mendis, ac erroribus scatens epitome, eaque meo quidem judicio incerti auctoris; quamvis non desint qui Hugonem Catalanum fuisse compendiarium suspicentur “. Hæc Joann. Molin. qui numeros capitum ita refert, ut nullam habeat titulosum rationem: quod video etiam Romæ fieri a Gratiani emendatoribus. Ego numeros titulis, & singulis capitibus addidi ad decretalium, & digestorum, & Constitutionum exemplar.

Joann. Trittenham. non solum hunc librum Panormiam Ivonis appellat, sed & addit initium EXCERPTIONES, &c. quod initium est decretorum Ivonis non solum in edito libro,
Tom. III.

sed etiam in Ivonis epistulis. Idem initium est Panormiæ in libro edito a Sebastiano Brant; sed, ut dixi, in veteri libro ea non sunt. Gratianum suspicor ex hoc libro plura sumpsisse, quam ex Burchardi, aut Ivonis decretis, quæ decreta vix eum vidisse constat; at ex hoc libro pleraque eodem ordine sumpsisse apparebit, si quis conferat utrumque diligenter. Illud etiam non facile credo, Panormiam esse epitomem decretorum Ivonis, cum pauca sint, in quibus inter se conveniant, excepta præfatione, quam alienam esse ex veteri libro manifestum est. In Panormiæ sine edita est synodus Innocentii Junioris imperfecta, quæ in veteri libro non est. De ea dicemus alio loco. *Hæc eadem dicit Auctor dial. V. libri poster. de emendat. in princ.*

De Ivonis Decreto.

TITULUS * hujus libri verus est, qui utitur initio illis tribus verbis: „ EXCERPTIONES ECCLESIASTICARUM REGULARUM, partim ex epistulis Romanorum Pontificum, partim ex gestis conciliorum catholicorum Episcoporum, partim ex tractatibus patrum orthodoxorum, partim ex institutionibus catholicorum Regum nonnullo labore in unum corpus adunare curavi “. Sic est in editis libris, & in veteri libro epistularum Ivonis, & in exemplo alio post epistolam XCVII. ad Paschalem * Ivonem, & in Panormia Basiliensi, excepta prima voce EXCERPTIONES, quam agnoscit Trittenhamius solus, pro qua cæteri habent EXCEPTIONES. Apparet Ivonem magna ex parte sumpsisse a Burchardo fere omnia, excepta secunda parte, in qua plenius de errore Berengarii tractat, & sextadecima parte, in qua multa sunt ex jure civili Romanorum, & ex Capitularibus Caroli, & aliorum Imperatorum sumpta. Joann. Molinæus hunc librum edidit Lovanii anno MDLXI. cui multorum capitum certiores inscriptiones debemus, quæ apud Burchardum scriptæ fuerant mendose: item Gratiani loca margini adscripta, & sacrorum librorum numerus.

* Ant. Augustini Censura.

* Juniorem f.

Utriusque operis Panormiæ, & decreti, ut Ivonis, meminit Auctor in lib. de emendat. Gratiani, & in præfationibus citatis ad antiquas collectiones, & ad canones pœnitentiales. Epistularum liber cum notis, & chronico de Regibus Francorum editus est Parisiis anno MDLXXXV.

CAPUT XXXI.

De Hildeberto Cenomanensi, & postea Turonensi Archiepiscopo.

HIC Nannetensi synodo præfuit, ab Honorio II. confirmatæ, qui fuit Callisti junioris successor, Honorio successit Innocentius minor.

Henricus Gandavens. post Sigiberti chronicon cap. 8. his verbis eum laudat: „ Hildebertus ex Cenomanensi Episcopo Archiepiscopus
 H h
 „ pi-

” piscopus Turonensis, qui claruit tam prosa
” quam metro, scripsit eleganti metro vitam
” Mariæ Ægyptiacæ, exposuit etiam metricè
” totum mētæ ordinem, scripsit etiam diver-
” sas ad diversos epistulas verborum venusta-
” te egregias, sententias utiles, & sententia-
” rum coloribus adornatas “.

” De eo Trittenhamius ita ait: „ Hildebertus
” Episcopus Cenomanens. & Turonens. post-
” modum Archiepiscopus, vir in divinis scri-
” pturis eruditissimus, & in sæcularibus do-
” ctrinis nulli suo tempore secundus, ingenio
” acutus, & multum disertus eloquio. Berengarii
” Turonens. quondam discipulus, sed perse-
” cutor erroris: qui multas pro ecclesiastica
” libertate persecutiones, & tribulationes us-
” que ad carceres sustinuit. Scripsit utroque
” stylo, metrico videlicet, & prosaico quæ-
” dam præclara opuscula, de quibus ad lectio-
” nis nostræ notitiam, adhuc pauca pervene-
” runt. Scripsit eleganti metro valde pulchram
” & utilem expositionem super toto missæ of-
” ficio; de suo exilio, & de miseria hujus vitæ,
” de sacramento altaris, epistularum ad diver-
” sos, hymnorum, & orationum diverso metro
” lib. I. Epitaphium Berengarii versibus quin-
” quaginta duobus. Claruit sub Henrico IV.
” anno MXC. In Ordine Romano est opus-
” culum de sacrificio missæ, & appellatur ibi
” Hildebertus Honorii secundi familiaris “.

” Extant ejus epistula, & versus tom. 3. bi-
” blioth. patrum: vide de eo Antoninum 3. part.
” Speculi historialis tit. 16. cap. 9. §. 1.

” Ex epist. XLIX. al. XLVIII. cujus initium:
” PLERUMQUE FIT, in appendice bibliothecæ, &
” in veteri libro: „ Excerptiones autem decreto-
” rum, quas in unum volumen ordinare dispo-
” suimus, ad suum finem nondum perductæ
” sunt, &c. bonam tamen explevimus partem,
” &c. “

” Ex epistula LXXXI. al. LXXXIII. quæ in
” veteri libro non est: „ Excerptiones ecclesia-
” sticarum regularum &c. “ ut apud Ivonem
” ante Panorm. & Decretum, & in epist. Sed
” mihi ex Ivone sumi visa sunt hæc. Suspiciari
” possumus, hujus esse Panorm. aut Anselmi li-
” brum, aut Cæsaraug. aut Tarraconens. librum
” eisdem temporibus scriptos. Hæc epistula ea-
” dem fere est saltem per tria prima folia cum
” Ivonis ad decretum præfatione. Vide de hac
” re Auctorem priori libro de emendat. Gratia-
” ni, dial. 1. de Cæsaraug. Tarraconensique li-
” bro dicam statim post cap. sequens.

CAPUT XXXII.

De Gregorio presbytero.

” Gregorius presbyter sub Callisto minore
” dicitur collectionem fecisse, POLYCAR-
” PUM inscriptam. Ea usi fuerunt Romæ Gra-
” tiani emendatores. Brevem librum esse indicat,
” quod raro ejus mentionem faciunt, & quod
” non capitulorum numerus ab eis, sed titulo-
” rum refertur.

” Eiusdem libri meminit Auctor in præfa-
” tione ad collectiones antiquas & in lib. po-
” steriorem de emendat. Gratiani dial. XV. Qui
” est in Vaticana bibliotheca XXVII. libros con-
” tinet, usque ad Romanum Pontificem prædi-
” ctum. Hactenus opusculum D. Antonii Augu-
” stini, cui pauca diverso caractere addidimus.

CAPUT XXXIII.

De Cæsaraugustana, & Tarraconensi
canonum collectione.

” Citantur hæ collectiones sæpissime in Epi-
” tome Juris Pontificii veteris, explican-
” tur vero in libris de emendat. Grat. Auctor
” namque dial. V. post 3. num. ait primam ad
” illum missam fuisse ex monasterio Carthusia-
” norum Cæsaraugustano, quo pervenerat post
” obitum Hieronymi Zuritæ Regii Historici, lit-
” teris, doctrina, ac sanguinis claritate insi-
” gnis: in XV. libros divisa est, & cum post
” Urbanum II. reliquorum Pontificum non me-
” minerit, pro eo tempore scripta creditur: &
” præter conciliorum, Romanorumque Ponti-
” ficum decreta, sanctorum Patrum testimonia
” continet.

” Tarraconensis, quam alias Populeti nomi-
” nat Archiepiscopus, ex insigni monasterio Ci-
” sterciensium monachorum Regio XII. milli-
” bus Tarracone distanti, quod vulgo Populeti
” sive Poblete dicitur, dono data ei fuit, &
” quia auctoris nomine carebat, hæc ex diocesi
” Tarraconensis, sicut & illa Cæsaraugustana
” ab eo nominatur: quod etiam in Anselmo,
” aliisque auctoribus ab eo usitatum inveni-
” mus. Hic liber decreta Gregorii VII. continet,
” non posteriorum Pontificum: indicium non
” mediocre pro ea ætate conscriptum eum esse
” paulo ante Cæsaraugustanum: ut eodem fere
” tempore hæ duæ collectiones prodierint, &
” Anselm. & Deusdedit, & similibus. Cum
” enim eo tempore Henricus IV. Imp. cum Gre-
” gorio VII. Victore III. & Urbano II. & cum
” Paschali II. Henricus V. alique Imperato-
” res cum Pontificibus Romanis gravissime con-
” tenderent de investituris Episcoporum, Abba-
” tum, reliquorumque clericorum, variisque
” modis ecclesiam vexarent; viri pii, & eru-
” diti, qui in eo sæculo vivere, ad jus eccle-
” siæ defendendum, ad debitum honorem, &
” reverentiam Romanis Pontificibus debitam
” conservandam, in antiquis decretis colligen-
” dis maxime elaborarunt, ex eorumque labori-
” bus hæ collectiones emanarunt.

CAPUT XXXIV.

De aliis Collectoribus.

” HIS addere possumus Hadrianum Roma-
” num Pontificem, cuius epistula ad In-
” gelramnum Mediomatric. Episcopum in hac E-
” pitome sæpe refertur: quia in ea multorum
” conciliorum, etiam Græcorum, Romanorum-
” que Pontificum decreta reperiuntur. Quis ve-

ro, quantusque vir hic Pontifex fuerit, satis constat ex eius gestis, & epistulis, maxime ex VII. generali synodo Nicæn. II. pro veneratione imaginum.

Alios, & antiquiores, & recentiores in sæpe citatis duabus præfationibus refert Auctor maxime in illa ad antiquas collectiones; in ea enim invenies, qui fuerunt Matthæus Blastares monachus, Joannes Zonaras, Alexius Aristenus, Theodorus Balsamon, Photius, & similes in hoc tractatu sæpe relati, quos ut satis notos, & parum nostro instituto utiles, cum in hoc opere numquam ab Auctore citentur, libenter prætermitto.

Solum de Damaso, Pontificali, Professione fidei Summorum Pontificum, qui ad finem titulorum * ab eo adduci solent, breviter dicam, illos duos Romanorum Pontificum historias conscripsisse. Sed an Damasus ille fuerit sanctissimus Pontifex, qui anno CCCLXVI. Ecclesiam gubernavit, satis dubium est. Hoc certum multa scitu digna in eo libro inveniri, etsi alia minus certa sint, fortasse temporum injuriis, hæreticorum malitiæ, aut scribarum incuriæ, & imperitiæ tribuenda. Pontificali auctor est Anastasius Bibliothecarius insignis. Ejus opus editum fuit Moguntiæ ante annos X. & historiam contexit usque ad

Nicolaum. Hadriani enim II. & cæterorum ad Alexand. II. vitas scripsit Guillelmus, alter S. R. E. Bibliothecarius. Illius verba refert sæpe Auctor sub Pontificali titulo, sicut & alii collectores: ut Ivo lib. 3. tit. 5. cap. 11. panorm. par. 14. cap. 40. decreti. Cæsar-august. collectio lib. 14. cap. 43. Tarracon. lib. 1. cap. 70. Gratian. dist. 19. Anastasius cap. 9. & alii.

De Professione fidei Roman. Pontificum, hæc scribit Auctor lib. priori de emendat. Gratiani dial. XX. ad num. 14. Is liber diurnus Professionis Rom. Pontificum non extat, quod sciam, hoc titulo: Professionis tamen vidi aliquot exempla; ejusdem etiam meminit. dial. VI. lib. poster. in princip.

Nihil vero de Gratiano dicemus? Nihil sane ut de viro omnibus noto, & de quo tum expositores, tum Romani emendatores, tum alii ejus temporis historici multa scripsere: & quanti illum Auctor noster fecerit, quanto pere eum excusare, defendere, ac omnibus commendare curaverit, ex duobus libris de ejus emendatione clarissime constat. Quo autem tempore floruerit, & sub quibusque Pontificibus, explicuit dial. IX. posterioris libri, & in initio operis in additione ad dialog. primum (a).

* In Epitome Juris Pontific. Veteris.

(a) His Ant. Augustinus, Tarraconensis ex Fr. nepos, pauca addit, quæ in apparatus ad Juris Pontificii Veteris Epitomen iniicienda sunt.



Index capitum.

- I. **D**E S. Clemente martyre. p. 219. c. 1.
 II. De S. Cypriano martyre. Ibid.
 III. De S. Dionysio Alexandrino martyre. Ibid.
 IV. De S. Gregorio admirabili. 219. 2.
 V. De S. Petro Alexandrino. 220. 1.
 VI. De Athanasio Alexandrino. Ibid.
 VII. De Basilio Magno. 220. 2.
 VIII. De Gregorio Nysseno. Ibid.
 IX. De Timotheo Alexandrino. 221. 1.
 X. De Theophilo Alexandrino. 221. 2.
 XI. De Cyrillo Alexandrino. Ibid.
 XII. De Gennadio Constantinop. 222. 1.
 XIII. De Joanne Chrysofomo Constantinop. Ibid.
 XIV. De Tarasio Constantinop. 223. 1.
 XV. De Martino Bracarense Archiepiscopo. Ibid.
 De capitulis LXXXV. excerptis ex Orientis conciliis a Martino Bracarenfi. 223. 2.
 XVI. De Isidoro Hispalensi Episcopo. 224. 1.
 De collectione conciliorum Isidori Hispalensis. 225. 1.
 XVII. De altero Isidoro, cujus collectio in Hispania est, & de corpore canonum Hispaniensis, tempore Innocentii Tertii. 225. 2.
 Index eorum, quæ in hac collectione posita sunt. 226. 1.
 XVIII. De tertio Isidoro, cognomento Mercatore, sive Peccatore, cujus collectio edita est Parisiis anno M. D. XX. 226. 2.
 De ordine collectionis Isidori Mercatoris. 228. 1.
 XIX. De Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi. 229. 1.
 XX. De venerabili Beda Presbytero. 230. 2.
 De pœnitentiâ Bedæ. 231. 1.
 XXI. De corpore canonum, & de Dionysio Abbate, cognomento Exiguo, interprete Græcorum canonum. 231. 2.
 Index canonum, quos Dionysius Latinos fecit. 232. 2.
 Index Corporis canonum, & de ejus auctoritate. Ibid.
 Liber editus Moguntia anno M. D. XXV. hos habet canones. 233. 2.
 XXII. De capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii ejus filii Imperatorum; & de ejus collectore Ansegiso Abbate. 234. 1.
 De confirmatione Apostolica, & auctoritate Capitularium. 235. 1.
 XXIII. De aliis Capitularibus Caroli, Ludovici, & aliorum Imperatorum, & de collectore Benedicto Levita. 236. 1.
 XXIV. De adjectis Capitularibus incertis collectoribus. Ibid.
 XXV. De Theodulpho Episcopo Aurelianensi. 236. 2.
 XXVI. De Rabano Mauro Archiepiscopo Moguntino. 237. 1.
 XXVII. De Burchardo Episcopo Vormatiensi. 238. 1.
 XXVIII. De Deusdedit Cardinali presbytero tituli Apostolorum in Eudoxia. 239. 1.
 XXIX. De Anselmo Lucensi Episcopo. 239. 2.
 De collectione Anselmi credita, quæ appellatur Authentica canonum, sive regularum. 240. 1.
 XXX. De Ivone Episcopo Carnotensi. 240. 2.
 De Panormia, sive Pannormia Ivonis. 241. 1.
 De Ivonis Decreto. 241. 2.
 XXXI. De Hildeberto Cenomanensi, & postea Turonensi Archiepiscopo. Ibid.
 XXXII. De Gregorio presbytero. 242. 1.
 XXXIII. De Cæsaraugustana, & Tarraconensi canonum collectione. 242. 2.
 XXXIV. De aliis Collectoribus. Ibid.



CANONES POENITENTIALES
CUM NOTIS
ANTONII AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

GAUGNES POENITENTIALIS

DE

ANNO DOMINI AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

ANTONII AUGUSTINI

P R Æ F A T I O.



Res Pœnitentiæ Sacramenti partes constat esse: Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. De satisfactione in Concilio Tridentino tum Sessione VI. capite quartodecimo, tum Sessione XIV. capite octavo, agitur, doceturque jejuniis, eleemosynis, orationibus, & aliis piis spiritualis vitæ exercitationibus faciendam, hos enim fructus dignos pœnitentiæ vocat, qui a Christo Domino Patri offeruntur. *Debent ergo, inquit synodus, Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare, & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte † conveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam Claves * Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent. Et Sessione XXIV. capite octavo: Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non † dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provo-*

† peccatis.

* Sacerdotibus.

† Sit.

ca-

*cavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. De hoc genere satisfactionum per multa existant antiqua Patrum testimonia, & omnium temporum exempla. Nam & Clemens Petri successor libro secundo capite XVI. constitutionum Apostolorum aperte de pœnitentiâ peccantibus indicenda ab Episcopis jejunii duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadam conscribit, & Canone Apostolorum LXXII. LXXIII. LXXIV. & LXXVI. σπιτόμιον, ἢ θηπιόσθε, καὶ μετὰ νοήθας scribit, quibus vocibus postea pro pœnitentiâ, five satisfactione, & pro pœnitere, & pœnitente, posteriores usi sunt. Apertius beatus Cyprianus, exorta Novati, & Novationorum hæresi, multa de hac ipsa satisfactione scripsit, ut lib. I. epist. VIII. & lib. III. epist. VIII. & XIV. & lib. IV. epist. IV. & in libro de lapsis, cujus initium est, *Pax ecce dilectissimi*. Existant hodie Græci hac de re canones multorum virorum sanctissimorum: quorum principes sunt Dionysius Alexandrinus, & Gregorius Neocæsariensis, cognomento Thaumaturgus, & Petrus Martyr Alexandrinus Episcopus, qui antiquiores Nicæno Concilio fuerunt. Sed & Synodus Ancyrana, & Neocæsariensis, quæ itidem priores fuerunt Nicæna, diligenter de hac eadem satisfaciendi parte canones conscripserunt. Jam vero ipsa Nicæna synodus œcumenica, & provinciales Eliberitana, & Arelatenses duæ magna diligentia pœnas criminibus, & satisfactionem Pœnitentibus statuunt. Aurei quoque illius sæculi singulos Patres, qui fuerunt post Nicænam synodum, & in aliis duabus generalibus synodis Constantinop. & Ephesina interfuerunt, & in mul-*

tis provincialibus Græcis, atque Latinis, longum est enumerare. Sed eorum referam nomina, qui canones Græcos conscripserunt. Athanasius Alexandrinus, Basilius Cæsariensis, Gregorii duo, alter cognomento Theologus Nazianzenus, alter Nycænus, cujus epistolam ad Letojum infra scripsimus: item Alexandrini tres Episcopi, Timotheus, & Theophilus, & Cyrillus. Adduntur his Gennadii Constantinopolitani, & Tharasi epistolæ, qui posteriores superioribus fuerunt. Si quis etiam canones synodorum aut Græcos, aut Latinos legat eorum temporum, multo magis id animadverteret, & magnam illam diligentiam in singulis criminibus coercendis admirabitur. Addantur illa, quæ in historiis leguntur de magno illo Antistite Ambrosio Mediolanensi, qui Theodosium Imper. coegit agere pœnitentiam de Thessalonicensi cæde, qua negavit pollutum adire posse sanctissima numina. Quo exemplo in Gallia Ludovicus Pius Imp. Caroli Magni filius pœnitentiam publice agere a Sacerdotibus coactus est: & Henricus Imp. a Gregorio VII. non ante absolutus est, quam pene nudus publice satisfaceret. Quid illud Nectarii CP. aliud facinus docet, quam fuisse in ea urbe Presbyterum constitutum huic pœnitentiæ judicio, & folere satisfactiones publice, causasque earum omnibus referri? At ex Leonis quoque reprehensione epistola LXXVIII. cap. II. ad Episcopos Campaniæ, constat, aliquando in usu fuisse, ut publice se reum quisque confiteretur etiam eorum criminum, quæ occulte gessisset. Neque verum est, quod hostes hujus sacramenti dicunt, Nectarium expulisse confessioni præfectos sacerdotes, neque amplius in Oriente Pœnitentias indictas fuisse. Nam contra est,

quod permultis Græcis fynodis postea habitis, eadem est religio Pœnitentiarum, atque observatio. Et in octava fynodo sub Hadriano Minori habita CP. actione IX. nominatim, quod genus satisfactionis singulis resipiscentibus, aut antea indictum sit, aut tum primum indicatur, diserte exponitur. Interrogantur enim Græci imaginum fractores, & venientes ex schismate Photiano, num antea fuerint crimen confessi, & quod *epitimum* acceperint? illi exponunt, quid egerint, & eis, qui non satisfecissent, *epitimia* indicuntur. Jam illa, quid recensere opus est, quæ multis nota sunt, & veterum decretis constituta? Initio quadragesimæ eiici solitos ex Ecclesia Pœnitentes sacco indutos, & cinere asperfos, feria quinta ante Pascha absolvi. Aliis quoque anni temporibus pœnitentes cum cathecumenis foras mitti, ex formulis sacrificiorum tam Græcis, quam Latinis constat. Id ad audientes proprie expectat. Erant enim alii, qui extra portas Ecclesiæ flentes dicebantur, alii, qui confidentes, atque subjecti, sacris non arcebantur, sed solius oblationis, atque communionis Eucharistiæ expertes fuerunt. Sed operæ pretium est, Theodulphi Episcopi Aurelianensis verba referre cap. XXXVI. ad presbyteros Aurelianenses. Fuit autem is temporibus Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum: *Hebdomada una, inquit, ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia iurgia sedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS. Et sic ingredienti in beatæ quadragesimæ tempus, mundis, & purificatis mentibus ad sanctum Pascha*

pro-

*procedant, & per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Quibus verbis apparet, magnopere nos a veterum disciplina recessisse, cum hodie nullo magis tempore digna magnis pœnis, ac pœnitentia fiant, quam illis proximis ante quadragessimam diebus, quibus oportuit, confessiones fieri, ut quadragessimæ initio satisfacere pœnitentes possemus. Et quidem non pœnitentes solos, & omnes Christianos cilicia, & cineres accipere folere, indicant quæ hodie cæremoniæ sacræ fiunt, verbisque concilii quarti Toletani cap. X. confirmantur: *Tunc enim, inquit, opus est fletibus ac jejuniis insistere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus deiicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus resurrectionis Christi. Et in concilio Toletano tertio cap. XII. Quicumque, inquit, ab Episcopo, vel presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus servet, & presbyter, ut si vir est sive sanus, sive infirmus, prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum. Et in Agathensi concilio cap. XV. ita scriptum est: Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & concilium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abiiciantur; & nisi digne pœnituerint, non recipiantur. Et in concilio Meldensi cap. LXXVI. Nemo Comitum, aut quisquam ex judiciaria potestate post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manus impositionem ad vacandum solummodo pœnitentiæ, & divinis officiis accipiunt, placitum, aut malleum tenere præsumant. De quinta feria ante Pascha ita scriptum invenio ab Innocentio epist. I. cap. VII. de pœnitentibus, qui**

sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanae ecclesiae consuetudo demonstrat.

Cum igitur hæc esset vetus satisfactionis, & poenitentiae observatio: in tanta hominum & temporum varietate, necesse fuit, ut modus, & ratio indicendi has poenas conscriberetur, & ut canones colligerentur de eisdem delictis, sive criminibus, scripti, eos posteri Poenitentiales libros, & canones dixerunt. A Græcis autem nomocanones vocantur, quibus regulæ conciliorum, & illorum Patrum, quorum nomina supra scripsimus, colliguntur. A Latinis in Corpore canonum positi sunt canones conciliorum Orientis, interprete Dionysio Exiguo, & canones Sardicenses, & Africani, sive Carthaginenses, atque etiam canones quorundam Romanorum Pontificum a Syricio ad Gregorium minorem. Poenitentiales libri tres commemorantur, Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, & Bedæ presbyteri, & quod Poenitentiale Romanum vocatur. Fuit autem Theodorus natione Græcus a Vitaliano Papa missus in Britanniam insulam, in qua tum alia multa, tum has poenitentiae regulas constituit. Hunc non longo intervallo Beda secutus est, qui etiam Romanum librum vidisse dicitur, & ex eo Theodori librum auxisse, aliis etiam aliunde acceptis. Hos libros fateor me numquam legisse, sed tantum in Burchardi Vormaciensis, & Ivonis Carnotensis collectionibus fragmenta quædam eorum invenisse, item apud Anselmum Lucensem, & alios, quorum mentionem in nostris invenies. Et quamvis a nobis collectio quædam nomen Bedæ præferens, & alia Poenitentialis Romani edatur: non esse credimus veteres illos libros; sed Bedæ libellum invenimus

inter

inter opera Bedæ editum cum ea inscriptione: *De remediis peccatorum*, ut a nobis quoque in vulgus datur. Ejus libri aliquam partem inveni a Burchardo referri alio nomine: & facile ex his, quæ in notis dixi, & ex collatione cum fragmentis Bedæ Poenitentialis, ab eodem Burchardo, & ab aliis relatæ differentia utriusque libri apparebit. Poenitentiale Romanum a nobis editum multo posterius est Bedæ, & illo veteri Romano libro, quorum verba etiam refert. Namque hic Gregorii VII. & Urbani, & Callisti, & Innocentii Minoris verba scribitur, qui multis annis fuerunt Bedæ posteriores. Sed & quædam videntur ex Gratiani libro esse accepta, ut postea dicemus. Hunc librum in Michaelis Thomasi Ilerdensis Episcopi bibliotheca inveni sine scriptoris, aut libri inscriptione, quem non inutilem esse judicavi, & Romanum appellavi; quod ex ea urbe ad nostras manus venerit. Tertius a me liber hac de re est editus Rabani libellus, qui *pœnitentium* inscribitur, qui licet nonnullorum manibus tereretur, non fatis erat cognitus, quantum in hoc genere excelleret. Fuit is Archiepiscopus Maguntiaë, temporibus Ludovici Pii Imp. Caroli filii, de quo supra diximus. Usus autem Rabanus esse videtur Corpore canonum & Isidori Mercatoris priori editione, quod ad concilia tantum attinet provincialia. Nam Romanorum Pontificum epistolas nullas refert, præter eas, quæ post Damasum conscriptæ sunt; & in Corpore canonum existant. Quarto loco posuimus pulcherrimam Gregorii Nycæni epistolam, qua tota hæc satisfactionis disciplina accurate traditur; Cui addita est de locis poenitentium brevis collectio, quæ Gregorii Thaumaturgi esse dicitur. Postremo Canones

XLVII. Pœnitentiales, sine nomine Gratiani collectione referri solitos, posuimus ex in Astensis summa, qui ab ostiensi acceperat sumptos: quos falso nonnulli putant ad forum tantum judiciale pertinere. Non tamen negamus, & illos, & magnam eorum partem, quæ hoc volumine continentur, vix posse extra iudicium ab his, qui occulta crimina audiunt, & satisfactiones indicunt, exequi. Tamen admonere pœnitentes possunt, quam olim veteres vindictam eisdem criminibus indixissent. In publicis vero criminibus coercendis in utroque, ut vocant, foro major esse usus potest: illis exceptis, quæ temporum ratio non patitur. Est etiam delectus habendus, & ratio auctoritatis constituentium, in quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant. Cum tamen Gregorius nonus Pontificia auctoritate usus omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis statuerit, Gratianus unius Magistri, & monachi personam gerens ea, quæ refert, non majori pollere potuit efficere auctoritate, quam antea fuerunt. Itaque si qua sunt ab eodem relata ex Pontificiis epistolis, aut ex conciliis generalibus sumpta, ea suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent: at quæ ex provincialibus conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum sanctorum virorum libris, aut epistolis accepta sunt, ea generalem non habent auctoritatem. Accidit autem sæpe, ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum, quod etiam in nostro Pœnitentiali Romano evenit, ut ex notis nostris cognosci potest: ita fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicantur esse sum-

pta ex Romanorum Pontificum, aut ex generalium Conciliorum decretis: sed necesse est adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus. Quod supra de Gratiani auctoritate diximus, idem in Theodori, Bedæ, & Rabani pœnitentialibus libris, idem in Burchardi, Ivo- nis, Anselmi collectionibus locum habet. Rabanus tamen ceteris præstat in aliorum verbis referendis, quæ vel ex Conciliis, vel ex corpore Canonum sunt: qui liber approbari videtur a Leone quarto in epist. ad Episcopos Britannia. Ad extremum id lectores admoneo, ut in hoc genere librorum Pauli Apostoli oraculi meminerint: *Omnia probate: quod bonum est, tenete.*



Hi, qui sequuntur, Tractatus, hoc libro
continentur.

- I. *Pœnitentiale Romanum.*
- II. *De remediis peccatorum, Venerab. Bede Presbyteri.*
- III. *Pœnitentium Liber, Rabani Mauri Maguntinensis
Archiepiscopi.*
- IV. *Epistola canonica Sancti Gregorii Nycæni Episcopi,
ad Sanctum Letojum Melitenes Episcopum.*
- V. *Epistola canonica Sancti Gregorii Thaumaturgi
Episcopi Neocæsariensis canon ultimus.*
- VI. *Canones pœnitentiales Astensis.*



 POENITENTIALE ROMANUM

CUM NOTIS

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

 TITULUS I.

De Homicidio.

CAPUT I.

De interfectioribus Sacerdotum.

Ex Concilio Maguntensi, cap. XXIV. (a)



UI presbyterum occiderit, duodecim ei annorum poenitentia secundum canones imponatur: at si negaverit, si liber est, cum septuaginta duobus juret, si autem servus, super duodecim vomeres ferventes se expuret [b]. Convictus noxa, usque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii maneat.

CAPUT II.

De eadem re.

Ex concilio Wormaciensi, cap. II. (c)

QUI sacerdotem voluntarie occiderit, carnem non comedat, & vinum non bibat cunctis diebus vitæ suæ, jejundet usque ad ve-

Tom. III.

speram, exceptis festivis diebus, atque Dominicis: non arma sumat, equum non ascendat, ecclesiam per quinque annos non ingrediatur, sed ante fores ecclesiæ stet: post quinque annos ecclesiam ingrediatur, nondum vero communicet, sed inter audientes stet. Cum autem fuerit duodecim annorum (d) cursus finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur remissio: maneat autem in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut perfectius purificari mereatur.

CAPUT III.

De homicidio non sponte commisso.

Ex concilio Ancyritano (e).

SI quis casu non volens homicidium fecerit, quadraginta dies in pane, & aqua poeniteat; his vero peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur, non communicet, nec offerat. Post biennium in communionem orationis suscipiatur: offerat autem, non tamen communionem recipiatur. Abstinencia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

K k

CA-

^a Ex synodo Moguntina sub Rabano Archiepiscopo c. 24. in conciliis Surianæ editionis. Habet Burchard. Vormaciens. l. 6. c. 7. Ivo Carnotens. parte 10. cap. 136. decret. Gratian. sive Palea 17. quæst. 4. cap. 24. Bernard. Papiens. cap. 2. de purgat. Vulg. in prima collectione decretal. Gregor. 9. cap. 2. de poenit. & remiss.

^b Hæc recte omissa sunt a Gregorio nono, utpote cum sint hæ ferri candentis, aquæ ferventis, & singularis certaminis probationes, quæ purgatio vulgaris dicebatur, prohibita Cælestini, Innocentii, & Honorii tertii constitutionibus, quæ extant sub titulo de purgatione vulgari lib. 5. decretal. Olim tamen hæc a barbaris accepta diu observata sunt, ut ex Ivonis Carnotens. epistolis tempore Urbani, & Paschalis minoris scriptis constat; epist. 68. ad Gildebertum Cenomanens. Episcopum, & epist. 200. ad Guillelmum militem, & epist. 245. ad Joann. Aurelian. Episcopum, & epist. 250. ad Ricardum Rhemens. Archiepiscopum. Vidend. Gratian. 2. q. 5. VEL ALIIS. q. 4. cap. 7. MENAM. in fine. & cap. 15. NOBILIS. & cap. 20. CONSULISTI. & cap. 22. MONOMACHIAM. & cap. 23. SÆPE. & aliis, & Burch. in concilio Salegunst. cap. 7. & 14. Vide etiam probationem aquæ amaræ ad Zelotypiæ purgationem numeror. cap. 5. & apud Gratian. sive Paleam cap. 21. in libro d. q. 5.

^c Cap. 26. est in conciliis, non tamen eisdem verbis. Sed eisdem habet Burch. lib. 6. cap. 8. & Ivo parte 10. cap. 137. decret. Vide Magunt. sub Arnulf. cap. 16. & Tribur. cap. 5. & infra cap. 34. hujus tituli.

^d Duodecimi anni, habent Burch. & Ivo. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, Magunt. Et cum decimus anni cursus fuerit finitus, Vormaciens. Cum decimi anni cursus fuerit finitus. Triburiens. Cum autem fuerit duodecimi anni circulus finitus, infra cap. 34. & Burchard. lib. 19.

^e Exstat in Nannetensi cap. 18. in conciliis, & apud Burchard. lib. 6. cap. 16. & Ivon. part. 10. cap. 245. decret. & Anselm. Lucens. lib. 11. cap. 48.

CAPUT IV.

De domina, quæ in furore suo ancillam suam verberaverit, & sic perierit.

Ex concilio Elibertano (a).

SI qua domina furore zeli accensa flagellis ancillam suam verberaverit, ita ut intra tertium diem animam cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntate, an casu occiderit; si voluntate, post septem annos, si casu, post quinquennii tempora (b), acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

CAPUT V.

De illo, qui publice pœnitentem occiderit.

Ex decreto Silvestri Papæ (c).

SI quis hominem publice pœnitentem interfecerit, ut homicidium sponte commissum dupliciter pœniteat, & nisi in finem (d) non communicet.

CAPUT VI.

De insano si homicidium perpetraverit.

Ex concilio Turonensi (e).

SI quis insanians aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commiserit: cui, quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causa peccati fuisse creditur, tantum tamen levior, quam ei, qui sanus aliquem occiderit, quantum inter sanum, & insanum irrationabile a rationabili constat esse discriminis.

CAPUT VII.

Quod tria sint genera homicidarum.

Ex epistola Clementis Papæ (f).

Homicidarum vero tria genera esse dicebat, & pœnam eorum parilem fore do-

cebat. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita & detractores eorum, eoque odientes, homicidas esse manifestabat. Quia & qui occidit, & qui odit fratrem suum, & qui detrahit, pariter homicida esse monstratur.

CAPUT VIII.

De illo, qui non vult reconciliari fratri suo.

Ex decreto Fabiani Papæ (g).

SI quis non vult reconciliari fratri suo, quem odio habet, tamdiu in pane, & aqua pœniteat, usque dum reconcilietur ei.

CAPUT IX.

De detractoribus.

Ex concilio Agathensi [h].

SI quis promptus, facilisque ad detrahendum est, dicensque quod verum non est: septem dies in pane, & aqua sequestratus a fraterno consortio pœniteat.

CAPUT X.

De illis, qui pro vindicta parentum homicidium committunt.

Ex pœnitentiali Theodori [i].

Qui pro vindicta fratris, aut aliorum parentum hominem occiderit, ita pœniteat, ut homicidia sponte commissa: cum ipsa veritas dicat [k], *Mihi vindictam, ego retribuam.*

CAPUT XI.

De illo, qui uxorem suam sine iudicio interfecerit.

Ex decreto Pii Papæ (l).

Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu curo, fili Heistulf: si tamen filius dici debeas, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti partem corporis tui, scilicet uxorem tuam legitimo ma-

a Adde cap. 5. & in concil. Vormaciens. cap. 39. & Magunt. sub Raban. cap. 22. Refert Raban. 14. pœnitent. Burchard. lib. 6. cap. 19. Ivo part. 10. cap. 22. & 148. decret. Anselm. lib. 11. cap. 35. Gratian. dist. 50. cap. 43. *SI QUA FÆMINA.*

b Sic etiam Ivo d. cap. 148. & Anselm. *per pro post*, Magunt. & Raban. & Burch. *per quinque annorum tempora*, Eliber. & Ivo d. cap. 22. *post quinque annorum tempora*, Grat. *si casu, quinque annorum tempora legitimam agat pœnitentiam*, Vorm. aliis omisiss, quæ habent alii, excepto Anselmo, qui ita scribit, *si casu, post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti*, ceteris omisiss.

c Sic etiam Burch. lib. 6. cap. 20. Ivo part. 10. cap. 149. decret. Anselm. lib. 11. cap. 49.

d *Fine*, Burch. & Ivo. e *Exstat in Vormaciens. cap. 28. & apud Burch. lib. 6. cap. 25. & Ivo. parte 10. cap. 145. Decret. & Gratian. 15. q. 1. cap. 12.*

f Adde epist. 1. prope finem. Refert Burch. lib. 6. cap. 28. Ivo part. 10. cap. 157. decret. Anselm. lib. 11. cap. 43. & Grat. de pœnit. dist. 1. cap. 24. *HOMICIDIORUM.*

g Sic etiam Burchard. lib. 10. cap. 60. Ivo part. 13. cap. 61. decret.

h Sic etiam Burchard. lib. 10. cap. 62. & Ivo parte 13. cap. 64. decret.

i Burch. lib. 6. cap. 32. Ivo parte 10. cap. 161. decret. Anselm. lib. 11. cap. 53.

k Deut. 32. Ezech. 9. Rom. 12. Hebr. 10.

l Ex epist. Paulini Porojulienf. Episcopi ad Heistulfum, Burch. lib. 6. cap. 40. Stefan. V. Astulfo, Ivo lib. 7. tit. 2. cap. 3. Panorm. & part. 8. cap. 126. Decret. & Grat. 33. q. 2. cap. 8.

matrimonio sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ, non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem: sed incitatus a diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni bellua, eam gladio tuo interemisti. Et nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo, qui matri non pepercisti, & filios tuos ideo orphanos fecisti, ut superinduceres mortis causam post mortem. Et per unum homicidam, & reprobum testem incusare vis mortuam, hoc nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex concedit, ut unius testimonio, etiam idoneo, aliquis condemnetur, vel justificetur. Quanto magis per istum tam flagitiosum, & scelestum, nec illa viva debuit condemnari, nec tu poteris post ejus mortem excusari. Prius causa criminis subtiliter erat investiganda: & tunc, si rea fuisset inventa secundum legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam & si verum, quod absit, fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem (a) annos poenitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses: occidere eam nullatenus debuisti (b). Duo consilia proponimus tibi, accepta tecum deliberatione, duorum elige magis, quod placeat, & misere animæ tuæ: & tu hic in isto angusto tempore positus: ne sis tu ipse tuimet homicida, & in æternum pereas. Relinque hoc malignum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus: ingredi monasterium, humiliare sub manu Abbatis, & multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta simplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis. Istud consilium, ut certissime scias, levius, ac salubrius est, ut sub alterius custodia lugeas deslenda peccata (c). Secundum autem consilium tale est. Arma depone (d), & cuncta sæcularia negotia dimitte. Carnem, & sagimen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Resurrectionis Domini (e), & uno die Natalis Domini. Ceteris

temporibus pane, & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus poeniteas [f]. In jeuniis, in vigiliis, & orationibus, & in eleemosynis persevera omni tempore. Vinum, & medonem, & mellitam (g), & cervisam nunquam bibas, nisi in illis prædictis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque conjugio in perpetuo permanes. Numquam te in balneo laves, equum non ascendas [h], causam tuam, & alterius in conventu fidelium non agas. In conviviis lætantium numquam sedes, in ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes, ingredientium, & egredientium orationibus te suppliciter commendes. Communione sacri corporis, & sanguinis Domini, cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes: in ultimo termino vitæ tuæ pro viatico, si observaveris consilium, ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris essent adicienda. Sed si hæc omnia, quæ (i) supradicta, misericorditer dicta sunt, perfecto corde, Deo auxiliante, perfeceris, & custodieris, confidimus de immensa clementia Dei, remissionem tuorum peccatorum te habiturum, & secundum boni, justique pastoris imperium, resolvat te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solutus in cælis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ salubre consilium despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneat: sanguisque tuus sit super caput tuum (k), & sub indissolubili (l) anathemate permanes, donec Deo, & sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

CAPUT XII.

De eadem re.

Ex concilio Elibertano (m).

SI mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit, quia dominum & seniore suum occidit, sæculum relinquat, & in monasterio poeniteat.

K k 2

CA-

a Post octo annos, Ivo d. cap. 126. & in veteri libro Panorm. septem est in edicto, & apud Burch. & Grat.

b Addit Ivo: Non enim Deus vult mortem peccatoris, sed ut convertatur ad poenitentiam, & vivat. Ezech. 33. Sic etiam Grat.

c Sin autem, publicam poenitentiam permanens in domo tua, vel in hoc mundo vis agere, quod tibi pejus, & durius & gravius esse non dubites: ita ut agere debeas, exhortamur. Omnibus diebus, quibus poenitere debes, vinum, & omnem siceram non bibas: carnem numquam ullo tempore comedas &c. Ivo, & Grat. De siceris vidend. Hieron. epist. 2. ad Nepotian. d. Armis numquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas. Ivo, & Gratian.

e Et uno die Pentecostes, addit Burch. solus tam d. cap. 40. quam lib. 19. §. 266.

f Sic etiam Burchard. saleque poenitere debes, Ivo d. cap. 126. & sale poenitentiam age, Ivo in Panorm. & Gratian.

g Et mellitam cervisam, Burchard. omnia hæc omittunt Ivo, & Grat. Mellitam coniicio esse cum melle confectam potionem. Cervisa, vel eervisa, potio nota est Germanis, & Britannis. Medonem ignoro, sed potionis genus esse apparet. Vinum & omnem siceram non bibas, habent, Ivo & Grat. A vino, & medone, ac mellita cervisa abstineat, Triburiens. cap. 56. & 58. Vide infra cap. 22.

h Hæc omittunt Ivo, & Gratian. i Que supra Burch. aptius, & Ivo: que tibi, Grat.

k Addit Burch. nos alieni a consortio tuo; item Ivo, qui addit his etiam alia: pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, & Domini attentius misericordiam quotidie implorare. Qui cum Patre &c. Eadem ferme Grat. refert usque ad verbum implorare, ut etiam est in Panorm. lib. edito. Vetus vero liber habet omnia supra scripta. l Sic etiam Burchard. Omittunt hæc Ivo, & Grat.

m Cap. 85. addit. Burch. lib. 6. cap. 39. & Ivo part. 10. cap. 168. deer. sed in conciliis non inveni.

CAPUT XIII.

*De his, qui patrem, matrem, fratrem,
aut sororem occidunt.*

GREGORIUS Bonifacio Maguntino Archiepiscopo (a). De his, qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderunt, decernimus, vel decernimus (b), ut toto vitæ suæ tempore corpus non suscipiant Dominicum, nisi in sui temporis exitu (c), pro viatico. Abstineant autem se a carnis comestione, & potu vini, donec vixerint. Jejunent secundam, & quartam, & sextam feriam, ut sic possint deflentes diluere commissum scelus.

CAPUT XIV.

*De diversis homicidiis voluntarie,
sive nolenter.*

Synodus CL. patr. sub Theodosio seniore Constantinopoli congregata (d).

Qui voluntarie genitorem suum, aut genitricem occiderit, extra patriam septem annis exul fiat; tunc demum usque ad mortem cum fletu, & gemitu pœniteat. Si autem nolens occidit (e), decem annis pœniteat, iudicio sacerdotis. Qui voluntarie filium suum, vel filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: deinceps viginti annis inermis cum fletu, & luctu pœniteat. Si autem nolens, septem annis pœniteat. Qui vero voluntarie avum suum, vel aviam, vel neptem [f] suam, vel patruum, aut avunculum, seu amitam, sive materteram, aut filium, vel filiam germani sui, aut germanæ, seu consobrinum suum, sive consobrinam suam occiderit, viginti annis (g) inermis cum fletu, & luctu pœniteat (h). Qui voluntarie de propria cognatione sua occiderit, id est, a tertia usque ad septimam: si vero tertia fuerit, duodecim annis inermis pœniteat: si quarta, undecim annis pœniteat: si quinta, decem: si sexta novem: si septima, octo annis pœniteat. Si autem nolens, arbitrio sacerdotis pœniteat. Qui voluntarie patrem suum, aut matrem, vel filium, aut filiam de Sancto lavacro, seu fratrem, sive sororem in Christo, aut dominum suum, vel dominam, seu uxorem suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: tunc demum quindecim annis inermis pœniteat. Si vero nolens, septem annis pœniteat. Qui vitricum suum voluntarie occiderit, aut novercam, seu privignum, sive pri-

vignam, vel focerum suum, aut focrum suam, seu generum suum, sive nurum, decem annis pœniteat. Si vero nolens, quinque annis pœniteat. Si laicus alterum laicum occiderit, septem annis pœniteat. Si autem in sæcularibus hominibus hoc detestatur scelus, quanto magis in clericis, & in monachis. Fortassis etenim si quando scævineus sexus de his sceleribus aliquod malum attrectaverit, similiter/ut congruum scævineo est sexui, ita pœniteat. Valde pensandum est suprascriptis omnibus personis, e quibus aliquid ex his scævissimis malis aliquibus irreperit, si per ignorantiam, si per infirmitatem, si per industriam. Gravius est infirmitate, quam per ignorantiam, gravius industria, quam per infirmitatem peccare. Sic semper providendum est peritissimis sacerdotibus.

CAPUT XV.

Si plures homines unum impugnaverint.

Ex concilio apud Warmerias (i).

Si quatuor, aut quinque homines, seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit, quicumque eorum plagam ei imposuit, secundum statuta canonum ut homicida iudicetur. Reliqui autem, qui eum impugnabant, volentes eum interficere, similiter pœniteant. Qui nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec concilio, nec auxilio cooperatores fuerint: sed tantum adfuerunt, extra noxam sint.

CAPUT XVI.

*De homicidiis diversis ab ecclesiasticis
viris commissis.*

Judicium canonum (k): Si quis homicidium fecerit, si Episcopus, quindecim annis pœniteat, & deponatur: cunctos dies vitæ suæ peregrinando finiat, Presbyter duodecim annis pœniteat, quatuor ex his in pane, & aqua: & deponatur superiori sententia. Diaconus decem annis pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Clericus, & laicus septem annis pœniteat, tres in pane, & aqua: ad gradus cujuslibet sacerdotii accedere non præsumat.

CAPUT XVII.

*De illo, qui consentit ad homicidium
faciendum.*

(l) **S**i quis ad homicidium faciendum consenserit, & factum fuerit, septem annis

^a Exstat Gregorii minoris epist. 8. in conciliis. Refert eadem verba Anselm. lib. 11. cap. 51.

^b Decernimus: Anselmus tantum. Desiderantur hæc in conc. ^c Sic etiam Anselm. vetus: nisi tempore exitus, concil. obitu pro exitu Romanus liber Anselm. ^d Sic etiam Anselm. lib. 11. cap. 48. in Rom. inscriptionem falsam esse suspicamur. ^e Sic Anselm. quoque: nolens occidit malo, aut nolenti accidit.

^f Seu nepotem, aut neptem, Anselm. plenius. ^g Duodecim annos Anselm.

^h Addit Anselm. Si enim nolens, septem annos pœniteat. Vero pro enim, scribo.

ⁱ Burch. lib. 6. cap. 42. Ivo parte 10. cap. 179. decret. & Gratian. 23. q. 8. cap. ult.

^k Sic etiam Anselm. lib. 11. cap. 33. sine inscriptione Grat. sive Palea. dist. 50. cap. 41.

^l Judicium canonum Anselm. lib. 11. cap. 34.

nis pœniteat, tres in pane, & aqua. Si autem voluerit, & non (a) poterit, tribus annis pœniteat. Si quis nolens homicidium fecerit, quinque annis pœniteat, duobus in pane, & aqua.

CAPUT XVIII.

De illo, qui aliquem percusserit, & sanguinem fuderit.

(b) **S**I quis aliquem per iram percusserit, & sanguinem fuderit (c), aut debilitaverit, solvat ei prius impensas, & opera, & medicum quærat: & si laicus est, quadraginta diebus in pane, & aqua pœniteat: si clericus, duas quadragesimas: si diaconus, septem mensibus: si presbyter, anno uno.

CAPUT XIX.

De eo, per cuius consilium homicidium fit.

(d) **C**onsiliatus es homicidium, & non fecisti, & occisus est homo ille propter tuum consilium: quadraginta dies [e] in pane, & aqua, cum septem sequentibus annis pœniteas.

CAPUT XX.

De illo, qui iussu Principis tyrannum occiderit.

(f) **F**ecisti homicidium in bello iussu legitimi Principis, qui pro pace hoc fieri iusserat, & interfecisti tyrannum, qui pacem pervertere studuit: tres quadragesimas per legitimas ferias pœniteas. Si autem aliter fuerit, id est, si sine iussu legitimi Principis, ut homicidium sponte commissum pœniteas, id est, quadraginta dies [g], cum septem sequentibus annis.

CAPUT XXI.

De eo, qui pugnaverit, cum aliis contra aliquem, & occisus fuerit.

(h) **F**uisti cum aliis, qui pugnaverunt contra aliquem, aut in domo propria, aut in alterius domo, aut in aliquo loco, ubi se defendere speraverat, & lapidem in eum projecisti, aut sagittam, aut spiculum aliquod adversus eum misisti, & occidere voluisti, & non est a te percussus: nec vulneratus, tamen ab aliis, cum quibus eum impugnabas, occisus est: quadraginta dies (i) in pane, & aqua pœ-

niteas, & septem sequentes annos ita observes, ut consuetudo est.

CAPUT XXII.

De illo, qui patrem, aut matrem, aut alios propinquos occiderit.

(k) **F**ecisti parricidium, id est, interfecisti patrem, aut matrem, fratrem, sororem, patruum, avunculum, materteram (l), aut aliquid tale fecisti: si casu, non sponte, neque in ira tua percutere voluisti, sed casu evenit, ut homicidium sponte commissum debes pœnitere: si autem ex industria, & in ira tua fecisti, istud observare debes, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orans Domini clementiam perseveres, completo anni circulo introducaris in ecclesiam, tamen in angulo ecclesiæ, usque dum unius anni spatium finiatur, stes: his ita peractis, si pœnitentiæ fructus in te conspicitur, corporis, & sanguinis Domini particeps fias, ut non obduraris desperatione. Carnem non manduces omnibus diebus vitæ tuæ. Jejunes autem usque ad Nonam quotidie, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Abstineas autem te a vino, medone, mellita, cervisa [m], tres dies per hebdomadam. Arma portare non debes, nisi contra paganos. Et ubicunque ire volueris, nullo vehiculo deducaris, sed pedibus propriis pergas. Ab uxore, si habeas, non separeris, si autem non habueris, aliam non ducas. Tempus autem huius pœnitentiæ in Episcopi tui arbitrio sit, ut secundum conversationem tuam, aut extendere, vel minuere valeat.

CAPUT XXIII.

De illo, qui debilitaverit aliquem in aliquo membro.

(n) **F**ecisti truncationem manuum, aut pedum, aut oculos fratris tui eruisti, aut vulnerasti aliquem: pro truncatione, quia proximum, & fratrem tuum debilem, & sibi inutilem fecisti, nisi pro furto, aut pro latrocinio, sive pro pace communi fecisses, uno anno graviter pœnitere per legitimas ferias (o) debes: pro vulnere autem, si grave est, & si cicatrices deformes habuerit, eo quod proximum tuum, & fratrem deformem reddideras [p], quadraginta dies in pane, & aqua pœnitere debes.

CA-

^a Sic etiam Anselm. non potuerit malo.

^b Anselm. lib. 11. cap. 36. etiam sine inscriptione.

^d Burch. lib. 19. pag. 264. sine inscript. proxima est; ex Pœnitent. Romano.

^e Id est, carinam, addit Burchard. de qua voce mox scribemus. ^f Burch. ibid. ante cap. 19.

^g Carinam unam. Burch. ^h Burch. ibid. pag. 265. post verba capitis 19.

ⁱ Id est, carinam, addit Burch. ^k Burch. ibid. ^l Amitam, addit Burch.

^m Mellita cervisa; Burch. Vide supra cap. 11.

ⁿ Burch. ubi supra pag. 166. Anselm. lib. 11. cap. 62. in Rom. ex pœnit. Romano.

^o Sic etiam Anselm. Omittit hæc Burch. ^p Sic Anselm. reddideris Burch.

CAPUT XXIV.

De illo, qui interfecerit furem, aut latronem.

[a] **I**nterfecisti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione, & tamen interfecisti, quia ad imaginem Dei creatus, & in nomine ejus baptizatus, & sanguine ejus redemptus est, quadraginta dies non intres ecclesiam, lanea veste indutus ab escis, & potibus, qui interdicti sunt, & a thoro, a gladio, & ab equitatu illos supradictos dies abstineas. In tertia autem feria, & in quinta, & sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, & pomis, vel parvis pisciculis, cum mediocri cervisa utere, & temperate. Si autem sine odii meditatione, te tuaque liberando, diaboli membrum interfecisti, secundum indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & elemosynam fac largiter. Si presbyter eadem fecerit, non deponatur: tamen quamdiu vivit, pœnitentiam agat.

CAPUT XXV.

De illo, qui accusaverit aliquem, & occisus fuerit.

(b) **A**ccusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, quadraginta dies in pane, & aqua (c), cum septem sequentibus annis pœnitere debes. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, tres quadragesimas pœnitere debes per legitimas ferias.

CAPUT XXVI.

De ea, quæ interficit filium suum post partum.

(d) **I**nterfecisti filium, vel filiam voluntarie post partum, duodecim annis pœnitere debes [e], & nunquam sis sine pœnitentia. Mulier [f] autem pauperula, si fecerit pro difficultate nutriendi, septem annis [g] pœniteat.

CAPUT XXVII.

De eadem re.

(h) **M**ulieres quædam, ut audivimus, quæ ex fornicatione concipientes, me-

tuentes, ne scelus, quod occulte perpetraverunt, manifestum fieret, infantes, quos pepererunt, occiderunt, in terræ congerie cooperuerunt, aut in aquas projecerunt. Quod quantum nefas sit, canones Ancyrani [i], & Elibertani (k), atque Ilerdensis (l) concilii testes sunt. His itaque vix in fine dandam esse communionem decernunt. Sed humanius tractantes, post decem annorum pœnitentiam, tales placuit ad communionem recipi.

CAPUT XXVIII.

De eadem re.

(m) **D**E mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt fecum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentia largiatur.

CAPUT XXIX.

De his, qui opprimunt infantem suum nolenter.

(n) **O**ppressisti infantem tuum sine voluntate tua, aut pondere vestimentorum tuorum suffocasti, & hoc si post baptismum factum fuerit, quadraginta dies [o] in pane, & aqua, & oleribus pœniteas, atque leguminibus & a conjuge te abstineas, donec illi quadraginta dies pertranseant. Post tres annos pœniteas per legitimas ferias, & tres quadragesimas in anno observes. Quod si ante baptismum infans oppressus fuerit, proximos quadraginta dies, ut supra dictum est, pœniteas, postea vero quinquennium expleas.

CAPUT XXX.

De eadem re.

(p) **I**nvenisti infantem tuum juxta te oppressum, ubi tu, & vir tuus simul in lecto jacuisti [q], & non apparuit, utrum a patre, seu a te suffocatus esset (r), non debetis securi esse, nec esse sine pœnitentia. Sed tamen in his magna consideratio debet esse pietatis, ubi nulla mala voluntas fuit, sed propria mors, tamen pro-

^a Burchard. ibid. ex Pœnit. Romano. Bernard. Papiens. cap. 4. de homicid. in 1. collect. & Greg. 9. cap. 2. ejusdem tit. Vidend. Burchard. lib. 11. cap. 60. Ivo parte 13. cap. 46. decret. Gratian. sive Palea 13. q. 2. cap. ult. Bernard. Papiens. cap. 3. de homicid. in 1. collectione.

^b Burch. ubi supra, ex Burchardo lib. 19. Bernard. Papiens. cap. 9. de accusatione in 1. collectione & Greg. 9. cap. 8. ejusdem tituli. ^c Quod carinam vocant, addunt Burch. & alii.

^d Burch. d. lib. 19. pag. 277. ^e Ante hæc verba addit Burchard. per legitimas ferias.

^f Burch. lib. 19. cap. 159. Ivo parte 15. cap. 164. decret. ex concil. Elibertano.

^g Annos Burch. sex annos, Ivo. ^h Ex concilio Arelatens. cap. 6. apud Burchard. lib. 17. cap. 53. & Ivon. parte 9. cap. 103. decret. ⁱ Cap. 22. Martin. Bracarenf. cap. 78. infra cap. 28.

^k Cap. 63. Burchard. libro 17. cap. 51. Ivo parte 9. cap. 109. ^l Cap. 2. Burchard. libro 17. cap. 52. & lib. 19. pag. 277. Ivo parte 10. cap. 182. decret. Anselm. lib. 11. cap. 56.

^m Dionysii Exigui verba in interpretat. cap. 21. Græci Ancyrani in Corpore canonum (est autem Latinis cap. 20.) refert Raban. cap. 11. Pœnitent. Burchard. lib. 17. cap. 54. Ivo parte 8. cap. 314. & parte 10. cap. 181. & 183. decret. Anselm. lib. 11. cap. 40. Tarrac. lib. 5. cap. 32. Vidend. Mart. Brachar. cap. 78. Anselm. lib. 11. cap. 42. in Roman. & concil. Magunt. sub Raban. 21.

ⁿ Burch. lib. 19. pag. 279. Vidend. idem B. lib. 17. cap. 58. ^o Id est carinam, addit Burch.

^p Burch. ibid. Vid. lib. 17. cap. 59. ^q Jacuistis Burch. ^r Addit Burch. An propria morte defunctus esset.

propter negligentiam, quadraginta dies (a) debetis pœnitere. Si autem vos non latet, interfectores esse infantis, non voluntate, sed negligentia, tres annos [b] pœnitere debetis, unum ex his in pane, & aqua: & tempore pœnititudinis ab omni luxuria vos custodire debetis.

CAPUT XXXI.

De his, quorum filii sine baptismo per negligentiam moriuntur.

(c) **C**Ujus parvulus sine baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Infans infirmus, & paganus commendetur presbytero: si moritur absque baptismo, deponatur, & si per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat.

CAPUT XXXII.

De illis, qui conceptum excutiunt.

(d) **S**I quis causa explendæ libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, ut homicida teneatur.

CAPUT XXXIII.

De illis fœminis, quæ abortum fecerint.

Ex Pœnit. Romano (e).

SI qua mulier abortum fecerit voluntarie, tres annos pœniteat (f).

CAPUT XXXIV.

De illo, qui occiderit aliquem de ecclesiasticis viris.

(g) **O**ccidisti tu ipse, aut aliquis per tuum consilium aliquem de ecclesiasticis viris Deo dicatis, aut psalmistam, aut ostiarium, aut lectorem, aut exorcistam, aut acolythum, aut subdiaconum, aut diaconum, aut presbyterum, per singulos ordines, & singulos gradus singulariter pœnitere debes. Ita faciendum est tibi, ut pro psalmista, quadraginta dies in pane, & aqua, quod Theotonice [h] carina vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas. Pro ostiario similiter. Pro lectore similiter. Pro exorcista similiter. Pro acolytho similiter. Pro subdiacono similiter. Pro diacono similiter. Pro presbytero similiter: quia omnis presbyter octo [i] ordines habet. Quapropter omnis, qui interfecerit voluntarie presbyterum, ita debet pœnitere, ut octo homicidia sponte commissa, & numquam debet esse sine pœnitentia: Tamen secundum Wormaciense [k] concilium ita debes pœnitere: Si sacerdotem voluntarie occideris, carnem non manduces, vinum non bibas cunctis diebus vitæ tuæ. Jejunies quotidie usque ad vesperam exceptis diebus festis, & Dominicis. Arma non feras, equum non ascendas, ecclesiam per quinquennium non ingrediaris, sed ante fores ecclesiæ stes. Post quinquennium ecclesiam ingredi, nondum vero communices, sed in angulo ecclesiæ stes, vel sedeas. Cum autem fuerit duodecimi anni circulus (l) finitus, communicandi tibi licentia concedatur, & equitandi tribuatur remissio. Maneas autem in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut perfectius purificari merearis.

TIT.

a In pane & aqua, addit Burch.

b Per legitimas ferias, addit idem Burch.

c Anselm. lib. 11. cap. 41. & 42. ex Pœnitentiali Romano. Vidend. Beda cap. 2. de remed. peccat.

d Ex concilio Vormaciens. Burch. lib. 17. cap. 57. Bernard. Papiens. cap. ult. de homicid. in 1. collect. Greg. IX. cap. 5. ejusd. tit.

e Sic etiam Burch. lib. 17. cap. ult. Judicium canonum. Anselm. lib. 11. cap. 39.

f Tribus annis pœniteat, Burch. duos annos pœniteat, & si nolens, tres quadragesimas, Anselm.

g Burch. lib. 19. pag. 260.

h Teuthonice, Burch. Longobardorum esse vulgarem vocem ait Tancred. cap. 9. de accusat. in 1. collect. a carentia hominum, vel ciborum & carenam, sive carentenam quidam vocant apud Gregor. IX. cap. 8. ejusdem tit. & c. 2. de sponsa duor. hoc esse credimus, quod indulgentiis Apostolicis dicitur, *tot annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentis indulgemus*. Hoc ipsum esse existimamus, quod ex constit. Innoc. III. in concilio gen. Later. cap. 62. *quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio Episcopar. excedere non debet in literis indulgentiarum: cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus, inquit, moderamen consuevit observare*. Vide cap. 5. de pœnit. & remiss. in 4. coll. & Greg. IX. cap. 14. CUM EX EO. ejusd. tituli. Ab hoc itaque quadraginta dierum numero credimus, carenas, & carinas, & carantenas, & quadragenas dictas esse. Invenies carinæ mentionem in conc. Saletin. cap. 17. & 19. post Burchard. decret. & apud Ivon. parte 15. cap. 187. & 185. Decret.

i Sic etiam Burchard. melius diceretur *septem*: quatuor minores, tres sacros, sed hic addit Psalmistæ ordinem ante Ostiarium: nos primam tonsuram clericalem appellamus.

k Cap. 26. & supra cap. 2.

l Sic etiam Burch. *decimus anni cursus*, Vorm. Vid. capitis 2. notas.

De Perjuriis, & de pœnitentia eorum.

CAPUT I.

De illis, qui, iubentibus dominis suis, perjurium fecerint.

(a) **Q**UI compulsus a domino, perjurat se sciens, utrique sunt perjuri, & dominus, & miles, dominus quia præcepit, miles, quia plus dominum, quam animam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane, & in aqua pœniteat, & septem sequentes annos. Si servus ejusdem est, tres quadragesimas per legitimas ferias [b] pœniteat.

CAPUT II.

De illis, qui pro vita redimenda perjurium fecerint.

(c) **S**I quis coactus, pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate se perjurat (d), quia plus corpus, quam animam dilexit tres quadragesimas, alii judicant tres annos, unam ex his in pane, & aqua pœniteat. Qui [e] perjurium in ecclesia fecerit, decem annos pœniteat.

CAPUT III.

De eadem re.

U Fecisti perjurium coactus per necessitatem, aut pro vita tua, quia dilexisti corpus, plus quam animam, quadraginta dies (g) in pane, & aqua pœnitere debes, & omnes sextas ferias, quæ sunt in unius anni circulo, in pane, & aqua pœniteas, & non redimas in ullo pretio.

CAPUT IV.

De illis, qui se scienter perjuraverint.

Ex Pœnit. Theod. (h).

SI quis suspicatur, quod ad perjurium ducatur (i) & tamen ex consensu jurat, quadraginta dies pœniteat, septem sequentes annos, & nunquam sit sine gravi pœnitentia.

CAPUT V.

De eadem re.

Ex decreto Pelagii Papæ (k).

SI quis se perjuraverit, & alios sciens in perjurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua, & septem sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia. Et alii, si conscii fuerint, similiter pœniteant: sin autem, singuli, ut perjurium non sponte commissum pœniteant.

CAPUT VI.

De eadem re.

Ex decreto Fabiani Papæ (l).

QUicumque sciens se perjuraverit (m), quadraginta dies in pane, & aqua, septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia [n], & nunquam in testimonium recipiatur, & post hæc communionem percipiat.

CAPUT VII.

De illis, qui sacramentum Regis violant.

Ex dictis Augustini [o].

SI quis laicus juramentum violando profanat, quod Regi, & domino suo jurat, & postmodum perverte ejus regnum, & dolose tractaverit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur: quia sacrilegium peragit, manum suam in Christum domini mittens, anathema sit, nisi per dignam pœnitentiæ satisfactionem emendaverit, sicuti constitutum est a sancta synodo: id est, sæculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. Veruntamen communionem in exitu vitæ cum Eucharistia accipiat. Episcopus vero presbyter, vel diaconus, si hoc crimen perpetraverit, degradetur.

CA-

^a Ex decretis Pii Burch. lib. 12. cap. 4. Ivo parte 12. cap. 61. decret. Tarrac. liber Galesianus lib. 1. cap. 241. & Grat. 22. q. 5. cap. 1. Sed ex Pœnit. Theodori Anselm. lib. 11. cap. 58. Vidend. Beda de remed. peccat. cap. 3. ^b Et pro per, Burch. & alii.
^c Ex Pœnitent. Romano Burch. lib. 12. cap. 6. & Ivo parte 12. cap. 63. decret. & Tarrac. lib. 5. cap. 6. Ex Pœnit. Theodori Anselm. lib. 11. cap. 60. Gratian. 22. q. 5. cap. 3.
^d Se pejerat, Burchard. solus, vocem se omittit Tarrac. & Gratian.
^e Hæc omittit Burchard. & cæteri. Vidend. Beda cap. 9. de remed. peccat.
^f Burchard. libro 19. parte 267. ^g Id est carinam, addit Burchard.
^h Theodori Burchard. lib. 12. cap. 11. Ivo part. 12. cap. 68. decret. Anselm. lib. 11. cap. 63.
ⁱ Perducatur, Anselm. inducatur, Burchard. & Ivo.
^k Sic etiam Burch. lib. 12. cap. 9. Ivo part. 12. cap. 66. decret. & Anselm. lib. 11. cap. 61. Gelasius, Grat. 22. q. 5. cap. 4. ^l Burch. lib. 12. cap. 8. Ivo part. 12. cap. 65. decret. Anselm. lib. 11. cap. 62. Tarracon. lib. 5. cap. 5. Gratian. 6. q. 1. cap. 18. ^m Anselm. & Tarrac. vocem se omittunt.
ⁿ Hæc ab eisdem sunt omissa. ^o Burchard. lib. 12. cap. 21. Ivo part. 12. cap. 78. decret. Anselm. lib. 11. cap. 68. Gratian. 22. q. 5. cap. 19. Vide Toletan. 16. cap. 9. & 19.

CAPUT VIII.

De illo, qui perjurat per cupiditatem.

(a) **F**ecisti perjurium per cupiditatem, quadraginta dies in pane, & aqua, quod vulgus carinam vocat, & septem sequentes annos ita observes, ut consuetudo est, & quando vivis (b), omnes sextas ferias in pane, & aqua jejunes. Et si redimere volueris, uno denario, vel pretio unius denarii, vel tres pauperes pascendo, potestatem habeas redimendi. Talem poenitentiam (c) Poenitentialis Romanus praecipit.

(d) Si quis per cupiditatem perjuraverit (e), omnes res suas vendat, & pauperibus distribuat, & monasterium (f) ingreſſus, jugi poenitentiae se subdat.

CAPUT IX.

De eadem re.

(g) **F**ecisti perjurium sciens, & alios in perjurium adduxisti, quadraginta dies in pane, & aqua [h] poenitere debes, & septem sequentes annos, ita ut consuetudo est, observare debes: & tot perjuria debes jejunare, quot homines sciens ad perjurium adduxisti. Et ipsi sua perjuria emendent, ut supra notatum est, si scienter fecerint: sin autem, levius.

CAPUT X.

De eadem re.

(i) **S**i jurasti per capillum Dei, aut per caput ejus, vel alio modo blasphemia contra Deum ulus fueris: si temel neiciens fecisti, septem dies in pane, & aqua poeniteas. Si secundo, vel tertio increpatus fecisti, quindecim dies in pane, & aqua poeniteas. Si per caelum, aut per terram, sive per solem, aut lunam, aut per aliam aliquam creaturam, quindecim dies poeniteas (k).

CAPUT XI.

De eadem re.

(l) **S**i sacramento te obligasti, ut ad pacem alicujus inimici tui nullo modo redires, pro perjurio uno anno a corpore, & sanguine Domini sis sequestratus, & quadraginta dies in pane, & aqua poeniteas. Ad charitatem vero, quae operit multitudinem peccatorum, celeriter redi.

CAPUT XII.

De illo, qui consentit ad falsum testimonium.

(m) **Q**ui consentit ad falsum testimonium, quinque annos poeniteat.

CAPUT XIII.

De falso testimonio, quod capitale sit crimen.

Noverint (n) falsi testes, quod si falsum testimonium capitale crimen non esset, nequaquam Dominus in Evangelio inter principalia crimina hoc annumerasset. Ait enim (o): *De corde exeunt homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia.* Et ideo similiter debet poenitere, & excommunicari falsus testis, sicut adulter, & fur, & homicida.

CAPUT XIV.

Qualiter puniatur falsus testis.

(p) **F**uisti in falso testimonio, ita dico, ut testimoniares, & affirmares, & hoc verum esse, quod falsum erat [q], & hoc fecisti propter amorem alicujus, sive per praemium, sive propter timorem, ita debes poenitere, sicut adulterium, & homicidia sponte commissa, Domino dicente [r]: *De corde enim exeunt homicidia, adulteria, furta, testimonia.* Et ideo debet poenitere, & excommunicari falsus testis, sicut adulter, & fur, & homicida. Si propter (s) timorem fecisti illius, a quo timere potuisti, & membra perdere, aut vitam, & ad ultimum bona tua, tunc divide poenitentiam, & postea praevide, ne tibi ulterius contingat.

Tom. III.

L I

CA-

a Burch. lib. 19. pag. 297. b *Vivas*, Burch. c *Tamen*, Burch.
d Burch. ibid. & lib. 12. cap. 3. ex Poenit. Romano, & Ivo part. 12. cap. 60. decret. & Tarrac. lib. 5. cap. 6. ex Poenitentiali, Anselm lib. 11. cap. 72. qui solus scribit: *si laicus per cupiditatem.*
e Sic etiam Ivo, & Tarrac. *se pejeraverit*, Burch. lib. 19. *pejeraverit*, d. cap. 3. *se perjuraverit*, Anselm.
f Anselm. solus scribit, & *conversus ad monasterium, usque ad mortem serviat Deo. Si autem non per cupiditatem sed mortis periculum incurrit, tres annos inermis, & exul poeniteat in pane, & aqua, & duobus se absteineat a vino, & carne, & dimittat pro se servum, ancillam, aut ingenuam, & pro duobus annis elemosynam faciat: & post septem annos judicio sacerdotis communicet.* In Tarracon. post verbum *subdat*, est: *Qui vero coactus pro vita, &c.* ut supra cap. 2. g Burchard. d. lib. 19.
h *Quod vulgus carinam vocat, addit.* Burch. sic supra cap. 8. & tit. 1. cap. 34. & tit. 3. cap. 20.
i Burch. ibid. Vidend. Julian. Novella 77. Burch. lib. 12. cap. 15. Ivo part. 12. cap. 32. & 72. Anselm. lib. 11. cap. 66. Tarrac. lib. 1. cap. 242. Gratian. 22. q. 1. cap. 10. *SI QUIS.*
k *In pane, & aqua poeniteas*, Burch. l Burch. d. lib. 19. Vid. Ilerdens. cap. 7. Troslejan. cap. 11. Raban. cap. 20. Poenitent. Burch. lib. 12. cap. 17. Ivo part. 12. cap. 74. decret. Gratian. 22. q. 4. cap. 11. QUI SACRAMENTO. m *Ex Poenit. Theodori*, Anselm. lib. 11. cap. 74.
n *Ex concilio Agathensi cap. 8.* apud Burch. lib. 16. cap. 16. Anselm. lib. 11. cap. 77. sed in conciliis non inveni. o Matth. 15. p Burch. d. lib. 19. pag. 269. Tarracon. lib. 5. cap. 26.
q *Falsum sciebas*, Tarrac. r Matth. 15. s *Hac non sunt in Tarrac.*

CAPUT XV.

Quod iuramenta solvenda sunt, quæ ad malum faciendum facta sunt.

Hieronymus (a).

TRia iuramenta solvenda sunt. Primum, cum quis malefacere jurat, hoc est, homicidium, vel quodlibet malum, non est servandum iuramentum, vel sacramentum, veluti si quispiam adulteræ conjunctus, perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur, tolerabilius est, non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio, inde dicitur: Omnem nodum iniquitatis dissolve. Secundo, cum incaute jurat, non putans esse peccatum. Tertio, si mulier sita [b] in ætate puerili, in domo patris, se iuramento constrinxerit, si pater statim cum (c) audierit, contradixerit, vota ejus, & iuramenta irrita erunt (d).

TITULUS III.

De fornicatione, & incesto diversi generis, & de pœnitentia utriusque sexus, & diversæ ætatis.

CAPUT I.

Si laicus absolutus cum laica absoluta peccaverit.

(l) **S**I laicus cum laica fœmina, id est, uterque absolutus a lege conjugii, concubuerit, tres annos pœniteat (m): & quanto sapius, & negligentius ea peccata commiserit (n), tanto magis & tempus addatur, & modus pœnitentiæ.

CAPUT II.

De Uxore, quæ, conscio marito, mœchata fuerit.

Ex concilio Magontienfi (o).

SI conscio marito, & ipsa (p) consentiente, uxor fuerit mœchata, placuit nec in finem (q) dandam eis communionem. Si vero eam reliquerit, & separati fuerint, & digne pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.

CAPUT XVI.

Quod definitio incauta solvenda sit.
Ex concilio Hibernensi (e).

Definitio incauta laudabiliter solvenda (f) nec prævaricatio est, sed temeritatis emendatio.

CAPUT XVII.

De eadem re.

Ex eodem [g].

SI puella sita in puerili ætate, in domo patris (h) se iuramento constrinxerit, & si pater statim ut audierit, contradixerit, vota ejus, & iuramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.

CAPUT XVIII.

Juramentum filii.

Ex concilio Aurelian. [i]

Juramentum filii, aut filia, nesciente patre, & vota monachi, nesciente Abbate, & iuramenta irrita sunt pueri [k].

CAPUT III.

De viro uxorem non habente, si cum alterius uxore adulterium perpetraverit.

(r) **Q**uod si vir non habens uxorem, cum alterius uxore adulterium perpetraverit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille, qui fœdus violavit conjugii, septem annos (s) pœniteat, ille, qui lege conjugii non tenetur, quinque annos pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterit ad explendam libidinem suam conjugem amplexus, & illis, qui conjugem carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem inciderunt (t).

CAPUT IV.

De eo, qui habens uxorem semel lapsus fuerit.

[u] **S**I quis forte habens uxorem, semel lapsus fuerit, placuit, eum quinquennium agere debere pœnitentiam, & sic reconciliari (x): nisi

a In libro de naturis verum, addit Anselm. lib. 11. cap. 69. in Rom. vidend. Gratian. 22. q. 4. cap. 19.

Si quis 1. TRIBUS. b De his verbis vide cap. 17. c Statim ut, Anselm. & cap. 17.

d Nec tenebitur obnoxia, addit Anselm. & facilius emendabitur, cap. 17.

e Sic etiam Burch. lib. 12. cap. 25. Elibertano, Ivo part. 12. cap. 80. decret. & Gratian. 22. q. 4. cap.

17. sine inscript. Tarrac. lib. 6. cap. 11. f Est, addit Gratian. solus.

g Sic etiam Burch. lib. 12. c. 29. & Ivo c. 81. ubi supra, Ex conc. Elibert. idem Ivo lib. 8. c. 19. Panorm. & Grat.

22. q. 5. cap. 15. in fine. Vide c. 15. in fine. h Sic etiam d. cap. 15. Illo nesciente, addit Burch. & ceteri.

i Aurelianens. cap. 2. Burchard. lib. 12. cap. 27. & Ivo part. 12. cap. 82. decret. & cap. 20. d. tit. 8.

Panorm. Hibernens. Anselmus lib. 11. cap. 69. in fine, in Rom.

k Et iuramenta pueri irrita sunt, Burch. & Ivo: iuramentum servi, non permittente domino, irrita erunt, Anselm.

l Ex concilio Meldens. cap. VII. Burchard. lib. 9. cap. 68., & Ivo parte 8. cap. 205. decreti. In conciliis

non inveni. Vide Nannetens. 13. m Sic etiam Ivo, pœniteant, Burch. n Sic Ivo, commiserunt, Burch.

o Maguntino cap. IX. Burch. lib. 9. cap. 69. Ivo cap. 206. ubi supra, Maguntinens. cap. IX. In conciliis

non inveni. p Ipso pro ipsa, Burchard. & Ivo. q Fines pro finem, Burch. & Ivo aptus.

r Ex concilio Nannetensi cap. XIV. in concil. Refert Burch. lib. 9. cap. 70. Ivo parte 8. cap. 207. decret.

s Ut supra dictum est, addunt concil. & Burchard. & Ivo. t Ceciderunt, concil. Burch. & Ivo.

u Elibertan. cap. LXIX. Refert Ivo part. 8. cap. 281. decret. x Hæc Ivo omisit.

nisi necessitas infirmitatis coegerit, ante tempus dare communionem. Hoc & circa foeminas observandum est.

CAPUT V.

De illo, qui se ignorante cum sorore uxoris suæ fornicatus est.

Ex concilio Triburiensi (a).

IN lectum mariti, absente uxore, soror ivit uxoris, quam ille uxorem suam putans, dormivit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit, poenitentiam quidem, quæ sibi indicta fuerit, agat, legitimum suum conjugium habere permittatur: illam digna vindicta affligi [b], & in æternum conjugio privari.

CAPUT VI.

De eadem re.

Ex eodem concilio (c).

SI quis cum duabus fororibus fornicatus fuerit, & soror fororem ab eodem antea stupratam nescierit, vel si ipse sororem ejus, quam antea stupravit, non intellexerit, si digne poenituerit, & se continere non valuerit, post septem annos conjugium illis non negetur. Si autem non ignoraverit, usque ad mortem a conjugio abstineat.

CAPUT VII.

De eadem re.

Ex eodem concilio [d].

SI quis cum duabus fororibus fornicatus fuerit, vir diebus vitæ suæ poeniteat, soror autem, quæ de alia sorore nescivit, licentiam habeat nubendi.

CAPUT VIII.

De illo, qui cum duabus fororibus, vel noverca sua, vel cum sorore sua, vel cum reliquis propinquis fornicatus est.

Ex concilio Magontienfi (e).

SI quis fornicatus fuerit cum duabus fororibus, vel cum noverca sua, vel cum sorore

re sua, vel cum amita sua, vel cum matertera sua, vel cum filia patris sui, aut avunculi sui, vel cum filia amitæ suæ, sive materteræ suæ, vel cum nepte sua, vel cum commatre sua, vel filiola sua, quam de fonte suscepit, vel ante Episcopum tenuit, & si qua mulier simili modo fornicata fuerit, abstineat se ab ingressu domus Dei anno uno; & eodem anno, nisi Dominicis, & festis diebus solummodo pane, & aqua, & sale utatur, arma non ferat, osculum nulli præbeat, sacrificium, nisi pro viatico, minime sumat. Sex deinde annis (f) ingrediatur quidem domum Dei, sed carnibus, & vino, & sicera minime utatur, nisi festis diebus: de armis vero, & osculo, sive sacrificio, sicut supra dictum est. Postea vero duobus annis quando carne vescitur, a potu omni, quo inebriari potest, se contineat. Et si potum biberit, minime carne vescatur, nisi Dominicis diebus, atque (g) præcipuis festis: de armis vero, vel osculo, & sacrificio modum teneat jam dictum. Inde usque ad obitum suum, nisi prædictis festis diebus a carne abstineat. Tres ferias legitimas in omni hebdomade & tres quadragesimas in anno legitime custodiat. De armis vero, ut supra dictum est, & numquam conjugio copuletur. Hæc eadem poenitentia imponenda est parricidis, fraticidis, vel consanguinei interfectores (h), & qui spon-te per fraudem, & avaritiam hominem innoxium occidunt, quod morchidum [i] vocant.

CAPUT IX.

De illo, qui cum matrem habuerit uxorem, cum filiastra fornicatus fuerit.

(k) **S**I quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra fornicatus fuerit, seu cum duabus fororibus concubuerit: aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre, & filio [l] fornicata fuerit, tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec umquam amplius conjugio copulari, sed sub magna distinctione esse (m).

L 1 2

CA.

a Burch. lib. 17. cap. 4. Grat. 74. q. 1. cap. 6. In conciliis non inveni. Videndus Burch. lib. 19. pag. 273.
 b Sic etiam Burch. d. cap. 4. Illa autem adultera digna vindicta debet affligi, & in æternum conjugio privari, Burch. lib. 19. Illa vero vindicta digna affligatur, & in æternum conjugio privetur, Grat.
 c Burch. lib. 17. cap. 5. & Tarracoenf. lib. 5. cap. 29. & Grat. cap. 8. d. q. 1.
 d Burch. cap. 6. ejusdem libri. e Maguntino cap. III. Burch. lib. 17. c. 8. Aurelianensi, Ivo parte 9. cap. 70. decret. sine inscript. Tarrac. lib. 5. cap. 30. f Secundo anno similiter faciat, sed ecclesiam intret, postea vero duobus annis vescatur carne, Tarracoen. g Absque præcipuis, Burch. & Ivo. Absque festis Tarrac.
 h Consanguineis, Burch. & Ivo, & Tarrac. i Homicidium, ab hominis cæde dici videtur.
 k Ex concil. Maguntino cap. LVI. in conciliis. Refert Burch. lib. 17. cap. 9. Ivo lib. 6. tit. 11. cap. 2. Panorm. & part. 9. cap. 71. & 77. decr. & Tarrac. lib. 6. cap. 158. & Gratian. 32. q. 7. cap. 20. & Capitul. Caroli, & alior. lib. 7. cap. 116. in addit. Vide Magunt. 2. sub Rabano cap. 29.
 l Ivo d. cap. 2. & d. cap. 77. addit: Si quis relictam fratris, si quis neptem, aut novercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam polluerit, eas disjungi, & ulterius numquam conjugio copulari præcipimus. Hæc eadem habet Gratian.
 m Fieri pro esse, Concil. & Burch. & Ivo d. cap. 71. & Tarrac. & Capitul.

CAPUT X.

De illo, qui cum filia, ignorante matre, fornicatus est.

(a) **S**I quis cum matre, & filia fornicatus fuerit, ignorante matre de filia, & filia de matre, vir, qui hæc fecerit, numquam accipiat uxorem. Illæ vero, si voluerint, accipiant maritos, tamen pœnitentiam agant. Si autem hoc scierint ipsæ fœminæ, absque maritis in perpetuo maneant.

CAPUT XI.

De illo, qui stupraverit quandam, quam frater ejus postea duxerit uxorem.

[b] **S**I homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus nesciens eandem duxerit uxorem, frater, eo quod fratri crimen celaverit, quatuor annos (c) pœniteat, & post pœnitentiam, si vult, nubat. Mulier autem usque ad mortem pœniteat, & sine spe conjugii maneant.

CAPUT XII.

De muliere, cum qua pater, & filius fornicati sunt.

[d] **Q**uidam fornicatus est cum quadam muliere: postea filius, nesciens patris factum, stupravit eandem, quod cum pater rescivisset, de se, filioque confessus est. Statuerunt, melius esse, ut taliter lapsis cum digna pœnitentia legitima permittantur conjugia, quam forte deterius delinquant. Fornicaria autem sine spe conjugii maneant.

CAPUT XIII.

De illo conjugato, qui cum filia materteræ suæ, vel avunculi, vel patruï, vel amitæ fornicatus fuerit.

[e] **I**nterrogatum est, si quis cum filia materteræ suæ, vel amitæ, vel avunculi,

vel patruï concubuerit, si conjugatus fuerit, liceat ne illi ulterius suo uti conjugio, aut non conjugatus (f) uxorem accipere. Justum est enim, sicut aliqua statuta priorum habent, ut in perpetuum a conjugio tales abstineant. Visum est tamen humanæ fragilitatis intuitu, ut post pœnitentiam non quidem penitus priventur conjugio; durissime tamen tam immanis fornicatio vindicetur: sicut sanctus Papa Nicolaus, & alii Romani Pontifices statuerunt; ne forte desperati multiplicius peccent.

CAPUT XIV.

Qualiter pœnitere debeat, qui incestum fecerit.

(g) **Q**UI dormierit cum noverca sua, & qui cum nuru sua, & qui filiam, & matrem duxerit, & qui acceperit sororem suam, morte moriatur. Si enim in lege turpitudinem incestus mortis sententia vindicare jussit, quomodo in Evangelio, ubi summa justitia est, incestuosus peccati pœnitentiam evadet? (h) Igitur Theodorus judicavit, eum, qui incestum fecerit, duodecim annos pœnitere debere, alii quindecim, alii decem, alii septem. Sed nos priscorum Patrum vestigia sequentes, his solis spatium pœnitentiæ temperemus, qui devote, & cum lacrymis pœnitentiam egerint. Cæteri definitum tempus observent.

CAPUT XV.

De mulieribus, quæ aliquo molimine inter se fornicantur.

(i) **M**ulier, quocumque molimine aut in se ipsa, aut cum altera fornicans, duos annos (k) pœniteat.

CAPUT XVI.

De his, qui irrationabiliter versati sunt.

[l] **D**E his, qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur, id est, qui cum pe-

a Ex Concilio apud Vermeriam cap. 4. Burch. lib. 17. cap. 12. & Ivo parte 9. cap. 72. decr. & Gratian. 35. q. 2. cap. 5. Ex Concil. Tribur. Grat. 34. q. 1. cap. 9. Vide concil. Vormac. cap. 63.

b Ex eod. Concil. cap. 5. Burch. lib. 17. cap. 13. Ivo cap. 73. ubi supra Grat. 35. q. 2. cap. 6. Vide concil. Tribur. cap. 44.

c Septem annos, Grat. Omittunt hæc Burch. & Ivo. Prædura arceatur pœnitentia, Tribur.

d Ex concil. Triburienf. cap. 6. apud Burch. lib. 17. cap. 16. & Ivo parte 9. cap. 76. & Grat. 34. q. 1. cap. ult. Vide Triburienf. cap. 43.

e Ex concil. Triburienf. cap. 1. apud Burch. cap. 20. ejusd. libri, & Ivo cap. 78. ubi supra.

f Non conjugato, Burchard. & Ivo.

g Ex concil. Moguntino cap. 5. apud Burchard. lib. 17. cap. 21. & Ivo d. part. 9. cap. 76. latius, sic enim verba ejus capituli referunt: Interrogatum est, si pater, & filius, vel si duo fratres, vel avunculus, & nepos cum una muliere fornicati sunt, quid inde faciendum sit? Manifestum est, quod gravi vindicta plectendum est, quod grave facinus esse reperitur. Omnis enim mœchia interdicitur, ubi scriptum est: „Non mœchaberis“: quanto magis cum cognata, vel cum conjugate, seu concubina cognati? Hinc in Levitico scriptum est: „Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius, morte moriantur & mœchus, & adulter“. Qui dormierit, &c.

Exod. 20. „bus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculca-

Levit. 20. „verit & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?“

Hebr. 10. i Ex Pœnit. Theodori, Burch. lib. 7. cap. 27. & Ivo part. 9. cap. 85. decr. Vidend. Beda cap. 2. de remed. peccat. k Tres annos, Burch. & Beda sed in veteri Burch. libro, duos annos, & apud Ivon.

l Verba sunt Dionysii Exigui interpretis cap. 16. concilii Ancyranæ Græci, ut in corpore canon est, cap. 15. Refert Raban. cap. 6. Pœnit. Burch. lib. 17. cap. 30. Ivo part. 9. cap. 88. decr. Anselm. lib. 11. cap. 96. Vidend. Martin. Bracar. cap. 82. & Capitul. lib. 1. cap. 49. & Anselm. cap. 99. d. libri 11.

coribus, & masculis se coinquinaverint (a), quotquot ante viginti annos ætatis tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum, deinde quinquennio in hac communionem durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitentis extiterit, & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus infumant. Quotquot autem post viginti annos ætatis uxores habentes in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annos pœnitentiam agentes ad orationis communionem recipiantur, in qua quinquennio perdurantes, tunc demum plenam communionem [b], & oblationis sacramenta percipiant. Quod si uxores habentes, & transcendentis quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

CAPUT XVII.

De illis, qui cum pecudibus fornicantur.

(c) QUI cum pecude peccat, quidam iudicant annos decem, quidam septem, quidam tres (d), quidam centum dies, iuxta qualitatem pœniteat personæ (e).

CAPUT XVIII.

De illis, qui fornicantur sicut Sodomitæ.

(f) QUI fornicatus fuerit sicut Sodomitæ, si servus est, scopis castigabitur, & duos annos pœniteat, si liber est, & conjugatus, decem annos pœniteat. Pueri centum dies, si in consuetudine est. Laicus conjugatus, si in consuetudine habet, quindecim annos pœniteat. Si ex ordinibus est, & in consuetudine habet, degradatus, ut laicus pœniteat. Qui autem cum fratre naturali fornicatus fuerit per tam fordidam commixtionem, ab omni carne se absteineat, & (g) quindecim annos pœniteat. Si clericus est, amplius pelli debet.

CAPUT XIX.

Item de commixtione animalium.

Ex Pœnitentiali Romano (h).

SI quis cujuslibet animalis commixtione peccaverit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad ecclesiæ januam, & post hos alios quinque annis in orationis communionem receptus pœnitentiam agat, & sic gratiam sacramenti percipiat. Interrogentur autem alii de eo qualem vitam, & pœnitentiam [i] egerit, & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens uxorem huic peccato succubuerit, viginti quinque annos humilitati subiaceat, & quinque annos in orationibus; & sic communicet.

CAPUT XX.

Item de fornicatoribus.

(k) Mœchatus es cum uxore alterius tu non habens uxorem, quadraginta dies in pane, & aqua, quod in communi sermone carina vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas.

Si (l) mœchatus es tu uxoratus cum alterius uxore, quia habuisti quomodo impleres tuam libidinem, duas carinas, cum quatuordecim sequentibus annis pœniteas, unam, quia super uxorem tuam alteram habuisti, ecce unum adulterium, habuisti etiam alterius uxorem: ecce alterum adulterium, & numquam debes esse sine pœnitentia.

Si (m) tu solutus ab uxore cum femina vacante stuprum perpetrasti, quadraginta dies (n) in pane, & aqua pœniteas: si cum propria ancilla, similiter pœniteas.

Si [o] fecisti fornicationem cum sanctimoniali, id est, cum sponsa Christi, quadraginta dies in pane, & aqua [p] cum septem sequentibus (q) pœniteas, & quandiu vivas, omnes sextas ferias in pane, & aqua observes.

Si

a Hæc verba in corpore canonum omittuntur hoc loco, sed in titulo sic est: *De his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur*, eadem verba habet Raban. In alia editione apud Isidorum Mercatorem sic est in veteri libro: *In hoc titulo Græca verba sunt, περι τῶν ἀλόγουτων ἢ κηλογετιμένων, quæ * nos Latine possumus dicere: De his, qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur.* Sensus autem in hac sententia duplex esse potest *, qui ex subjectis conicitur. Aut de his, qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecorum * incestu cum propinquis sanguine commixti sunt. In Capitular. lib. 7. cap. 356. post Græcorum verborum interpretationem additur: *In qua sententia sensus triplex est, id est, de his, qui cum pecoribus coitu mixti sunt: aut more pecorum cum consanguineis usque * affinitatis lineam incestum commiserunt: aut cum masculis concubuerunt.* Martinus Brachar. cap. 82. sic ait: *Si quis ante XX. annos in cujuslibet animalis commixtione peccaverit.* Anselm. d. cap. 99. *Si quis more pecorum cum propinqua sanguinis sui incestus nuptiis conjunctus fuerit.*

b Hæc non sunt in Corpore canonum, neque apud Raban. neque apud Martin. Bracar. neque apud Burch. Ivo & Anselm. d. cap. 99. neque in Græcis libris, sed sunt in editione Isidori Mercatoris in veteribus libris, & in aliis omnibus a me lectis, & apud Anselm. c. 96.

c Ex pœnitent. Theodori, Burch. lib. 17. cap. 32. & Ivo parte 9. cap. 90. de cr.

d Sic etiam Burchard. Duos pro tres. Ivo sed in margine tres.

e Personæ pœniteat, Ivo personæ pœnitere, Burchard. aptius.

f Ex eod. Pœnitent. Burch. cap. 34. & Ivo cap. 92. ubi supra, & Tarrac. lib. 5. cap. 33.

g Vel pro Et, Burch. Ivo, & Tarrac. h Sic etiam Burch. lib. 17. cap. 38. & Tarrac. lib. 5. cap. 34.

i In pœnitentia, Burch. k Burch. lib. 19. pag. 268. l Burch. ibidem. m Burch. ibidem.

n Decem dies, Burch. o Burch. eod. lib. 19. pag. 268. p Quod carinam vocant, Burch. addit.

q Annis, addit Burch.

* quod
* oportet
* pecudum
* sive per

Si (a) corrupisti virginem, & postea eam suscepisti uxorem, eo quod solas nuptias, quod maximum est, violasti, annum unum per legitimas ferias pœniteas. Si autem non duxisti eam post corruptionem uxorem, duos annos per legitimas ferias pœniteas.

Accepisti (b) illam tibi uxorem, quam alter sibi desponsaram habuerat, dimitte illam, quia numquam tibi potest fieri legitima, & quadraginta dies (c) in pane & aqua, cum septem sequentibus annis pœniteas.

Contigit [d] tibi, ut uxor tua, te conscio, & hortante, cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret: si fecisti, quadraginta dies (e) in pane, & aqua pœniteas, & septem annos, unum, ex his in pane, & aqua, & numquam sis sine pœnitentia. Si autem uxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa & tuo jussu se renuente, & luctante (f) adulterata sit, si se continere non potest, nubat cui voluerit (g), tantum in Domino. Tu autem sine uxoria spe in perpetuo maneat. Illa autem, si consentiens fuerat, eadem jejundet, quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat.

Concubuiſti [h] cum uxore tua vel cum alia retro canino more, quadraginta dies (i) pœniteas.

Concubuiſti (k) cum uxore tua die Dominico, quatuor dies pœniteas [l].

Si [m] concubuiſti cum uxore tua, postquam infans motum in utero fecerat, vel saltem quadraginta dies ante partum, vel in tempore purificationis suæ (n), vel menstruo tempore, decem dies (o) pœniteas.

Si (p) fecisti fornicationem cum matre tua, quindecim annos [q] pœniteas; unum ex his in pane, & aqua, & absque spe conjugii permaneat, & numquam sis sine pœnitentia. Mater autem tua, si non consentiens fuit, juxta arbitrium sacerdotis pœniteat, & si se continere non vult, nubat in Domino.

Si (r) fecisti fornicationem cum commatre tua, separari debes ab ea, & quadraginta dies

(s) in pane, & aqua, cum septem sequentibus annis pœniteas.

Si (t) fecisti fornicationem cum filiola tua spiritali, quam de fonte suscepisti, aut ad manus Episcopi tenuisti, separari debes ab ea quadraginta dies [u], cum septem sequentibus annis pœniteas.

Si (x) fecisti fornicationem cum sorore tua, decem annos per legitimas ferias; unum ex his in pane, & aqua pœnitere debes: & quamdiu vivas, pœnitentiam agas, & esse sine spe conjugii. Soror autem tua, si consentiens non fuit, pœnitentia peracta, si se continere non potest, nubat in Domino.

Fecisti [y] fornicationem, sicut Sodomitæ fecerunt, ita ut in masculini (z) terga, & in posteriora virgam tuam immitteres, & sic secum coires more Sodomitico; si uxorem habuisti, & semel, vel bis fecisti, decem annos per legitimas ferias pœnitere debes; unum ex his in pane, & aqua. Si in consuetudine habuisti, duodecim annos per legitimas ferias pœnitere debes. Si cum fratre [aa] tuo carnali idem scelus perpetrasti, quindecim annos per legitimas ferias pœniteas.

Si (bb) cum masculo inter [cc] coxas, ut quidam solent, fornicationem fecisti, ita dico, ut tuum virile membrum inter coxas alterius mitteres, & sic agitando semen effunderes, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteas.

Fecisti (dd) fornicationem, ut quidam facere solent, ita dico, ut tu ipse in manum tuam veretrum alterius acciperes, & alter tuum in suam, & sic alternatim veretra manibus vestris commoveretis, & sic per illam delectationem semen a te proiiceres, triginta dies in pane & aqua pœniteas.

Si [ee] fecisti solus tecum fornicationem, ut quidam facere solent, ita dico, ut tu ipse tuum virile membrum in manum tuam acciperes, & [ff] sic duceres præputium tuum, & manu propria commoveres, & sic per delectationem semen a te proiiceres, decem dies in pane & aqua pœniteas.

Fe-

a Burch. ubi supra.
b Burch. ibid. Bernard. Papiens. cap. 2. de sponsa duor. in 1. collect. & Greg. 9. ex Burch. lib. 19.
c Quod carinam vocant, addit Burch. carenam, Bern. & Gregor. d Burch. ibidem.
e Id est, carinam, addit Burch. f Et reluctante, Burch. Post mortem viri, addi debuit. g Post mortem viri, addi debuit. h Burch. d. lib. 19. pag. 269. i Si fecisti, decem dies in pane, & aqua, Burch.
k Burch. ibid. & Tarrac. lib. 5. cap. 26. Vide tit. 7. cap. 9.
l Sic etiam Tarrac. Quatuor dies in pane, & aqua pœnitere debes, Burch.
m Burch. & Tarrac. ubi supra vide d. cap. 9.
n Hæc alio loco Burch. scribit, & in Tarrac. nulla sunt.
o Viginti pro decem Tarrac. XX. dies in pane, & aqua pœniteas, Burch. sed de menstruo tempore ait: decem dies in pane, & aqua pœniteas. p Burch. d. lib. 19. pag. 273.
q Per legitimas ferias, addit Burch. Legitimæ feriæ sunt, ni fallor, secunda, quarta, & sexta feria.
r Burch. ibidem. s Id est, carinam, addit Burch. t Burch. ibid.
u Quod carinam vocant, addit Burch. x Burch. ubi supra pag. 274. y Burch. ibid.
z Masculi, Burch. aptius. aa Vide supra cap. 18. bb Burch. ibid.
cc Intra, Burch. bis. dd Burch. ubi supra. ee Burch. ibid. ff Ut sic, Burch.

Fecisti fornicationem, ut quidam facere solent, ut tuum virile membrum in lignum perforatum, aut in aliquod hujusmodi mitteres, & sic per illam commotionem (a) a te semen proiiceres, viginti dies in pane, & aqua pœniteas.

Fecisti [b] fornicationem contra naturam, id est, ut cum masculis, vel cum animalibus coires, id est, cum equa, vel vacca, vel cum asina, vel cum alio aliquo animali, si semel vel bis fecisti, & si uxorem non habuisti, quod adimplere tuam libidinem potuisses; quadraginta dies in pane, & aqua (c), cum septem sequentibus annis pœnitere debes, & numquam sis sine pœnitentia. Si autem uxorem habuisti, decem annos per legitimas ferias pœniteas. Si autem in consuetudine habuisti scelus illud, quindecim annos (d) pœnitere debes. Si in pueritia tibi contigerit, centum dies in pane, & aqua pœnitere debes. Si autem servus est qui hæc fecerit, & uxoratus est, & cum animalibus peccat, si cum scopis bene castigatus fuerit, tres annos per legitimas ferias pœniteat. Si autem servus sine uxore hæc fecerit, item verberibus castigatus, duos annos per legitimas ferias pœniteat. Si autem talis est servus, ut gratis verbera pati non velit, & est tam digna persona, ita pœniteat, ut ille qui ingenuus est.

Si (e) obtrectasti turpitudinem tu conjugatus alicujus sceminae, ita dico, mammillas ejus, & verenda obtrectasti; tres dies (f) in pane, & aqua pœniteas. Si autem non fuisti conjugatus, uno die [g] in pane, & aqua pœnitere debes.

Fecisti (h), quod quædam facere solent, quando libidinem se vexantem extinguere volunt, quasi coire debeant, & possint, conjugunt invicem puerperia sua, & sic confricando pruritus illarum extinguere desiderant: si fecisti, tres quadragesimas per legitimas ferias debes pœnitere.

CAPUT XXI.

De illis, qui per illecebrosos amplexus sceminarum polluuntur.

Ex Pœnitentiali Bedæ [i].

QUI per illecebrosos amplexus sceminae, vel osculo polluitur, tres (k) pœniteat.

Qui tetigerit inverecunde carnem ejusdem sceminae, tres dies [l] pœniteat. Qui per turpiloquium polluitur, septem dies [m] pœniteat. Presbyter, si osculatus fuerit per immundum desiderium sceminae, decem dies (n) pœniteat. Si inquinatus fuerit, viginti dies (o) pœniteat. Qui in ecclesia per somnum polluitur, tres dies pœniteat. Qui infomnis voluntate pollutus est, surgat, & cantet septem psalmos pœnitentiales, & in die triginta. Qui peccare voluerit infomnis, & non fuerit pollutus, viginti quatuor psalmos cantet.

CAPUT XXII.

De clericis, qui per malas cogitationes semen effuderint.

Ex Pœnitentiali Romano (p).

CLericus si semen fuderit non tangendo per malas delectationes [q], septem dies pœniteat. Si tangit cum manu, decem dies (r) pœniteat: Si diaconus viginti dies: Si presbyter, tres hebdomadas [s]. Presbyter, si semen fuderit per cogitationem, septem dies (t) pœniteat. Monachus similiter. Qui voluntarie semen fuderit in ecclesia, si clericus est, duodecim dies (u): si monachus, aut diaconus, triginta dies: si presbyter, quadraginta: si Episcopus, quinquaginta.

CAPUT XXIII.

De Sodomitico peccato (x).

Ex Pœnitentiali Romano [y].

EPiscopus fornicationem faciens naturalem, duodecim annos pœniteat, presbyter decem, diaconus novem, subdiaconus octo, clericus septem, laicus sex annos pœniteat. Frater carnalis cum fratre carnali fornicationem faciens, quidecim annos ab omni carne se abstineat, si semen in os miserit, septem annos pœniteat. Alii dicunt, usque in finem vitæ pœnitere debere. Viri inter femora fornicantes, unum pœniteant. Si inter nates (z), duos. Si inter crura fornicantes, si pueri sunt, unum annum pœniteant: si viri, duos annos: si autem in consuetudine est, modus pœnitentiæ addatur judicio sacerdotis. Vir semetipsum coinquans, primo decem dies pœniteat: si iterans, viginti dies: si cum gradu est, addatur pœnitentia. Pueri quindecim annorum quadraginta-

a Et delectationem, addit Burch. b Burch. ubi supra. c Quod carinam vocant, addit Burch.

d Per legitimas ferias, addit idem Burch. e Burch. d. lib. 19. pag. 275. Vide cap. 27.

f Quinque dies, Burch. g Duos dies, Burch. h Burch. d. lib. 19. pag. 277.

i Sic etiam Burch. lib. 17. cap. 42. Vide cap. 27. & vide Bedam cap. 2. de remed. peccat.

k Sic est in veteri Burchard. libro 20. dies, in editis.

l Sic etiam in veteri Burchard. libro, *mensis pro dies*, in editis. m Sex dies, Burch. vetus lib.

n Sic etiam vetus Burch. liber XX. dies, editi. o Sic idem vetus XL. dies, editi libri.

p Burch. d. lib. 17. cap. 43. q Cogitationes, vetus Burch. liber.

r Sic idem vetus liber XX. dies, editi.

s Sic etiam vetus Burch. liber XXX. dies & IV. hebdom. editus liber.

t Sex dies, vetus Burch. liber. u Sic etiam in veteri Burch. libro XIV. dies, in editis.

x Sic etiam Burch. lib. 17. cap. 56. y Sic etiam Burch. sed falsa inscriptio est.

z Si iterantes, Burch.

ginta dies pœniteant. Qui concupiscit mente fornicari, sed non potuit, decem dies pœniteat. Qui per turpiloquium, vel aspectum coinquinatus est, tamen non voluit peccare corporaliter, viginti dies pœniteat: si autem impugnatione tentationis (a) violenter coinquinatus est, viginti dies pœniteat. Qui diu illudetur a cogitatione, molliter ei repugnans, septem dies [b], vel quantum exegerit diurnitas cogitationis pœniteat. Pueri ante (c) viginti annos se invicem manibus coinquinantes, & confessi antequam communicent, viginti dies pœniteant (d). Si iteraverint post pœnitentiam, centum dies pœniteant. Si vero frequentius, separentur, & annum unum pœniteant. Supradicta [e] ætas inter (f) femora fornicans, centum diebus pœniteat; si id iterans, annum unum pœniteat. Puer parvulus oppressus a majore, decem annos habens hebdomadem jejunet, si consenserit, viginti diebus [g] pœniteat: si autem [h] coinquinatus est, centum diebus pœniteat; si vero, ut moris est, suam compleat voluntatem, annum poeniteat.

CAPUT XXIV.

De his, qui fornicati sunt ut Sodomitæ.
Ex Pœnitentiali Theodori (i).

SI quis fornicatus fuerit, ut Sodomitæ fecerunt, si Episcopus, viginti quinque annos poeniteat, quinque ex his in pane, & aqua, & omni officio deponatur, peregrinando finiat dies vitæ suæ [k]. Presbyter quindecim annos poeniteat, quinque ex his in pane, & aqua superiori sententia deponatur. Diaconus, & monachus duodecim annos, tres in pane, & aqua, & deponatur, peregrinando vitam finiat.

CAPUT XXV.

De eo, qui fornicari vult, & non potest.
Theodorus (l).

SI quis concupiscens fornicari, non poterit, aut mulier non susceperit eum; si Episcopus, septem annos pœniteat, presbyter quinque, diaconus, vel monachus tres, ex his unum in pane, & aqua; clerici, vel laici duos (m) annos pœniteant.

CAPUT XXVI.

De incestis occulte commissis.
Ex dictis Augustini [n].

SI quis incestum occulte commiserit, & sacerdoti occulte confessionem egerit, in-

dicetur ei remedium canonum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset. Verum quia latet commissum, detur ei a sacerdote consilium, ut ad salutem (o) animæ suæ pro occulta poenitentia proficiat: hoc est, ut veraciter ex corde se graviter deliquisse confiteatur, & per jejunia, & eleemolynas, vigiliisque atque sacras orationes cum lacrymis se purgare contendat, & sic ad spem veniæ per misericordiam Dei pervenire confidat.

CAPUT XXVII.

De illis, qui libidinosè puellam obrectaverint, aut mulierem.

Ex Pœnitentiali Romano (p).

SI quis obrectaverit puellæ, aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum; si clericus est, quinque dies poeniteat: si laicus, tres dies poeniteat. Monachus vel sacerdos, a ministerio divino suspensi, si aliquid tale fecerint, viginti dies pœniteant, scriptum est enim: Neque tetigeritis, neque obrectaveritis turpitudinem foeminarum.

CAPUT XXVIII.

De illis, qui in balneo cum mulieribus se laverint.

Theodorus [q].

SI quis in balneo cum mulieribus se lavare præsumperit, tres dies poeniteat, & ulterius non præsumat.

CAPUT XXIX.

Qualiter pœnitere debeat, quæ lenocinium operatur.

(r) **E**Xercuisti lenocinium, aut in te ipsa, aut in aliis, ita dico, ut tuo (s) meretricio more tuis amatoribus corpus tuum ad tractandum, & ad fordidandum, pro pretio tradidisses: seu, quod crudelius est, & periculosius, alienum corpus, filiæ dico, vel neptis, & alicujus christianæ amatoribus vendidisti, vel concessisti, vel internuntia fuisti, vel consiliata es, ut stuprum aliquod tali modo perpetraretur, duos annos [t] poeniteas per legitimas ferias. Tamen in concilio Elibertano (u) præcipitur, ut illa [x], quæ hæc perpetraverit, nisi in fine non accipiat communionem.

TI-

a Cogitationis, Burch. b Sex dies, Burch.
c Ante hæc verba multa addit Burch. quæ habet Anselm. lib. 11. cap. 118.
d In pane, & aqua, addit Anselm. e Hæc omittit Burch. habet Anselm. f Circa, Anselm.
g Sic etiam Anselm. XX. dies: mollis autem annum pœniteat, Burchard.
h Omittit hæc Burch. habet Anselm. i Sic etiam Anselm. lib. 11. cap. 97.
k Si autem senex, aut æger fuerit, carceribus tenebrosis reclusus pœniteat omnibus diebus vite sue, Anselm. addit.
l Theodori, Anselm. lib. 11. cap. 129. m Annum, Anselm.
n Sic etiam Burch. lib. 19. cap. 36. & Ivo parte 15. cap. 58. decret. Vide tit. 8. cap. 1. & 2.
o Ut salui, Burch. & Ivo. p Burch. lib. 19. cap. 137. Ivo parte 15. cap. 147. decret. Vide supra cap.
20. prope finem, & cap. 21. q Ex pœnit. Theodori, Burch. lib. 19. cap. 138. & Ivo part. 15. cap. 148.
r Burch. d. lib. 19. pag. 278. s Ut tu, Burch. t Quinque annos, vetus Burch. liber: sex editus.
u Cap. 12. refert Ivo part. 8. cap. 306. Decret. x Ille, qui, Burch.

TITULUS IV.

De prædatoribus, & furibus, & incendiariis,
& pœnitentia eorum.

CAPUT I.

*De rebus ecclesiasticis, quomodo restitui
debeant.*

(a) **S**I quis ecclesiasticas oblationes, & quod Deo consecratum fuerit rapuerit, vel consenserit facientibus, ut sacrilegus dijudicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat.

CAPUT II.

Quod sacrilegi sunt ecclesiarum prædones.

(b) **S**Acrilegi sunt ecclesiarum prædones: unde & in concilio Agathensi [c] sub IV. cap. habetur ita: *Amico quidpiam [d] rapere furtum est: Ecclesie vero fraudari, vel abstrahi, subripique sacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, resque Ecclesie diripientes, vel ecclesias, sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames, sacrilegique habendi sunt.*

CAPUT III.

*Majoris pœnæ est violenter aliquid eripere,
quam furari.*

Augustinus (e).

Pœnale est, occulte auferre: multo majoris est pœnæ, visibiliter rapere (f). Auferre ergo nolenti, sive occulte, seu palam, habet præceptum suum: furti enim nomine bene [g] intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permittit, qui furtum prohibuit, sed sub furti nomine rapinam

Tom. III.

intelligi voluit: a parte enim totum significavit, quidquid aufertur (h).

CAPUT IV.

De eadem re.

Theodorus (i).

SI quis per necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestem aut pecus per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres. Si reddiderit, non cogatur jejunare.

CAPUT V.

De eadem re.

Idem (k).

SI quis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia tulerit, vel casas effregerit (l), septem annos pœniteat (m), & quod furatum est, reddat.

Si quis autem de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, & anno uno pœniteat (n).

CAPUT VI.

De eadem re.

Hieronymus (o).

FUR autem non solum in majoribus, sed in minoribus etiam judicatur, non enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione [p] non idcirco diversa sit fornicatio (q), si mulier pulchra (r), aut deformis, aut ancilla, aut ingenua, pauper, aut opulenta: sed qualiscumque illa fuerit, una est fornicatio (s): ita in furto quantumque quis abstulerit (t), furti crimen incurrit.

M m

CA-

a Ex decr. Eusebii Papæ, apud Burch. lib. 11. cap. 27. in fine, Ivo. part. 13. cap. 37. decr. Anselm. lib. 5. cap. 41. Cæs. lib. 7. cap. 42. & Grat. 12. q. 2. cap. 10. IN LEGIBUS in fine. Sed in conciliis non invenit: licet alia verba ab eisdem relata existant epist. 2. in fine ejusdem Eusebii.

b Ex concil. Magunt. cap. VIII. apud Burchard. lib. 11. cap. 28. & Ivo part. 13. cap. 38. Decr.

c In Vasensi est in conciliis.

d Hieronymi verba sunt in epist. 2. ad Nepotian. refert concil. Vasense cap. 4. Ivo part. 3. cap. 155. Decr. Grat. 12. q. 2. cap. 71. GLORIA in medio, & 13. q. 2. cap. 10. OBLATIONES.

e Ex dictis Augustini, Burch. lib. 11. cap. 54. sed Ivo part. 13. cap. 3. decr. & Anselm. lib. 11. cap. 109. in Rom. ex Aug. in libro Question. Exodi & Grat. 14. q. 5. cap. 13.

f Eripere pro rapere, Burch. & alii. g Bene pro bene, Burch.

h Quiddam illicite rerum proximi aufertur, Ivo, & Anselm. & Gratian.

i Ex Pœnit. Theodori, Burch. lib. 11. cap. 56. Ivo part. 13. cap. 42. decr. Bernard. Papiens. cap. 5. de furtis in 1. collect. & Greg. 9. cap. 3. eod. tit. Vide infra cap. 16.

k Ex Pœnit. Theodori, Burch. lib. 11. cap. 58. Ivo part. 13. cap. 44. decr. Aliis verbis Anselm. lib. 11. cap. 109. & Grat. sive Palea. 17. q. 4. cap. 17. si quis, ex Pœnit. Romano, ut infra cap. 10.

l Quadrupedem vel domum fregerit, Anselm. & Gratian. qui addunt: aut quamlibet rem melioris pretii, & infra cap. 10. m Hæc de clerico, Anselm. & Gratian. qui addunt: laicus quinque, & infra cap. 10.

n Hæc de clerico, Anselm. & Grat. qui addunt: laicus quinque, & infra cap. 10.

o Sic etiam Burch. lib. 11. cap. 55. & Ivo ubi supra cap. 41. Hieron. in epist. ad Titum. Grat. 14. q. 6. cap. ult. sine infcr. Anselm. lib. 11. cap. 102. Extant in d. epist. cap. 2.

p Et adulterio, addit Hier. q Sit fornicatio, aut adulterium, Hier.

r Si pulchra vel dives deformis aut pauper, meretrix vel adultera sit, Hier.

s Vel adulterium, addit Hier. t Servus pro quis, Hier.

CAPUT VII.

De violatoribus sepulchrorum.

(a) **S**I quis sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua.

CAPUT VIII.

De eadem re.

(b) **V**Iolasti sepulchrum, ita dico dum aliquem videres sepeliri, & in nocte infringeres sepulchrum, & tolles vestimenta ejus: si fecisti, duos annos per legitimas ferias pœniteas.

CAPUT IX.

De furto ecclesiæ.

Ex Pœnitentiali Theodori (c).

Pecunia ecclesiastica furata, vel rapta reddatur in quadruplum, populi vero duplicetur. Si quis aliquid de ministerio ecclesiæ quolibet modo furatus fuerit, septem annos pœniteat [d].

CAPUT X.

De clericis furtum facientibus.

Ex Pœnitentiali Romano [e].

SI quis clericus furtum capitale fecerit, id est, quadrupedem, vel domum fregerit, aut quamlibet rem melioris pretii furatus fuerit, septem annos pœniteat: laicus quinque. Si quis de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, & annum unum pœniteat [f]: si reddere non poterit, tres annos pœniteat.

CAPUT XI.

Quod ut sacrilegus judicandus est, qui patrem, vel matrem expulerit.

Theodorus (g).

SI quis patrem, vel matrem expulerit, impius, & sacrilegus judicandus est: pœniteat autem æquali tempore, quamdiu in impietate illa extiterit.

CAPUT XII.

De eadem re.

(h) **M**aledixisti patri, vel matri tuæ, vel flagellasti eos, vel in aliquo dehonestasti, quadraginta dies [i] in pane, & aqua cum septem sequentibus annis pœniteas, quia Dominus dixit (k): *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.*

CAPUT XIII.

De eadem re.

Ex Pœnitentiali Romano (l).

SI quis inhonoraverit patrem, aut matrem, tres annos pœniteat; quod si manum levaverit, aut ei percussione tulerit, septem annos pœniteat.

CAPUT XIV.

De illis, qui de ministerio ecclesiæ aliquid furati fuerint.

(m) **F**uratus es aliquid de ecclesiastico Thesauro infra ecclesiam sive aurum, sive argentum, sive gemmas, sive libros, sive pallia altaris, sive sacerdotalia vestimenta, sive vela, sive tapetia, sive aliquid, quod ad ecclesiæ usum, vel datum est, vel factum est, si fecisti, redde quod tulisti, & tres carinas, cum septem sequentibus annis pœniteas. Si ipsas sacras reliquias furatus es, reportatis sacris, septem carinas jejunare debes.

CAPUT XV.

De eadem re.

(n) **S**I infregisti alicujus Christiani domum per noctem, & ibi tulisti (o) ejus quadrupedia, id est, equum, aut bovem, aut alia ejus animalia, aut fortiorem causam valentem quadraginta solidos, pretium redde, & anno uno (p) pœnitere debes, si non reddis, duos annos pœnitere debes. Si majus furtum fecisti, magis debes pœnitere: & si sæpe fecisti, tanto magis debes augere pœnitentiam. Si parvum [q] fecisti, decem dies in pane & aqua pœnitere debes. Pœniteant pueri quinque dies in pane, & aqua.

CAPUT XVI.

De eadem re.

(r) **S**I rapinam fecisti, gravius debes pœnitere, quia miserabilius est, quod per vim, te vidente, rapuisti, quam quod si dormienti, vel abienti furatus es. Si fecisti furtum necessitatis causa [s], sic dico, ut non haberes unde viveres, & propter famis penuriam, & tantum furatus es victualia extra ecclesiam, & non propter consuetudinem fecisti, redde quod tulisti, & sex ferias [t] in pane, & aqua pœniteas. Si autem reddere non poteris, decem dies in pane, & aqua pœniteas.

CA-

^a Ex Pœnit. Theodori, Burch. lib. 11. cap. 58. post verba capituli quinti, item Ivo part. 13. cap. 44.

^b Burch. lib. 19. pag. 269.

^c Anselm. lib. 11. cap. 107. & Grat. sive Palea. 17. q. 4. cap. 16.

^d Tres in pane, & aqua, addunt Anselm. & Palea.

^e Sic etiam Gratian. sive Palea. cap. 17. q. 4. sine inscript. Anselm. lib. 11. cap. 109. Vide supra cap. 5.

^f In pane & aqua, addunt Anf. & Palea. ^g Ejusd. Theodori, Anf. cap. 112. ejusd. libri.

^h Burch. lib. 19. pag. 270. ⁱ Unam carinam, addit Burch. ^k Exod. 21. b. Levi. 20. b.

^l Burch. lib. 19. cap. 94. & Ivo part. 15. cap. 106. Decr. ^m Burch. d. lib. 19. pag. 267.

ⁿ Burch. ibid. ^o Sic etiam Burch. inde tulisti, malo. ^p Annum tuum per legitimas ferias, Burch.

^q Furtum, Addit Burch. ^r Burch. ubi supra. ^s Vide supra cap. 4. ^t Et tres sextas ferias, Burch.

CAPUT XVII.

De illo, qui incenderit ecclesiam.

(a) **I**ncendisti ecclesiam, aut consensisti: si fecisti, ecclesiam restitue, & pretium tuum, id est, Wireldum tuum (b) pauperibus distribue, & quindecim annos pœniteas.

CAPUT XVIII.

De illo, qui domum, vel aream proximi sui incenderit.

(c) **S**i quis domum, vel aream cujuscumque voluntarie igne cremaverit, sublata, vel incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat.

CAPUT XIX.

De illo, qui truncationes membrorum fecerit.

(d) **Q**ui per rixam ictu debilem, vel deformem hominem fecerit, reddat impen-

fas medici, & medium annum pœniteat. Si non habuerit unde reddat, unum annum pœniteat. Et si non habet [e] unde reddat, solvat opera [f] proximi sui quamdiu infirmus est, & postea quadraginta dies in pane, & aqua pœniteat.

CAPUT XX.

De eadem re.

(g) **Q**ui ictum proximo dederit, & non nocuerit, tres dies pœniteat in pane, & aqua: si clericus, unum annum pœniteat, vel dimidium. Si quis alicui quodlibet membrum voluntate sua truncaverit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane, & aqua. Parvuli invicem se percutientes, tres pœniteant, si vero adolescentes, viginti dies pœniteant.

TITULUS V.

De crapula, & ebrietate.

CAPUT I.

Ut malum ebrietatis omnino vitetur.

(h) **M**agnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, Christianis modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit excommunicandum esse decrevimus usque ad congruam emendationem.

CAPUT II.

Quales convivæ sacerdotum epulis interesse debeant.

(i) **O**portet Episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas

ad comedendum, & potandam non urgere, quin potius semper sobrietatis præbeat exemplum. Removeantur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra spectacula, non jocularum vaniloquia [k], non fatuorum stultiloquia, non scurrilium admittantur præstigia. Adsint peregrini, & hospites [l], pauperes, & debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur vivæ vocis exhortatio, ut non tantum corporali cibo, immo verbi spiritualis alimento convivantes se refecti (m) gratulentur, & in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum dominum nostrum.

M m 2

CA-

^a Burch. d. lib. 19. pag. 275. Vidend. idem Burch. lib. 3. cap. 204. Ivo lib. 2. tit. 6. cap. 7. Panorm. & part. 3. cap. 127. Decr. Anselm. lib. 5. cap. 18. Tarrac. lib. 5. cap. 10. Cæf. lib. 15. cap. 76. Grat. sive Palea, 17. q. 4. cap. 14. Si quis.

^b Wiregeldum pro Wireldum, Burch. pretium suum distribuat pauperibus, idem Burch. d. cap. 204. & alii. Opera pretium est notare mendum scriptorum apud Grat. sive Paleam 7. q. 4. cap. 26. ex concilio Tribur. cap. 5. Omnes presbyteri interfectores compositione Episcopi ad cujus parochiam pertinent solvantur, ita videlicet, ut medietatem Renaldus Episcopus ejus utilitati ecclesie, cui præfuerit, tribuat &c. In Capitul. Caroli & Ludov. lib. 4. cap. 15. ita est: Presbyteri interfecti Episcopo ad cujus parochiam pertinent, solvantur secundum capitulare gloriosi Caroli genitoris nostri ita videlicet, ut medietatem Wirgildi ejus Episcopus utilitatibus ecclesie, cui præfuit, tribuat, &c. Apud Burch. lib. 6. cap. 11. est: Presbyteri interfecti compositione Episcopo, ad cujus parochiam pertinebat, solvatur, ita videlicet, ut medietatem Wirgildi ejus Episcopus utilitatibus ecclesie, cui præfuit tribuat &c. Eisdem verbis utitur Ivo parte 10. cap. 140. Decr. In concilio Tribur. cap. 4. de presbytero vulnerato si supervixerit, tota compositio, inquit, solvatur presbytero. Si autem articulo mortis præventus obierit pretium Wirgildi tripartita partiatum divisione &c. Bern. Papiens. cap. 2. de pœnis in 1. collect. Burchardi verbis utitur, paucis exceptis, ut in notis diximus. At Greg. 9. cap. 2. eod. tit. vocem Wirgildi omisit, voce compositionis retenta, quæ apertior est. Itaque apud Grat. sive Paleam Wirgildi pro Renaldus scribendum est, & pro interfectores scribe interfecti.

^c Ex Pœnit. Romano, Burch. lib. 19. cap. 136. & Ivo part. 15. cap. 146. decr.

^d Ex eod. Pœnit. Burchard. lib. 19. cap. 101. & Ivo d. part. 15. cap. 113.

^e Ante hæc verba omissa sunt hæc, quæ habent Burch. & Ivo: Si laicus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum, quantum nocuit. ^f Solvat in opera, Burch. solvat operas, male.

^g Ex pœnitentiæ Bedæ presbyteri, Burch. d. lib. 19. cap. 102. & Ivo supra cap. 114.

^h Sic etiam Burch. lib. 14. cap. 2. & Ivo parte 13. cap. 70. decreti, sine inscriptione Capitul. lib. 5. cap. 96. & in addit. lib. 7. cap. 35. Verba sunt concilii Maguntini cap. 46. in conciliis.

ⁱ Ex decr. Eusebii Pape cap. XII. Burch. lib. 14. cap. 7. Ivo lib. 14. cap. 7. Ivo d. par. 13. cap. 75.

^k Acroamatum pro jocularum, Burch. & Ivo acroamatum, scribendum: sunt autem acroamata dicta, sicut dictoria Latinis, quæ sæpe in conviviiis jaciebantur in aliquos, aut alia dicta, aut recitata auditione digna. Sed & ipsi, qui dicebant, acroamata vocabantur. Cicero in Verrem: Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, &c. & pro Sextio: Ille ipse ludens non solum spectator sed actor, & acroama. Et pro Archia: Quod acroama, aut cujus vocem libenter audiret.

^l Omittit Burch. & Ivo. ^m Se refectos, Burch. & Ivo.

CAPUT III.

De eadem re.
Theodorus (a).

Sacerdos quislibet, si inebriatur per ignorantiam, septem dies poeniteat in pane, & aqua, si per negligentiam, quindecim dies, si per contemptum, quadraginta dies. Diaconus, vel monachus, secundum ordinem, ut scriptum est, seu (b) & reliqui clerici, ut (c) ministri juxta ordinem, judicio sacerdotis poeniteant. Laici, velut vota non habentes, si inebriantur, arguantur a sacerdote, quod ebriosis (d) regnum Dei non possidebunt, & interitus sit ebrietas & compellat eos poenitere. Qui cogit hominem, ut inebrietur humanitatis gratia, acerrime corripitur, & septem dies poeniteat, si per contemptum, triginta dies. Nullus Christianus alium plus bibere cogat, quam naturæ sufficiat: quod si fecerit, juxta id, quod in Poenitentiali habetur, poeniteat.

CAPUT IV.

De eadem re.

(e) **S**I quis ecclesiastica præditus ordinatione, aut monachus repertus fuerit ebriosus, in pane, & aqua tribus mensibus poeniteat.

CAPUT V.

De illis, qui per ebrietatem vomitum fecerint.

(f) **Q**UI per ebrietatem vomitum facit, si presbyter, aut diaconus est quadraginta dies poeniteat: si monachus, triginta dies, laicus (g), quindecim dies.

CAPUT VI.

De eadem re.

(h) **L**AICUS, si per ebrietatem vomitum facit, tres dies a carne, & vino, & cervisa se absteineat (i).

CAPUT VII.

De eadem re.

(k) **F**ECISTI vomitum corporis, & sanguinis Domini, propter ebrietatem, quadra-

ginta dies, id est, carinam unam [l] poeniteas. Si per nequitiam alios (m) inebriasti, viginti dies in pane, & aqua poeniteas (n).

CAPUT VIII.

De illo, qui evomit sacrificium.

Theodorus (o).

QUI sacrificium evomerit, quadraginta dies poeniteat: si infirmitatis causa (p), septem dies: si in ignem proicit, centum psalmos cantet: si vero canes lambuerint talem vomitum, centum dies, qui evomit, poeniteat.

CAPUT IX.

De Eucharistia inveterata.

Ex concilio Aurelian. (q)

OMNE sacrificium fordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis juxta altare sepeliendus.

CAPUT X.

De hoc, si aliquid de calice sacri sanguinis stillaverit.

Ex decreto Pii Papæ (r).

SI vero per negligentiam de calice aliquid stillaverit in terram, linguabitur (s) tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus conradetur, & igne consumeatur, & cinis intra altare recondetur, & sacerdos quadraginta dies poeniteat. Si super altare calix stillaverit, forbeat minister stillam, & tres dies poeniteat: si per linteum altaris ad aliud stilla pervenerit, quatuor dies poeniteat: si usque tertium, IX. dies: si usque quartum, XV. dies poeniteat, & linteamina, quæ tetigerint stillam (t), tribus vicibus minister abluat, calice subter posito, & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur.

CAPUT XI.

De illis, qui non bene custodierint corpus, & sanguinem Domini.

[u] **Q**UI non bene custodierint sacrificium, & mus, vel aliquod aliud immundum

a Ex Pœnit. Theodori, Burch. lib. 14. cap. 8. & Ivo part. 13. cap. 76. de cr. qui addit: *Episcopi*. Fuit autem Episcopus Cantuariensis. b *Ceu*, & Ivo. c *Et pro ut*, Burch. & Ivo. d 1. Corinth. 6.
e Ex *dictis Fructuosi Episcopi*, Burch. d. lib. 14. cap. 9. & Ivo cap. 77. ubi supra.
f Ex *pœnitent. Romano*, Burch. lib. 14. cap. 13. & Ivo d. part. 13. cap. 81.
g Ante hæc verba Burchard. & Ivo scribunt: *si clericus XX. dies.*
h Ex *pœnitent. Bedæ presbyteri*, Burchard. d. lib. 14. cap. 14. & Ivo cap. 28. ubi supra.
i *Voce se carent* Burch. & Ivo. k Burch. lib. 19. pag. 271. l *In pane, & aqua*, Burch.
m *Alium*, Burch. n Addit Burch. *si per bonam voluntatem, decem dies in pane, & aqua poeniteas.*
o Ex *pœnitent. Romano*, Burchard. lib. 5. cap. 49. & Ivo part. 2. cap. 58. de cr.
p Hæc omittit Ivo. q *Aurelian. cap. V.* Burch. d. lib. c. 50. *Arelatens. III. cap. V.* Ivo d. part. 2. c. 59.
r Sic etiam Burch. lib. 5. c. 47. Ivo lib. 1. tit. 4. c. 33. Panorm. & part. 2. cap. 56. de cr. Anselm. lib. 7. cap. 210. in Rom. Tarracon. lib. 6. cap. 229. Cæsar. lib. 11. cap. 14. & Grat. de consecr. d. 2. c. 27.
s Sic etiam Burch. & vetus Panorm. lib. *lingua lambetur*, editus liber, & d. cap. 56. & Gratian. *linguabitur*, Anselm. *linguatur*, Tarracon. *linguatur*, Cæsar.
t Sic vetus Burch. lib. *tetigerunt*, Burch. editus, *que tetigerit stilla*, Ivo in Panorm. & d. cap. 56. & Gratian. *vox stillam* omittitur ab Anselm. Cæsar. ut Ivo.
u Ex *Concilio Aurelian. cap. VI.* Burch. lib. 5. cap. 51. & Ivo cap. 34. d. tit. 4. Panorm. *Arelatens. III. cap. VI.* Ivo part. 2. cap. 60. de cr. *Arelatens. Gratian. de consecr. dist. 2. cap. 94.* Vidend. Beda cap. 13. *de remed. pecc.*

dum animal (a) comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, XXX. (b) dies pœniteat. Perfundens (c) aliquid super altare de calice quando offert (d), sex dies pœniteat, aut si abundantius, VII. dies pœniteat, qui autem perfundens (e) calicem dum solemnitas Missæ celebratur quadraginta dies pœniteat; si vero celebrata missa presbyter neglexerit accipere sacrificium, similiter quadraginta dies pœniteat. Et quia acceperit sacrificium pollutus nocturno tempore, VII. dies pœniteat. Diaconus obliviscens (f) oblationem offerre, donec offeratur linteamen quando recitantur nomina paupantium, similiter pœniteat [g]. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, aut a vermibus (h) consumptum ad nihilum devenerit, III. quadragesimas in pane (i), & aqua pœniteat. Si integrum inventum fuerit in [k] eo vermis comburatur, & cinis sub al-

tare condatur: & qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam solvet. Si cum amissione saporis decoloratus sacrificium, viginti dies expleantur jejunio. Conglutinatum vero, septem dies qui merfit pœniteat.

CAPUT XII.

De eadem re.

Ex Pœnit. Rom. (l)

SI ceciderit sacrificium de manibus offerentis, terra tenus ut non inveniatur (m), omne quodcunque inventum fuerit in loco in quo ceciderit, comburetur, & ignis [n] ut supra abscondatur: & cui acciderit, medium annum pœniteat. Si vero sacrificium inventum fuerit, locus scopis mundetur, & stramen, ut supra ignetur [o], & cinis ut supra recondatur, & sacerdos viginti dies pœniteat.

TITULUS VI.

De incantatoribus, & auguribus; de divinis; de fortilegiis, & variis illusionibus diaboli; & de maledicis.

CAPUT I.

De illis, qui divinationes requirunt.

[p] QUI divinationes expetunt, & more (q) Gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica [r], aut expiandi causa sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos.

CAPUT II.

De illis, qui auguriis, & incantationibus serviunt.

[s] QUI auguriis, vel divinationibus inserviunt, vel qui credit, vel aliqui hominum sint immissores tempestatum, vel si

qua mulier divinationes, vel incantationes diabolicas fecerit, septem annos pœniteat.

CAPUT III.

De illo, qui immiserit tempestatem.

(t) SI quis immissor tempestatum fuerit, septem annos pœniteat, tres in pane, & aqua.

CAPUT IV.

De illis, qui dies, & menses observant.

(u) A Postolus dicit [x]: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos timeo, ne forte sine causa (y) laboraverim in vobis.* Dies observant, qui dicunt puto (z), castino proficiendum non est, post castinum enim (aa) non

a Animal, Burch. & cæteri. b XX. dies, Burch. & cæteri.
 c Hæc omittit Panorm. & Gratian. d Quando offert, vetus Burch. liber, quando offertur, editus, & Ivo.
 e Perfundit, Burch. & Ivo. f Hæc interpretem desiderant. g Septem dies pœniteat, Burch.
 h Ut aut vermibus vetus Burch. lib. ut vermibus editus ut in eo vermis consumptus sit, Ivo non sine mendo.
 i Cum pane, Burch. & Ivo. k Et in eo, Ivo aptius.
 l Sic Burch. d. lib. 14. cap. 52. & Ivo cap. 61. ubi supra.
 m Non conculcetur, Ivo. n Et cinis, Burch. aptius, & Ivo.
 o Igni detur, Ivo, igniatur, vetus Burch. liber ignetur, editus.
 p Dionysii Exigui verba sunt interpretis cap. 24. Græcis, 23. Latinis Ancyran concilii, ut constat ex Corpore canonum. Refert Raban. cap. 23. Pœnit. Burch. lib. 10. cap. 5. Ivo lib. 8. tit. 5. cap. 2. Panorm. & parte 11. cap. 2. de cr. & Grat. 26. q. 5. cap. 2. Vidend. Martin. Bracar. cap. 71. concil. Trostlejan. cap. 15. Leo 4. in epist. ad Episcopos Britann. cap. 4. Capitular. lib. 7. cap. 21. in addit. 1.
 q Et morem, Dion. & Raban. & Ivo, & Gratian. r Sic Raban. arte magica, Ivo & Grat.
 s Ex pœnit. Romano, Burch. lib. 10. cap. 8. Ivo part. 11. cap. 36. de cr. Vide infra cap. 3. & cap. 20. in fine & Bed. cap. 10. & 11. de remed. peccat.
 t Ex eod. Pœnit. Anselm. lib. 11. cap. 120. in fine. Vide infra cap. 20. in fine; supra cap. 2. & Bedam cap. 7. de remed. peccat.
 u Ex dictis Ambrosii, Burch. lib. 10. cap. 21. Extant in comment. ejusd. ad epist. ad Galat. cap. 4.
 x Galat. 4. c. 10. y Timeo vos, ne frustra, Ambr. vox forte, a Burch. est omisa.
 z Ut puta, Ambr. aa Romani dies atros putabant esse postridie Kalendas, Nonas, Idus. Varro lib. 5. de ling. Lat. Gell. lib. 5. cap. 17. & alii.

non debet aliquid inchoari, & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursum Lunæ perscrutantur, dicentes: Septima Luna strumenta [a] confici non debent, nona autem Luna (b) emptum servum domum duci non oportere, & per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora vero observant, cum dicunt: Hodie veris initium est, & ideo festivitas est (c), & rursum: posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt, cum dicunt: Kalendæ Januarii novus annus est, quasi non quotidie annus impleatur (d). Hæc superstitio longe debet esse a servis Dei. Si quis in hac (e) perfidia detegitur, clerici anno uno (f), laici dimidium poeniteant.

CAPUT V.

De mulierculis incantatricibus.

(g) MULIER, si divinationes, vel incantationes diabolicas fecerit, annum unum poeniteat, vel tres quadragesimas, vel quadragesima dies, secundum qualitatem delicti.

CAPUT VI.

De illis, qui manducant, aut bibunt, aut portant super se aliquid ad Dei iudicium subvertendum.

[h] SI quis manducat, aut bibit, aut portat super se unde existimet Dei iudicium pervertere posse, & exinde comprobatus fuerit, eadem sententia feriatur, qua magi, & arioli, & incantatores feriuntur.

CAPUT VII.

De illis, qui in tabulis, vel in codicibus futura requirunt.

[i] IN tabulis, vel in codicibus forte futura (k) non sunt requirenda, & ut nullus (l) in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus observare. Quod si fecerit, quadragesima dies poeniteat.

a Sic Ambr. & sic fuerat in veteri Burch. libro, mox *instrumenta*, scriptum est. Huic simile est, quod quidam Spaniam, Spanos, & Spalim, & Spalense concilium, pro Hispania, Hispanis, Hispali, & Hispalense concilio scripserunt. b Nona autem luna, Ambros. c Post cras Vulcanalia sunt, & talia, Ambr. addit. d Anni impleantur, sed ut Jani illius recolant memoriam bifrontis, hac superstitione utuntur, Ambr. e Hæc non leguntur apud Ambr. habet Burch. f Annum unum, Burch. g Ex Pœnitent. Romano, Burchard. d. lib. 10. cap. 24. & Ivo parte 11. cap. 50. h Ex concilio Triburiens. cap. IV. apud Burch. cap. 25. & Ivo cap. 51. ubi supra. i Ex pœnit. Theodori, Burch. cap. 26. & Ivo cap. 52. ubi supra Bernard. Papiens. cap. 1. de sortileg. in collect. & Gregor. 9. cap. 1. ejusd. tit. Vide infra cap. 20. k Furta, Greg. 9. l Hæc omisit. Greg. m Ex concilio Cabillonens. cap. V. apud Burch. lib. 10. cap. 49. & Ivo. part. 11. cap. 74. Vide infra c. 26. n Simbolo, & oratione dominica, Ivo. Vidend. Burch. d. lib. 10. cap. 20. o Mogutino cap. VIII. apud Burch. lib. 10. cap. 52. Maguntiens. Ivo part. 13. cap. 53. decr. Ex VIII. synodo, Grat. dist. 90. cap. ALIENUS. in conciliis non inveni. p Sic etiam Burch. & Ivo. *Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat, & opus ejus abiiciatur, qui murmurans extiterit* &c. Grat. & Burch. cap. 54. & Ivo cap. 55. ubi supra. q 1. Corinth. 10. r Scribe, ab exterminatore. Juxta, ut apud Burchard. & Ivo. s Sic etiam Burch. & Ivo cap. 54. ubi supra, & Grat. cap. 5. si quis, in fine. ejusd. dist. 90. t Ex decr. Hilarii Papæ, Burch. lib. 10. cap. 55. Ivo cap. 56. ubi supra. u 1. Corinth. 11. x Ex concilio Agathens. cap. V. apud Burch. lib. 10. cap. 62., & Ivo. cap. 63. ubi supra. Ex VIII. synodo, Grat. dist. 90. cap. 5. si quis monachus contentiones. x Rectoris, Burch. & alii. y Ex Pœnit. Theodori, Burchard. cap. 56. & Ivo cap. 57. ubi supra.

CAPUT VIII.

De illis, qui ad fascinum incantationes fecerint.

[m] SI quis præcantaverit ad fascinum, vel qualecumque præcantationes, excepto symbolum, & orationem dominicam [n]: qui cantat, & cui cantatur, tres quadragesimas in pane, & aqua poeniteat.

CAPUT IX.

De illis, qui murmurant.

Ex concilio Magontienfi (o).

SI quis murmurans [p] extiterit, videat, ne poenam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit (q): *neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore (r)*, juxta mensuram, opusque peccati: quia in hoc sententia Apostoli pleniter declaratur, sacerdotis iudicio poeniteat.

CAPUT X.

De eadem re.

Ex eodem (s).

QUI contentiosus, aut murmurans extiterit, secundum arbitrium Prioris ira poeniteat, qualiter culpæ qualitas exstat.

CAPUT XI.

De contentiosis.

[t] SI quis contentiosus videtur esse, dicente Apostolo (u): *Nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei*, si quis hoc facit, notetur usquequo corrigatur.

CAPUT XII.

De eadem re.

(x) SI quis contentiones, vel rixas amaverit, vel manifestum convicium fratri intulerit; juxta arbitrium Prioris, vel Rectoris (y), modumque peccati, diuturna expietur poenitentia.

CA-

CAPUT XIII.

De illis, qui in lingua lascivi fuerint.

(a) **S**I quis in lingua lascivus fuerit, tridua pœnitentia expietur.

CAPUT XIV.

De clericis maledicis.

Ex concilio Carthaginensi (b).

CLericus maledicus maxime a sacerdotibus (c) cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur, nec umquam ad officium absque satisfactione revocetur.

CAPUT XV.

De eadem re.

(d) **S**I detraxisti, vel maledixisti alicui causa invidiæ, septem dies in pane, & aqua pœniteas.

CAPUT XVI.

De illis, qui Prioribus suis detraxerint.

(e) **S**I quis detraxerit ei, qui præest, septem dies a conventu Ecclesiæ separatus, ut Maria soror Aaron, quæ detraxit Moyse, pœniteat.

CAPUT XVII.

De illis, qui contra Episcopos suos insurgunt.

(f) **Q**uisquis per dolum mittit manum suam in Christum Domini, Episcopum [g] videlicet, patrem, & pastorem suum, quia sacrilegium committit, ut [h] qui ecclesiam Dei devastat, & incendit, quia & hoc sacrilegium est, placuit sanctæ synodo, ut in [i] uno loco, id est, in monasterio, pœniteat omnibus diebus vitæ suæ.

CAPUT XVIII.

De clericis, & monachis conjurantibus, vel conspirantibus contra Episcopum suum.

(k) **S**I qui ergo clerici, vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes,

aut insidias ponentes Episcopis, aut clericis, gradu proprio penitus abiciantur.

CAPUT XIX.

De eadem re.

(l) **C**onspirasti cum aliis infidiatoribus contra Episcopum tuum, aut adversus cooperatores suos, ita dico, ut doctrinam vel præcepta tui Episcopi, vel presbyteri irrideres, vel subsannares, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteas.

CAPUT XX.

De eadem re.

(m) **I**gitur si clerici, aut monachi fuerint conjurati [n], aut per conjurationem calumniam machinantes Episcopis, vel clericis, proprium amittant gradum.

[o] Consulisti magos, & domum tuam induxisti, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, vel consuetudinem Paganorum sequens, divinos, qui tibi divinarent, & futura ab eis requirens, quasi a Propheta, & illos, qui fortes exercent, vel qui per fortes sperant se futura præscire, vel illos, qui vel auguriis, vel incantationibus inserviunt, ad te invitasti: si fecisti, duos annos per legitimas ferias pœniteas.

(p) Collegisti herbas medicinales cum aliis incantationibus, nisi cum oratione dominica & symbolo, viginti dies (q) pœniteas.

[r] Requisisti fortes in codicibus, vel in tabulis, ut plures solent, qui in Psalteriis, & in Evangeliiis, vel in aliis hujusmodi rebus fortiri præsumunt: si fecisti, decem dies (s) pœniteas (r).

(u) Credidisti umquam, vel particeps fuisti illius perfidiæ, ut incantatores, & qui se dicunt esse tempestatum immissores esse possent per incantationes dæmonum, aut tempestatum commonere, aut mentes hominum mutare: si credidisti, aut particeps fuisti, uno anno per legitimas ferias pœniteas.

TI-

^a Ex Pœnit. Theodori, Burch. cap. 56. & Ivo. cap. 57. ubi supra.

^b Adde quanto cap. LVII. ex concilio. Refert Burch. lib. 10. cap. 66. & Ivo. part. 11. cap. 11. & part. 13. cap. 66. de cr. & Cæsar. lib. 4. cap. 112. & Grat. dist. 46. cap. 5.

^c In pro a, concil. & Ivo & Cæsar. & Grat. ^d Burch. lib. 19. pag. 272.

^e Ex dictis Basilii Episcopi, Burch. lib. 10. cap. 67. de cr. In marg. dicitur, *In regulis brevioribus ad quæst. 27.*

^f Ex concilio Tungrensi cap. V. apud Burch. lib. 10. cap. 65. & Ivo. part. 12. cap. 86. & part. 13. cap. 65. de cr. Ex dictis Gregorii Papæ, apud Gratian. 24. q. 3. cap. 22.

^g Episcopum, vel presbyterum, Gratian. ^h Et qui, Burch., & Ivo, & si quis, Grat.

ⁱ Ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in uno, Grat.

^k Dionysii Exigui verba sunt interpretis capituli 18. concilii Chalcedon. Græci ex corp. canon. Refert. Raban. cap. 10. Pœnit. & Burch. lib. 10. cap. 68. & ex alia interpret. cap. 69. & Ivo part. 12. cap. 87. & 88. de cr. & Anselm. lib. 8. cap. 16. & 18. & Grat. 11. q. 1. cap. 24. & ex aliis interpret. cap. 22. CONJURATIONUM in fine & cap. 25. SI CLERICI. Vidend. concil. Tullens. post epist. synod. Vide etiam infra cap. 20.

^l Burch. lib. 19. pag. 272.

^m Ex sententia cap. 18. concilii Chalcedon. ut supra cap. 18. Refert Burch. lib. 10. cap. 69. & Ivo parte 12. cap. 88. & Anselm. lib. 8. cap. 18. & Grat. 11. q. 1. cap. 25. SI CLERICI.

ⁿ Conspiratores, Grat. ^a Burch. lib. 19. part. 269. ^p Burch. ibid. part. 270. Vide supra cap. 8.

^q Decem dies Burchard.

^r Burch. ubi supra Bern. Papiens. cap. 2. de fortileg. in 1. collect. de cr. ex Burch. lib. 19. Vide supra cap. 7.

^s Sic etiam Burch. XL. dies, Bern. editus veteres decem.

^t In pane, & aqua, addit. Burch. editus, quæ neque in veteri Burch. libro sunt, neque apud Bern.

^u Burch. ibid. Vide cap. 2. & 3.

De variis Criminibus. (a)

CAPUT I.

De illis, qui ballationes fecerint, & se in alienas formas transmulerint.

(b) **S**I quis ballationes ante Ecclesias (c) Sanctorum fecerit, seu qui faciem suam transtormaverit in habitu muliebri, & mulier in habitu viri, emendatione pollicita, tres annos pœniteat [d].

CAPUT II.

De his, qui præter necessitatem prævaricati sunt.

Ex concilio Nicæno [e].

DE his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter oblationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit sanctæ synodo (f), licet indigni sint misericordia, tamen aliquid circa eos humanitatis ostendi. Si ergo ex animo pœnitent, tribus annis extra ecclesiam, id est (g), inter audientes [h] habeantur, si tamen fideles sint, & septem annis aliis inter pœnitentes sint, duobus autem annis extra communionem (i) in oratione sola participant populo.

CAPUT III.

De eadem re.

(k) **S**I quis a fide catholica discesserit sine ulla necessitate, & postea ex toto animo pœnitentiam acceperit, tres annos pœniteat extra ecclesiam, id est, inter audientes juxta Nicænum concilium [l], septem annos in ecclesiis inter pœnitentes, & adhuc duos extra communionem pœniteat.

CAPUT IV.

De his, qui de Ecclesia catholica ad hæresim transitum fecerint.

(m) **S**I quis de catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque ad Eccle-

siam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum: qui etiam decem annis agat pœnitentiam: cui post decem annos præstari communio debet. Si vero infantes fuerint transfu-cti, quod non suo vitio peccaverunt, incunctanter recipi debent.

CAPUT V.

Quod non licet clerico, vel monacho, postquam Deo se voverit, ad sæcularem habitum reverti.

Judicium Canonum [n].

SI quis clericus, vel monachus, postquam se Deo voverit, ad sæcularem habitum iterum reversus fuerit, aut uxorem duxerit, decem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua: & nunquam postea conjugio copuletur. Quod si noluerit, sancta synodus, vel sedes Apostolica separabit eum a communione catholicorum. Similiter & mulier.

CAPUT VI.

De ecclesiastico thesauro ablato.

(o) **T**ULISTI aliquid de ecclesiastico thesauro, in quadruplum restitue, aut tres annos per legitimas ferias pœniteas.

CAPUT VII.

Ut per totius anni circulum abstineat a carne, qui in quadragesima comederit carnem.

(p) **Q**Uicumque in quadragesimæ diebus esum carniū præsumperit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut in ipsius anni circulo [q] ab omni esu carniū abstineat, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam [r].

CA-

^a Hæc inscriptio non erat in veteri libro.

^b Ex sexta pseudosynodo CP. in Trullo cap. LXII. Refert Burch. lib. 10. c. 39. & Ivo part. 11. c. 64. decr.

^c Hæc in Græco canone non sunt. ^d Clericus deponatur, laicus excommunicetur, Græc.

^e Adde cap. XI. Verba sunt Dionysii Exigui interpretis, ut constat ex Corpore canon. Refert Anselm. lib. 11. cap. 126. Vide c. 3. ^f Quæ sequuntur, non Dionysii sunt, sed ejus interpretis verba, qui refertur ab Isidoro Mercatore. Eadem verba habet Anselm.

^g Hæc non sunt in concil. neque apud Anselm. neque Graeci habent. Sunt infra cap. 3.

^h Sic etiam Anselm. & vetus concil. lib. inter pœnitentes, editus ἐν ἀκρωμένοις Græci.

ⁱ Sic vetus concil. lib. & Anselm. iidem sine oblatione editus concil. liber χωρὶς προσφορῶν Græci.

^k Ex decret. Eutychiani Papæ, apud Burch. lib. 19. cap. 105. & Ivon. parte 15. cap. 117. decr. & Anselm. lib. 11. cap. 127. in fine. ^l Scribe audientes juxta &c. est autem cap. 11. ut supra cap. 2.

^m Extat in concilio Elibertano cap. 22. Refert Anselm. lib. 11. cap. 128.

ⁿ Sic Anselm. d. lib. 11. cap. 146. ^o Burch. lib. 19. pag. 270.

^p Extat in concilio Toletano 8. cap. 9. Refert Burch. lib. 19. cap. 76. & Ivo part. 15. cap. 89. decr. Sed in conciliis plura verba sunt, & post multa: *Quisquis sine inevitabili necessitate, atque fragilitate, & evidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis diebus quadragesimæ &c. Ivo quoque ita scribit: Quicumque sine inevitabili &c. ut in concil.* ^q Anni tempore, concil. ^r Alia adduntur in conciliis.

CAPUT VIII.

Quod conjugati in Quadragesima abstinere debeant a conjugibus.

Ex concilio Elibertano (a).

QUI in quadragesima ante Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium videlicet viginti quinque solidorum ad ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem, & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.

CAPUT IX.

Quibus temporibus viri ab uxoribus abstinere debeant.

Ex eodem (b).

IN tribus quadragesimis anni, & in die Dominica, & in quarta feria, & in sexta feria conjugales se continere debent, nec illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor, id est, a quo die filius in utero motum fecerit usque ad partum: a partu post triginta tres dies, si filius est; si autem filia, post sexaginta quinque (c).

CAPUT X.

De eadem re.

(d) **N**Eglexisti, ut non acciperes corpus, & sanguinem Domini istis quatuor temporibus, id est, in Coena Domini, & in Pascha, & in Pentecoste, & in Natale Domini: & totam quadragesimam non te substinuisti a coitu, & postea in aliis prædictis temporibus, aut septem dies, aut quinque ante acceptionem sacri corporis Domini, viginti dies debes pœnitere in pane, & aqua.

CAPUT XI.

De illo, qui contemnit indictum jejunium.

(e) **C**ontempnisti indictum jejunium a sancta Ecclesia, & noluisti illud observare cum ceteris Christianis, viginti dies in pane, & aqua pœniteas.

(f) Noluisti jejunium quatuor temporum, & non custodisti illud cum ceteris Christianis, quadraginta dies (g) pœniteas.

Tom. III.

CAPUT XII.

De illo, qui Missam spernit sacerdotis conjugati.

(h) **S**previsti Missam, vel orationem, vel oblationem conjugati presbyteri, ita dico, ut nolles tua peccata sibi confiteri, vel ab eo accipere corpus, & sanguinem Domini, ob hoc, quia peccator tibi esse videretur, uno anno pœniteas in pane, & aqua, per legitimas ferias.

CAPUT XIII.

Ut nullus injustas mensuras, & pondera injusta, & a civibus non collaudata lucri causa dare præsumat.

(i) **E**T mensuræ, & pondera justa fiant, sicut in divinis legibus (k) censitum est, & in capitulari Dominico (l) continetur, & iste facer conventus statuit. Sic omnibus nobis observare placet. Et (m) si quis justas mensuras, & justa pondera lucri causa mutare præsumpserit, in pane, & aqua pœniteat (n).

CAPUT XIV.

De eadem re.

(o) **F**ecisti falsitatem, vel fraudem aliquam in mensuris, aut in ponderibus, ita dico, ut falso modio, aut cum ponderibus injustis tua bona venderes aliis christianis: si fecisti, aut consensisti, viginti dies in pane, & aqua pœnitere debes.

CAPUT XV.

De illo, qui tenet oblationes mortuorum.

(p) **T**enuisti oblationem mortuorum, ita ut Ecclesiæ (q) tradere noluisse: uno (r) anno pœniteas.

CAPUT XVI.

De illo, qui retraxit, vel tenuit aliquid de oblationibus, quæ Deo oblatae sunt.

(s) **D**etraxisti, vel tenuisti aliquid de oblationibus, quæ Deo oblatae sunt in mancipiis, in terris, silvis, vineis, utensilibus, vestimentis, & in reliquis possessionibus, & quæ ecclesiis sine dubio Christo, qui earum sponsus est, oblatae sunt, vel testamento ecclesiis ab aliquo fidei relicta: si fecisti, vel consensisti, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteas.

N n

CA-

a Cap. V. addit Burch. lib. 19. cap. 88. ubi supra. Sed in conciliis non inveni.

b Burch. d. lib. 19. cap. 155. & Ivo ubi supra cap. 163. Vide supra tit. 3. cap. 20. & Bedam cap. 2. & 10. de remed. peccat. Burch. d. lib. 19. cap. 141. & Ivo part. 15. cap. 151.

c Post LVI. Burchard. & Ivo. Post XL. Beda. d Burch. lib. 19. pag. 271.

e Burch. ibid. pag. 271. f Solvisti jejunium, Burch. aptius. g In pane, & aqua, addit Burch. editus, in veteri libro ea non sunt. h Burch. d. part. 271. Vide conc. Gangr. cap. 4. apud Grat. dist. 28. cap. 15. SI QVIS.

i Ex Concilio Moguntino cap. XXI. apud Burch. lib. 19. cap. 148. & Ivon. part. 15. c. 158. decr. & Bern. Papiens. cap. 3. de empr. & vend. in collect. & Greg. IX. cap. 2. ejusd. tit. In omnibus autem est, Ut mensura &c. k Levit. 19. Proverb. 11. & 20. l Lib. 1. cap. 74. Capitul. Caroli, & in appendice 2. post lib. 4. cap. 6. m Ut pro &, Burch. n Viginti dies pœniteat, Burch. & Ivo & Bern. XXX. dies. Greg. IX.

o Burch. d. lib. 19. pag. 275. p Burch. Ibid. pag. 275. Retinuisti oblationes &c.

q Ecclesiis, Burch. r Unum annum per legitimas ferias, Burch. editus, sed in veteri est, unum annum pœniteas. s Burch. ubi supra.

CAPUT XVII.

De illo, qui decimam sibi retinuit.

(a) **N**Eglexisti decimam tuam Deo dare, quam Deus ipse sibi dare constituit, id est, non dedisti ei decimam de cunctis fructibus tuis, quos ad tuos usus colligere desiderasti, vel collegisti, & de cunctis tuis animalibus, & decimum animal, quod Deo dare debueras, & quod suum erat, illum peiori commutasti: si fecisti, vel consensisti, Deo, quod suum erat, in quadruplum prius restituere, & viginti dies in pane, & aqua pœniteas.

CAPUT XVIII.

De illo, qui pauperes opprimit.

(b) **O**ppressisti pauperes, qui tibi vicini erant, & qui se defendere non poterant, vel eorum bona, illis nolentibus tulisti, redde illis sua, & triginta dies in pane, & aqua pœniteas.

CAPUT XIX.

De illo, qui in ecclesiam ad fabulas, & ad vaniloquia festinat.

(c) **F**ecisti quod quidam facere solent, dum ad ecclesiam venerint, in primis labia commovent, quasi orent, propter alios circumstantes, vel sedentes, & statim ad fabulas, & ad vaniloquia festinant, & cum presbyter eos salutet, & adhortatur ad orationem, illi ad fabulas suas revertuntur, non ad responsionem, nec ad orationem: si fecisti, decem dies in pane, & aqua pœniteas.

CAPUT XX.

De illis, qui reticuerint peccatum fratris, quod est ad mortem.

(d) **S**I reticuisti peccatum fratris, quod erat usque ad mortem, neque corripuisti eum, nec exhortatus es eum, ut resipisceret, nec succurristi fratri sub onere jacenti, tamdiu pœniteas, quamdiu reticuisti.

CAPUT XXI.

De eadem re.

(e) **Q**UI reticuerit delictum fratris, quod est usque ad mortem, neque eum corripuerit juxta regulam Evangelicam primum inter se, & ipsum solum, deinde inter alios, deinde ad Ecclesiam culpam referens, si necesse fuerit, & quanto tempore fuit, tanto pœniteat.

CAPUT XXII.

De illo, qui factus animalium verbo, vel visu, vel auditu obfascinare, & perdere posse affirmat.

(f) **C**redidisti quod quidam credere solent, ut in quamcumque domum intraverint, pullos aucarum (g), pavonum, pullos gallinarum, etiam porcellos, & aliorum animalium factus verbo, vel visu, vel auditu obfascinare, & perdere posse affirmant: si fecisti, aut credidisti, unum annum per legitimas ferias pœniteas.

CAPUT XXIII.

De illo, qui negligit infirmos visitare.

(h) **N**Eglexisti visitare infirmos, & non venisti ad eos, qui in carcere erant, & subministrasti eis, decem dies in pane, & aqua pœniteas.

CAPUT XXIV.

De illo, qui de cibo Judæorum, vel aliorum Paganorum comedit.

(i) **S**I comedisti de cibo Judæorum, vel aliorum Paganorum, quem ipsi sibi præparaverunt, decem dies pœniteas (k).

CAPUT XXV.

De illis, qui eundo ad ecclesiam otiosa loquuntur.

(l) **F**ecisti quod quidam facere solent, dum ad ecclesiam vadunt, in ipsa via proferunt suas vanitates, & loquuntur otiosa, nec in eadem via cogitant aliquid, quod (m) animæ utilitatem pertineat, & cum venerint in atrium ecclesiæ, ubi sepulta sunt corpora fidelium, & dum calcaverint sepulchra proximorum, non recordantur, quod (n) eis futurum sit, nec ullam mentionem, nec ulla preces pro eis ad Dominum fundunt, quod facere debuerunt: si neglexisti, decem dies in pane, & aqua pœniteas, & vide ulterius ne tibi contingat: sed quodcumque in atrium ecclesiæ intraveris, ora pro eis, & roga illas sanctas animas, quarum corpora ibi requiescunt, ut quantum possint, pro tuis peccatis ad Dominum intercedant.

CAPUT XXVI.

De illo, qui alicui fratri suum imputat peccatum, nisi eum prius arguerit seorsum.

(o) **Q**UI peccatum imputando fratri imponit, priusquam seorsum arguat eum, satisfaciens ei tres dies pœniteat.

CA-

^a Burch. ibid. pag. 276. ^b Burch. ibidem. ^c Idem Burch. ibid.
^d Idem ubi supra. ^e Ex pœnit. Theodori, Burch. lib. 19. cap. 121. Ivo part. 15. cap. 133. decr. Vide infra cap. 26. ^f Burch. d. lib. 19. pag. 278.
^g Plebejo sermone oca vocant Itali anseres, aliquando aucas fortasse: ut Latinis ex aula olla, ex Paulia Polla facta est. ^h Idem Burch. ibid. pag. 279. ⁱ Idem Burch. ibid.
^k In pane, & aqua pœniteas, Burch. ^l Burch. ubi supra.
^m Quod ad animæ, Burch. aptius. ⁿ Quid eis, Burch.
^o Ex pœnitent. Romano, Burchard. lib. 19. cap. 117. Ivo part. 15. cap. 129. decr. Vide supra cap. 21.

CAPUT XXVII.

De illis, qui diu reticent peccata sua.

[a] **S**Ciendum vero est, quanto quis tempore moratur in peccatis, tanto ei agenda est pœnitentia.

CAPUT XXVIII.

De illis, qui aliquem in ira percusserint.

[b] **S**I quis alium per iram percusserit, & sanguinem effuderit, si laicus est, viginti dies pœniteat, clericus triginta, illi autem qui gradum habent, amplius pelli debent (c), diaconus sex menses, presbyter unum annum, Episcopus duos annos, & sex menses.

CAPUT XXIX.

De illis, qui ad feriendum hominem surrexerint volentes eum occidere, sed non potuerunt.

[d] **Q**UI ad feriendum hominem surrexerit, volens eum occidere, tres hebdomadas pœniteat, si clericus fuerit, sex menses, quod & si vulneraverit, dies quadraginta, si

clericus clericum, annum unum, sed & pecuniam pro modo vulneris, cui infixit, tribuat.

CAPUT XXX.

De illis, qui Christiana mancipia captivaverint.

Ex Pœnitentiali Theodori (e).

SI quis quemcumque hominem quolibet ingenio captivaverit, aut transfuderit, tres annos pœniteat.

CAPUT XXXI.

De administratione xenodochii, & decimæ.

Ejusdem [f].

SI quis xenodochia pauperum administrat, vel decimas populi susceperit, & exinde vel suis sæcularibus lucris (g) sectandum aliquid subtraxerit, quasi rerum alienarum invalor reus damnam restituat, & sub canonico iudicio reformetur, & agat pœnitentiam tres annos: scriptum est enim, Talem Dominus dispensatorem quarit, qui sibi de suis nihil usurpet.

TITULUS VIII.

De variis Criminibus. (h)

CAPUT I.

De viris ordinatis, si ante, vel post ordinationem in criminalibus peccatis ceciderint.

Ex concilio Ilerdensi (i).

DE his ergo visum est vobis conscribi, qui sacros ordines habent, & ante, vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc distantia esse debet: ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publice in perjurio, furto, aut fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus secundum sacrorum canonum instituta a gradu proprio deponantur, quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere, quas ultra modum vitiosas constat esse: nempe inde detrahuntur homines a sacrificio Dei. Sic ut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur (k): & rebelles hinc inde (l) contrarii existentes, eorum pravis exem-

plis quotidie peiores fiunt. Qui autem de prædictis viris per occultam confessionem mala a se absconse commissa coram oculis Dei (m), præfente etiam sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos graviter deliquisse acceusant, si veraciter pœnituerint, & se per jejunia, & eleemosynas, vigiliisque, sacras (n) orationes cum lacrymis purgare certaverint, his etiam servato gradu, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est, qui [o] omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, neque (p) vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.

CAPUT II.

De viris ordinatis, quorum occulta sunt peccata.

Ex concilio Toletano (q).

DE viris ordinatis (r), quorum occulta peccata sunt, nec manifeste ab aliquo argui

N 2 2

pos-

a Ex pœnitent. Bedæ presbyteri, Burchard. cap. 118. & Ivo cap. 130. ubi supra.
 b Burch. cap. 119. Ivo cap. 131. ubi supra, ex concilio Rothomagensi. cap. IX. c Compelli debent, Ivo.
 d Ex pœnitent. Romano, Burch. cap. 120. Ivo cap. 132. ubi supra.
 e Burch. d. lib. 19. cap. 135. Ivo d. part. 15. cap. 145.
 f Burch. cap. 139. Ivo cap. 149. ubi supra. g Suis lucris, Ivo.
 h Hic etiam titulus sine inscriptione est in veteri libro.
 i Rabani verba sunt cap. 1. Pœnit. in princ. Refert Ivo lib. 3. tit. 11. cap. 20. Panorm. & part. 9. cap. 400. Decr. & Tarrac. lib. 6. cap. 277. & Grat. dist. 50. cap. 34.
 k Apud Raban. hæc verba posita sunt post illa peiores fiunt. Adde 1. Regum 2.
 l Hinc, atque Raban. & Ivo & Tarrac. & Grat. m Coram angelis Dei, Grat.
 n Vigiliis atque sacras, Raban. vigiliisque & sacras, Ivo & Tarrac. & Gratian.
 o Hæc Ivo omisit, & Tarrac. & Grat. Vide 1. Timoth. 2. a. p Ezech. 33. cap.
 q Rabanus ubi supra. Vide tit. 3. cap. 26. r De his autem, Raban.

possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis confessionem Episcopo, sive presbytero occulte faciunt: bonum mihi videtur, ut secundum id, quod sibi decretum fuerit ab Episcopo, sive presbytero, pœnitentiam agant, non tepide, nec tarde, sed ferventer, & sollicitè: ac sic se veniam peccatorum a Domino percepturos, & gradum se retenturos confidant.

CAPUT III.

Par pœnitentia indicitur cui spiritualem filiam, & pœnitentialem suam violaverit.

Symmachus Papa (a).

OMnes, quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii, ut ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ merisionis vocabulo mergentibus unda sacri baptismatis regeneraverit. Silvester (b) quoque docet, & admonet unumquemque sacerdotem, ut nullus causa fornicationis ad suam pœnitentialem accedat, quia scriptum est: Omnes, quos in pœnitentia suscipimus, vel accipimus [c], ita nostri sunt filii, ut baptismate suscepti, quapropter, si quis hoc scelus perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat; verum etiam usque ad exitum vitæ jugi pœnitentiæ se subdat.

CAPUT IV.

De eodem.

Cælestinus (d).

SI quis sacerdos cum filia sua spiritali fornicatus fuerit, hoc est, pœnitentialem filiam (e), sciat, se grave adulterium commisisse. Idcirco scœmina [f] omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in monasterio Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio [g] deponatur, & peregrinando quindecim annis [h] pœniteat, postea vero ad monasterium vadat, ibique [i] cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat.

CAPUT V.

De eodem.

Idem (k).

Non debet Episcopus, aut presbyter (l) commisceri cum mulieribus, quæ ei sua confessæ fuerint peccata. Si forte, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat quomodo de filia

spiritali, Episcopus quindecim annis, presbyter duodecim (m), & deponantur, tamen si in conscientia populi [n] devenerit.

CAPUT VI.

Quæ pœnitentia sit imponenda sacerdotibus qui de fornicatione convicti fuerint.

Ex concilio Gangrensi (o).

Presbyter si fornicationem fecerit, quamquam secundum canones Apostolorum (p) debeat deponi, tamen juxta auctoritatem beati Sivestri Papæ, si in vitio non perseveraverit, si sua sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus siquidem mensibus [q] a ceteris remotus, pane, & aqua a vespera in vesperam utatur, diebus autem Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreatur, sine carne, & sagimine, ovis, & caseo, sacco indutus humi adhæreat, die ac nocte (r) misericordia Dei omnipotentis imploret, finitis tribus mensibus continuis exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiat: nec enim debet sacerdos publice pœnitere, sicut laicus, postea aliquantisper resumptis viribus unum annum, & dimidium in pane, & aqua expleat, exceptis Dominicis diebus, & præcipuis festivitatis, in quibus vino, & sagimine, & caseo, & ovis, juxta canonicam mensuram uti poterit. Finito primo anno, & dimidio corporis, & sanguinis Domini, ne indurescat, particeps fiat, & ad pacem veniat. Psalmos in choro cum fratribus ultimus canat, ad cornu altaris non accedat, juxta beati Clementis (s) vocem minora geret officia; deinde vero usque ad expletionem septimi anni omni quidem tempore, exceptis paschalibus diebus, tres legitimas ferias in unaquaque hebdomada in pane, & aqua jejundet. Expleto septimi anni circulo, si fratres (t), apud quos pœniterit, ejus condignam pœnitentiam laudaverint, Episcopus in pristinum ordinem (u), juxta beati Calixti [x] Papæ auctoritatem eum revocare poterit. Sane sciendum est, quia secundam feriam unum psalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando, si operarius est [y], redimere poterit. Finitis septem annis, deinde usque ad finem decimi anni sextam feriam, nulla interveniente redemptione, observet in pane, & aqua. Eadem quoque pœnitentia erit sacerdoti de omnibus aliis peccatis,

a Sic etiam Tarrac. lib. 1. cap. 199. & Gratian. 30. q. 1. cap. 8. b Tarrac. 200. eod. lib.

c Omittit Tarrac. accipimus Gratian. omittit illis suscipimus, vel.

d Tarrac. cap. 201. ubi supra. & Gratian. cap. 9. d. q. 1. sine inscript. Cæs. lib. 15. cap. 37.

e Hæc non sunt in Tarrac. neque in Cæsar. neque apud Gratian.

f Si laica est, addit Tarrac. & Cæsar. & Gratian. g Ab omni divino officio, Tarrac.

h XII. annis, Gratian. i Hæc omittit Cæsar.

k Tarrac. ubi supra, & Cæsar cap. 38. eod. lib. & Gratian. cap. 10. d. q. 1.

l Aut diaconus, addit. Tarrac. presbyter aut diaconus, Cæsar. m Diaconus decem, addit Tarrac. & Cæs.

n Episcopi, Tarrac. o Sic etiam Grat. dist. 82. cap. ult. Hiberniens. Anselm. lib. 8. cap. ult. in Rom.

Vidend. Burch. lib. 17. cap. 39. ex Pœnit. Theodori, & Beda cap. 8. de remod. peccat. p Cap. 25.

q Privato loco, addit Anselm. r Jugiter, addit Anselm. s Epist. 2. t Si sui confratres, Anf.

u Honorem, Anselm. & Gratian. x Epist. 2. ad Episcopos Galliar. y Si opus est, Grat.

tis, & criminibus, quæ eum in depositionem adducunt. Neque hoc cuilibet videatur onerosum, si sacerdos post lapsum, digne, ut supra dictum est, pœnitens ad pristinos redeat honores.

CAPUT VII.

Post professam continentiam quisquis uxorem duxerit, ab ea separetur.

Innocentius Papa II. [a]

UT lex continentia, & Deo placens munditia in ecclesiasticis personis, & sacris ordinibus dilatur, statuimus, quatenus Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares, canonici, monachi, atque conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, sepantur; hujusmodi namque copulationem, quoniam (b) contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus, qui etiam ab invicem separati protantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Id ipsum quoque de sanctimonialibus fœminis, si, quod absit, nubere tentaverint, observari decernimus.

CAPUT VIII.

In sacris ordinibus constituti non ducant uxores, & si duxerint, sepaventur.

Calixtus Papa (c).

Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere (d), pœnitens interdicens, contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, juxta sacrorum canonum definitiones judicamus.

CAPUT IX.

Damnabile est voventibus etiam velle nubere.

Hieronymus (e).

Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est.

CAPUT X.

Damnationem habebit, si nupserit, quæ virginitatem vovit.

Idem (f).

SI nupserit virgo, non peccat (g), non illa virgo quæ semel se cultui divino dedicaverit [h]: harum enim si quæ nupserit, habebit damnationem (i), quia primam fidem irritam fecit.

CAPUT XI.

Nubentes post votum non sunt ab invicem separandi.

Augustinus (k).

Quidam nubentes post votum asserunt adulteros: ego autem dico vobis, quod graviter peccant, qui tales dividunt.

CAPUT XII.

De eodem.

Theodorus (l).

SI vir votum (m) virginitatis habens adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis pœniteat.

Sic distinguendum est (n), quod voventium alii sunt simpliciter voventes, de quibus Augustinus, & Theodorus locuti sunt, alii sunt, quibus post votum accedit benedictio consecrationis, vel propositum religionis, de quibus Hieronymus, & Calixtus, & Innocentius (o) scripserunt: unde Hieronymus contra Jovianum (p) dicens.

CAPUT XIII.

Incestæ sunt virgines, si post consecrationem nubunt.

(q) **V**irgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.

CAPUT XIV.

Turpior, & flagitiosior est usus contra naturam, quam fornicationis, & adulterii.

(r) **U**sus naturalis & licitus est, sicut in conjugio, & illicitus, sicut in adulterio,

a In concil. Romano cap. V. extat post Ivonis Panorm. Refert. Grat. 27. q. 1. cap. 40. Vidend. Eugen. 3. in conc. Rhemens. cap. 7. b Quam contra, Gratian. & Eugen.

c Callist. II. in concilio Romano cap. XX. Refert Anselm. lib. 4. cap. ult. in Rom. & Grat. dist. 27. cap. 3. Vid. Urban. II. cap. 2. in decret. non editis. d Omittit hæc Anselm.

e Augustinus, apud glossam ordin. 1. Timoth. 5. & Pet. Lombard. lib. 4. d. 38. Hieronym. apud Grat. dist. 27. cap. 4. & 17. q. 1. cap. 2. Vidend. Augustin. de bono viduitatis, cap. 9. & Grat. 27. q. 1. cap. 41. NUPTIARUM.

f Verba Hieronymi sunt lib. 1. contra Jovianum. Refert Ivo lib. 3. tit. 17. cap. 6. Panorm. & part. 7. cap. 124. de cr. & Cæsar. lib. 10. cap. 117. & Grat. dist. 27. cap. 5.

g Non peccavit, Hier. & Ivo, & Cæsar. Vide 1. Corinth. 7.

h Quæ semel Dei cultui dedicavit, Hier. quæ se semel cultui Dei dedicavit, Ivo, & Cæsar. quæ semel cultui divino dedicavit, Gratian. i 1. Timoth. 15.

k In libro de bono conjugali ad Julianum, Grat. d. 27. cap. 2. scribe, de bono viduitatis ad Julianam cap. 10. etfi non eadem verba sint. l In Pœnitentiâ, addit Grat. ead. dist. 27. cap. 3.

m Si vir simplex votum, Grat. n Ex Grat. dist. 27. cap. 12. PRESBYTERIS. part. 1. Hic pro Sic, Grat.

o Et Nicolaus: & Calixtus, Grat. p Contra Jovianum, Hieron. lib. 1. Grat.

q Verba sunt Hieron. d. lib. 1. contra Jovianum refert Ivo d. cap. 6. Panorm. & d. cap. 124. de cr. & Cæsar. d. cap. 117. & Gratian. cap. ult. dist. 27.

r Augustinus contra Julian. lib. 5. apud Ivonem part. 9. cap. 106. de cr. contra Jovin. lib. 1. apud Grat. 32. q. 7. cap. 14. Sed non inveni.

terio, contra naturam vero semper illicitus, & proculdubio flagitiosior, atque turpior, quem sanctus Apostolus [a], & in scæminis & in masculis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quam si usu naturali, vel adulterando, vel fornicando peccarent.

CAPUT XV.

Octo annis pœniteat, qui duabus commatribus commiscetur.

Ex concilio Calcedonenſi (b).

SI pater, & filius, aut duo fratres cum una muliere, aut si cum matre, & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, secundum antiquam, & humaniorem definitionem, octo annis pœniteat.

CAPUT XVI.

Qui uxorem suam adulteram dimittere noluerit, duobus annis pœniteat, si debitum reddiderit sibi.

Joannes Chryſostomus (c).

SI quis uxorem invenerit adulteram [d], postea deinceps placuerit eam habere in matrimonio, duobus annis [e] pœniteat, ideo quia (f) cum adultera admixtus sit, quæ adhuc crimine suo non est purgata, aut abſtineat se a matrimonio ejus, donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ: ideo quia post satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera. Similiter si uxor virum suum invenit adulterum, non ad imparia judicatur.

CAPUT XVII.

Qua pœna mulſentur incendiarii.

Innocentius II. (g)

Pessimam si quidem (h), & depopulatricem, & urendam (i) incendiõrum malitiam auctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli omnino detestamur, & interdiciamus (k). Si quis igitur post hujus nostræ prohibitionis promulgationem malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur, & si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura: nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit, secundum facultatem suam resarcito, juret (l),

se ulterius ignem non appositurum. Pœnitentiæ autem ei detur, ut aut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat: Si quis autem Archiepiscopus (m) vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & per annum ab officio episcopali abſtineat. Sane Regibus (n), & Principibus faciendæ justitiæ facultatem, consultis Archiepiscopis, & Episcopis, non negamus.

CAPUT XVIII.

Quæ pœnitentiæ sit imponenda invasoribus rerum ecclesiasticarum.

Nicolaus Papa (o).

DE viro nefando Burgando nomine, qui rabie infantiæ commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque Gentilium more per abrupta itinera, & compita insidians vobis, in vestræ ecclesiæ villa una cum clericis vestris manentibus, & populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus paneque spirituali verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile salutis propriæ desiderium habentibus, sancta Apostolorum Petri, & Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias invasiones, & deprædationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpsit, & ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare, sacraque Dominici corporis, & sanguinis vasa, insuper, & sanctum chrisma pollutis manibus arripere, quasi vilia, & ad ulum communem apta præsumpsit, dilectio vestra consuluit, si ipse, vel qui cum eo in tam impio, & iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiæ quandoque gratia tacti Divina venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curallis. De quibus, si tamen ita est, jubemus, cum ad pœnitentiæ acceleraverint, uno anno extra ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa, extra ritum Fidei Christianæ diripiendo auferre non dubitaverunt. Secundo vero anno ante fores ecclesiæ sine communione maneat. Tertio vero anno ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes astent sine oblatione non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis, & Resurrectionis Dominicæ diem. Quarto præterea anno, si his prioribus eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor communioni fidelium restituantur, totaque

^a Rom. 1. ^b Sic etiam Grat. 30. part. 4. cap. 2. Sed non extat.

^c Ex Pœnitent. Theodori, Anselm. lib. 11. cap. 94. & Grat. 22. q. 1. cap. 6. cum magna varietate.

^d Suam scit adulteratam, Anf. & Grat. ^e Tres annos, Anselm. trib. annis, Grat.

^f Et quamdiu illa pœnitet, abſtineat se ab illa, Anf. & quamdiu pœnitet, abſt. se ab illa, Grat.

^g In concilio Romano cap. XVIII. & in calce Ivonis Panorm. cap. 16. Refert Grat. 23. q. 8. cap. 32.

Vidend. Eugen. 3. in concilio Rhemenſi. cap. 15. quod est editum cap. 9. Eugenii 2. ^h Quidam, Grat.

ⁱ Horrendam, Ivo, & Grat. ^k Plura addit Ivo, & extant in ipſo concilio non edito.

^l Restituat, & se ulterius emendaverit &c. Ivo ceteris omiſſis. ^m Cap. XIX. ejusd. concilii. Refert Gratian. ubi supra. Mihi non videtur aliud caput esse, sed pars superioris.

ⁿ Capit. 20. appellatur, sed mihi pars est capit. 18.

^o Frontario Archiepiscopo Burdegalens. addit Gratian. 12. q. 2. cap. 17.

que mentis intentione spondentes, talia se ulterius numquam facturos, corpus & sanguinem Domini suscipere mereantur, & usque ad septi-

imum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carniū, & vini potatione maneant pœnitentes.

TITULUS IX.

De variis criminibus, & pœnitentiis (a).

CAPUT I.

Qui plus quam dederit, expectit, usuram accipit.

Augustinus [b].

SI sceneraveris homini, id est, si tu mutuum dederis pecuniam tuam (c), a quo plus (d) quam dedisti, expectes, non pecuniam solam sed aliquid plus quod dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti, expectes (e) accipere, scenerator es, & in hoc [f] improbandus, non laudandus.

CAPUT II.

Quando amplius exigitur quam detur, usura accipitur.

Ex concilio Agathensi (g).

USura est, ubi amplius requiritur, quam quod (h) datur; verbi gratia, si solidos decem dederis (i), & amplius quæsieris (k), vel dederis (l) frumenti modium unum, & super aliquid exegeris.

CAPUT III.

Rapinam facit, qui usuram accipit.

Ambrosius (m).

SI quis usuram accipit (n), rapinam facit, vita non vivit.

CAPUT IV.

De pœnitentia eorum, qui usuras exigunt, Ex Pœnitentia Romano (o).

SI quis usuras undecumque exegerit, tribus annis pœniteat, in uno (p) pane, & aqua.

CAPUT V.

Furtum committit, qui inventum non reddit.

Augustinus (q).

SI quid invenisti (r), & non reddidisti, rapuisti, fecisti, quia plus non invenisti, ideo plus non invenisti (s) ideo plus non rapuisti (t). Qui alienum negat, si posset, & toleret, Deus cor interrogat, non manum (u).

CAPUT VI.

Peccat qui rem inventam non reddit.

Hieronymus (x).

Multi sine peccato putant esse, si alienum quod invenerint, teneant, dicunt, Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant hoc ergo (y) peccatum simile esse rapinæ, si quis inventa non reddat.

CAPUT VII.

In periculo constitutis pœnitentiæ quantitas non est imponenda, sed innoxescenda.

[z] **A**B infirmis in periculo mortis positus [aa] pura est inquirenda confessio peccata-

a Hic etiam titulus, sive inscriptio in veteri libro desiderabatur.
 b In psalm. XXXVI. ut ait Ivo parte 13. cap. 17. decr. & Cæsar. lib. 8. cap. 73. & Grat. 14. q. 3. c.
 r. est autem apud B. August. concione 3. in eum psalm. vers. *Tota die miseretur, & sceneratur.*
 c *Mutuum pecuniam tuam dederis*, Aug. voce tu, caret Ivo *si mutuo dederis pecuniam tuam*, Grat.
 d *A quo aliquid plus*, Aug. e *Expectes accipere*, Aug. f *Ob hoc*, Ivo ex hoc, Cæsar.
 g Sic etiam Burch. lib. 2. cap. 126. & Ivo lib. 3. tit. 13. cap. 6. Panorm. sed part. 6. cap. 200. Decr. ex concil. Carthag. cap. XIII. ex Agathens. Gratian. d. q. 3. ult. Ego in conciliis non inveni, sed in Capitul. Caroli lib. 1. cap. 125. h *Quam datur*, Capit. & Burch. & Ivo.
 i *Si dederis solidum*, Cap. k *Requisieris*, Cap. & Burch.
 l *Vel si dederis modium vini, frumenti, & iterum super aliud exegeris*, Cap.
 m In libro de bono mortis, addit Grat. 14. q. 4. cap. 10. Ambrosii verba sunt in eod. libro cap. 12.
 n *Acceperit*, Ambr. o Sic etiam Anselm lib. 11. cap. 115. in Rom.
 p Omittit Anselm. in Roman. sed in alio veteri est, cap. 108.
 q Sic etiam Grat. 14. q. 5. cap. 6. extant hujus cap. verba apud August. sermone 19. cap. 8. de verbis Apostoli. & sermone 9. in lib. 50. homiliar. r *Nam quod invenisti*, Aug. s *Non potuisti*, Aug.
 t *Non plus fecisti*, August. u Hæc August. postea cap. 9. scribit.
 x In libro Levitici, addit Grat. cap. 8. e. q. 5. Origenes est homil. 4. ad cap. 6. Levit. Rufino interpr.
 y *Ergo peccatum hoc*, Orig. hoc, Gratian.
 z Ex pœnit. Theodori, Burchard. lib. 18. cap. 14. & Ivo part. 15. cap. 36. decr. sine inscript. Cæsar. lib. 15. cap. 26. Theodorus Cantuariens. Archiepiscopus in Pœnitentia suo. Gratian. 26. q. 7. cap. 1. Invenitur in concil. Magunt. sub Raban. cap. 26.
 aa *Per presbyteros*, addit Burch. & Ivo, & Cæsar. & Conc.

catorum, non tamen illis imponenda est quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ sublevandum, si forte [a] migraverint, ne obligati, & communione [b], & consortio veniæ fiant alieni: a quo periculo si divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a sacerdote sibi [c] impositum diligenter observent. Et ideo secundum auctoritatem canonicam [d] ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus, & consolationibus ecclesiasticis sacra unctio olei inuncti [e] secundum statuta sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur.

CAPUT VIII.

Tempus, & modus pœnitendi delinquentium, præsentium imponatur iudicio.

[f] **H**OC sit positum iudicio eorum, qui præ sunt vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant, qui delinquant: quia ætas ad eruditionem multam haberi differentiam pœnarum facit.

CAPUT IX.

De eodem.

(g) **P**œnitentibus secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

CAPUT X.

De eodem.

(h) **P**RO qualitate delicti pœnitentiæ tempus impendatur.

CAPUT XI.

De modis pœnitentiæ, qualiter imponenda sit.

(i) **M**odus, tempusque pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per an-

tiquorum canonum institutionem, aut per sanctorum scripturarum auctoritatem, per ecclesiasticam consuetudinem approbatam [k], imponi debet (l) a sacerdotibus (m). Nam qui peccatis [n] gravibus leves quosdam, & inusitados imponunt pœnitentiæ modos, *consuunt pulvillo (o), secundum Propheticum sermonem, sub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas,* sed (p) discretio servanda est inter publice pœnitentes, & absconse: nam qui publice peccat, oportet ut publice mulsetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.

CAPUT XII.

Quod diversitas culparum diversitatem facit pœnitentiarum.

(q) **D**iversitas culparum diversitatem facit pœnitentiarum: nam & corporum medici diversa medicamenta componunt, ut aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter combustiones curent; ita & spiritales medici diversis curationum generibus animarum vulnera sanare debent. Sed quia hæc (r) paucorum est, ad purum scilicet cuncta cognoscere, & curare, & mederi, atque ut in integrum salutis statutum valeant revocare, ideo solerter admonemus doctum quemque sacerdotem Christi, ut non ex suo sensu, sed secundum canonum statuta, & traditiones Patrum universa disponat, & conditionem utriusque sexus, ætatem, paupertatem, causam, statum, personam cujusque pœnitentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis aspiciat [s]: & secundum hæc, ut sibi visum fuerit, ut sapiens medicus singula quæque dijudicet.

CA-

a Burch. & Ivo, & Cæsar. ut pro & Conc.

b Ex communione alieni, vel ex consortio veniæ fiant, Burch. edit. Vel consortio, vetus Burch. liber. cetera, ut editus. & a communione alieni, vel consortio veniæ fiant, Ivo, Excommunicatioe pro ex communione, Cæsar. cetera, ut Burch. editus, a communione pro & communione, Grat. cetera, ut edita sunt. Excommunicatione, alieni ex consortio bene fiant, Conc. non sine mendo.

c A suo confessore, Conc. & Burch. & Ivo. A suo confessionario, Cæf. d Canonum, Cæf.

e Cum unctio olei animati, Burch. & Ivo. Cum sacra unctio olei animati, Cæf.

f In octava synodo, Grat. 26. q. 7. cap. 8. sed non extat in conciliis.

g Verba sunt concilii Carthagin. III. cap. 31. & concilii Africani cap. 10. & Carthag. Græc. cap. 13. Refertur Capitul. lib. 7. cap. 20. in concil. Troslejan. cap. 13. a Rabano cap. 35. Pœnitent. apud Burch. lib. 19. cap. 40. & Ivon. part. 15. cap. 3. Decr. & Anselm. lib. 11. cap. 20. & Cæsar. lib. 15. cap. 46. & Grat. d. q. 7. cap. 5.

h In octava synodo, Gratian. d. q. 7. cap. 7. Mihi videtur titulus esse, five summa capitis 31. concilii Carthag. de quo supra cap. IX.

i Ex concilio Moguntino cap. X. Burch. lib. 19. cap. 28. & Ivo parte 15. cap. 46. Decret. Ego inveni in concilio Moguntino sub Rabano cap. XXXI. & Cabilonensi sub Carolo cap. XXXVIII. incip. Modus autem pœnitentiæ, & in Capitul. lib. 7. cap. 64. in additis. Vide concil. Parisiense. sub Ludovic. & Loth. lib. 1. cap. 32.

k Consuetudinem, sicut superius dictum est, Concil. Cabilonense, & Cap.

Ezech. 13.
d. * Moriebantur.

l Additur in concil. Cabilonensi & in Capit. repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest: „Mortificabant animas, quæ non moriuntur“, & vivificabant animas, quæ non vivebant“. Sciendum autem hæc non de tribus Pœnitentia-libus dici, Theodori, Bedæ, & Romano, sed de aliis incerti nominis. Vide d. conc. Paris.

m Hæc omittunt concil. Cabilonense, & Cap. n Qui dum pro peccatis, concil. Cabilon. & Cap.

o Ezech. 13. cap.

p Hæc non sunt in concil. Cabilonensi, neque in Capit. habet Magunt. & Burch. & Ivo. Vide Burch. c. 37. & Ivon. cap. 37. ubi supra. q Burch. cap. 29. Ivo cap. 47. ubi supra. Ex dictis Augustini.

r Quia hoc, Ivo. s Inspiciat, Burch. & Ivo.

CAPUT XIII.

Quod multi sunt fructus pœnitentiæ.

[a] **M**ulti sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur; non enim tantum illo simplici pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, juxta Apostolum (b), *Pœnitementi, inquit, & convertimini, ut deleantur vestra peccata*, & illud Propheticum (c): *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*. Propter illum nudum gemitum, & propter illud nudum nomen pœnitentiæ nullus salvabitur, sed per veram confessionem, & sacerdotis intelligentis consilium, & per caritatis affectum, & per elemosynarum fructum peccatorum moles subruitur.

CAPUT XIV.

Quæ sit falsa pœnitentia.

(d) **F**alsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque miles [e], vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat [f] veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam pervenire valeat, nisi negotium relinquat, vel officium deferat, & odium ex corde dimittat, bona, quæ injuste abstulit, restituat, arma deponat, ulteriusque non deferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia, nec tamen [g] desperet: interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam (h).

CAPUT XV.

De eodem.

[i] **F**ratres nostros Episcopos, & presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis
Tom. III.

laicorum [k] animas decipiant, & ad infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur: aut cum sic agitur de uno, ut non discedat ab alio: unde scriptum est (l): *Qui totam legem observaverit, & offendant in uno, factus est omnium reus*, scilicet quantum ad vitam æternam; sicut enim si peccatis omnibus esset involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falsa etiam est pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali (m) non recedit, quod sine peccatis nullatenus agi prævalet: aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendentis offensum non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.

CAPUT XVI.

De admonitione octo principalium vitiorum, & eorum speciebus.

(n) **N**unc tibi octo principalia vitia explicabo, si in illis te percussum, tactum, vulneratum sentis, vide ne me cæles: id est, superbiam, vanam gloriam, invidiam, iram, tristitiam, avaritiam, ventris ingluviem, luxuriam. Ex quibus si te culpabilem recognoscis, pœnitentiam suscipe, nam ex his omnia vitia oriuntur.

[o] De superbia, quæ initium omnis peccati est, & regina omnium malorum, nascitur omnis inobedientia, omnis præsumptio, & omnis pertinacia, contentiones, hæreses, arrogantia.

(p) De vana gloria, jactantia, arrogantia, indignatio, discordia, inanis gloriæ cupido, & hypocrisis.

[q] De invidia nascitur odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis.

[r] De ira ordiuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, præsumptio, bla-

o o

a Ex dictis ejusdem, Burch. cap. 30. Ivo cap. 48. ubi supra. b Act. 3. c Esa. 30.

d Gregor. VII. in concilio Romano IV. cap. VI. Pontif. an. VI. Christi 1078. Indict. 2. die XIII. Kal. Decembr. ex registro. Refert Anselmus. lib. 7. cap. ultimo in Romano, Tarraconensi lib. 5. cap. 50. Grat. de pœnit. distinctione 5. cap. 6. Vidend. Greg. 7. lib. 7. registri epist. 10.

e Quicumque miles, registr. & Anf. & Tarraconens.

f Recognoscat se veram, registr. & Gratian. & Anselm. & Tarrac.

g Ne tamen, registr. & Tarraconens. & Gratian. nec inde, Anselm.

h Ad veram pœnitentiam, Anselmus.

i Innocentius II. in concilio Romano cap. XXII. Urban. II. in concil. Melfit. cap. XVI. refert Cæsar August. lib. 15. cap. 15. & Gratian. cap. ultimo ead. distinctione. Vidend. Gregor. 7. lib. 7. registr. in concilio Romano anno 1080. cap. 5.

k Clericorum, Cæsar. l Jacob. 2. m Negotio, Gratian.

n Ex Pœnit. Theodori, Burch. lib. 19. cap. 6. Vidend. Beda cap. 5. de remed. peccat. & fragment. Caroli vel potius Amilarii, sic enim in veteri libro legi. Item Cassian. lib. 5. cap. 1. de inst. cœnob. & collat. 5. cap. 2. & 16. & Theodulph. ad presbyteros Aurelian. cap. 31.

o De superbia, quod est caput omnium vitiorum, oriuntur superscripta septem vitia criminalia, Amilar. De superbia, contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, Cassian. collat. 5. cap. 16.

p De inani gloria, id est, vana, quæ Græce dicitur *κενοδοξία*, nascitur inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordiæ, & novitatum præsumptiones, Amil. De cenodoxia, contentiones, hæreses, jactantia, ac præsumptio novitatum, Cassian. d. cap. 16. Cenodoxia, id est, jactantia, seu vananagloria. Idem cap. 2. collat. 5. Cenodoxia, quod sonat vana, seu inanis gloria. Idem cap. 1. lib. 5. de inst. cœnob. Vana gloria, Theodulph.

q De invidia, sive invidio, qui ab invidendo alterius felicitati dicitur, nascitur odium &c. Amil.

r De ira longa, quæ ab indignatione dicitur, a qua & iracundia, eo quod accenso sanguine in furem compellitur, nascuntur rixæ &c. Amil. De ira, homicidium, clamor, & indignatio, Cassian. d. cap. 16.

blasphemiarum, sanguinis effusio, homicidia, ulciscendi cupiditas, injuriarum memoria.

(a) De tristitia nascitur malitia, rancor animi, pusillanimitas, amaritudo, desperatio, torpor, vagatio mentis [b], sæpe etiam & presentis vitæ nulla delectatio.

(c) De avaritia oriuntur invidiæ, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, perjuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, injusta judicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis oblivio, obduratio cordis.

(d) De ventris ingluvie propagatur inepta lætitia, scurrilitas, levitas, vaniloquium [e], immunditia corporis, instabilitas mentis, ebrietas, libido, hebetudo sensus (f).

(g) De luxuria generatur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia oculorum, vel totius corporis præcipitatio, amor immoderatus sui, odium mandatorum Dei, affectus presentis sæculi, horror, & desperatio futuri.

CAPUT XVII.

Item de virtutibus, quibus eadem vitia superari possunt.

(h) ERGO si superbus usque modo fuisti, humilia te ipsum in conspectu Dei.

Si vanam gloriam dilexisti, cogita, ne propter transitoriam laudem æternam perdas mercedem.

Si invidiæ rubigo te hucusque consumpsit, quod est peccatum maximum, & super omnia detestabile, quia diabolo comparatur invidus, qui primo homini invidit datum, quod ipse per suam culpam perdidit, age pœnitentiam, & profectum aliorum tuum deputa.

Si tristitia te superat, patientiam, & longanimitatem meditare.

Si avaritiæ morbus te gravat, cogita, quia radix est omnium malorum, & idololatriæ comparatur, & ideo largum te esse oportet.

Si ira te vexat, quæ in stultorum sinu requiescit, dominari debes animo tuo, & hanc a te mentis tranquillitate fuga.

Si ventris ingluvie te ad vorandum pertrahit, sobrietatem sectare.

Si luxuria, castitatem vove.

CAPUT XVIII.

Ut unusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat.

Ex concilio Maguntensi [i].

Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut unusquisque (k) diversitatem illorum sciat, & ab illis Domino auxiliante, se intelligat custodire, & aliis prædicare.

CAPUT XIX.

Ut sacerdotes diligenter examinent confitentium peccata.

(l) UT Episcopi, & presbyteri examinent qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituent.

CAPUT XX.

Ut singuli presbyteri capitula auctoritativa habeant ad succurrendum pœnitentibus.

[m] UT unusquisque presbyter capitula habeat de majoribus, vel minoribus vitiis, per quæ cognoscere valeat, vel prædicare subditis, ut caveant ab insidiis diaboli.

CAPUT XXI.

Quod secundum canonum, & Pœnitentialium statuta pœnitentiæ dandæ sunt.

(n) CUM igitur omnia consilia canonum, quæ (o) recipiuntur, sint a sacerdotibus legenda, & intelligenda, & per ea sit eis vi-

a De tristitia, que oritur ex ira, nascitur malitia &c. Amil. Accidia, sive tristitia Theodulph. De tristitia rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio, Cassian. d. cap. 16.

b Torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita, Amil. De acedia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, pervagatio, instabilitas mentis, & corporis, verbositas, curiositas, Cassian. d. cap. 16.

c De avaritia, que Græce dicitur φιλαργυρία, id est, amor pecuniæ, ab aviditate dicta, nascitur proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio cordis, Amil. φιλαργυρία, quod intelligitur avaritia, vel ut proprius exprimat, amor pecuniæ, Cassian. d. lib. 5. cap. 1. De φιλαργυρία, mendacium, fraudatio, furta, perjuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas, ac rapacitas, Idem d. cap. 16. tertium φιλαργυρία, id est, avaritia, sive amor pecuniæ, Idem d. cap. 2.

d Que Græce dicitur γαστριμαργία, id est, horrida voracitas, atque gulositas, que a gula dicitur, nascitur inepta lætitia &c. Amil. addit. De γαστριμαργία namque nascuntur comestiones, ebrietates. Cassian. d. cap. 16. Primum γαστριμαργία, quod sonat ventris ingluvie, Idem d. cap. 2. γαστριμαργία, que interpretatur gula concupiscentia, Idem d. cap. 1. γαστριμαργία, hoc est, ventris ingluvie, Theodulph.

e Stultiloquium, multiloquium, Amil. f Circa intelligentiam, addit Amil.

g De luxuria, que a luxu nomen accepit, & est immunditia corporalis, unde & luxuriosus, quasi solutus, & corruptor dicitur, nascitur cæcitas mentis &c. Amil. De fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra, ac stultiloquia, Cassian. d. cap. 16. h Burch. cap. 7. ejusdem libri.

i Maguntino cap. V. Burch. d. lib. 19. cap. 97. Maguntensi cap. V. Ivo part. 15. cap. 109. decret. Extat in concil. Rhemenfi cap. 13. k Presbyter, addit Ivo.

l Ex eodem cap. VI. Burch. cap. 98. & Ivo cap. 110. ubi supra.

m Ex eodem cap. XXVI. Burch. cap. 99. Ivo cap. 111. ubi supra.

n Ex concilio Maguntino II. c. II. & Cabilonensi sub Carolo cap. 37. in conciliis. Refert Burch. d. lib. 19. cap. 147. & Ivo part. 15. cap. 157. decret. o Qui pro qua, Cabil.

vivendum [a], necessarium duximus, ut ea, quæ ad Fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur (b), & in populo prædicetur.

CAPUT XXII.

Ut sacerdotes nullam pœnitentiam injungant ex corde, sed ex auctoritate.

(c) **O**Mnibus his actis ventilata est ratio pœnitentiæ, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessionem recipere, & pœnitentiam secundum canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare [d].

CAPUT XXIII.

Pœnitentia illius anni, qui in pane, & aqua jejunandus est, isto ordine observari debet.

Ex Pœnit. Romano [e].

Pœnitentia unius anni, qui in pane, & aqua jejunandus est, talis esse debet. In unaquaque hebdomada tres dies, id est, secundam feriam, quartam, & sextam in pane, & aqua jejunet (f), & tres dies, id est, tertia feria, & quinta, & sabbato a vino, & medone, mellito, cervisa (g), a carne, & sanguine, & caseo, & ovis, & ab omni pingue pisce (h) se abstinere: manducet minutos pisciculos, si habere potest; si habere non potest, tantum unius generis piscem, & legumina, & olera, & poma si vult comedat, & cervisam bibat. Et in diebus Dominicis, & Natalis Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini unum diem, & in Pascha usque in octavum diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa sancti Joannis Baptistæ (i), & sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, sancti Michaelis, & sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & sancti Martini, & in illius Sancti festivitate, qui in illo episcopio [k] celebris habetur, in his supradictis diebus faciat caritatem cum ceteris Christianis, id est, utatur eodem cibo, & potu, quo illi: sed tamen ebrietatem & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

CAPUT XXIV.

(l) *Iste annus secundus est ab illo anno, qui in pane, & aqua observandus est, & post illum jejunandus. Qui etiam dandus est illis, qui viros ecclesiasticos sponte occidunt, & in consuetudinem (m) habent Sodomiticum scelus, & qui in consuetudinem habent contra naturam peccare, & in ecclesiis homicidia sponte committunt, & ecclesias incendunt, & in ecclesiis adulteria comitentur, & qui alia hujuscemodi perpetraverint.*

(n) **P**œnitentia illius anni talis esse debet, ut hos duos (o) dies, id est, secundam feriam, & quartam in unaquaque hebdomada jejunet usque ad vesperam, & tunc reficiatur de sicco cibo, id est, pane, & leguminibus siccis, sed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis, unum eligat ex his tribus, & utatur, & cervisam bibat, sed sobrie: & tertium diem, id est, sextam feriam, in pane, & aqua observet: & tres quadragesimas jejunet, primam ante (p) Natalem Domini, secundam ante Pascha, tertiam ante Missam sancti Joannis, & si totam quadragesimam ante Missam sancti Joannis implere non possit, post Missam impleat. Et in his tribus quadragesimis jejunet duos dies in hebdomada ad nonam, & de sicco cibo comedat, ut supra notatum est: & sexta feria jejunet in pane, & aqua. Et in diebus Dominicis, & in Natali Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini unum diem, & in Pascha usque in octavum diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa sancti Joannis Baptistæ, & sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, & sancti Michaelis, & sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & sancti Martini, & in illius Sancti festivitate, qui in illo episcopatu celebris habetur. In his supradictis diebus faciat caritatem cum ceteris Christianis, sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

CAPUT XXV.

De redemptione illius anni, quem in pane, & aqua jejunare debet.

Ex eodem [g].

Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, quinquaginta psalmos genibus

o o 2

fle.

a Et Prædicandum, addit Cabilonense, & Burch. & Ivo.
 b Et bene intelligatur, addit Cabilonense, & Burch. & Ivo.
 c Ex concilio Moguntino cap. XXIV. apud Burch. d. lib. 19. cap. 96. & Ivon. d. part. 15. cap. 108. Ex-
 tat in conc. Rhemenf. cap. 12. d Indice, Ivo in marg.
 e Sic etiam Burch. dist. lib. 19. cap. 9. & Ivo d. part. 15. cap. 189. Vide eund. Burch. lib. 6. cap. 1.
 2. 3. & 4. & Ivon. part. 10. cap. 130. 131. 132. & 133. dect.
 f Hoc est, quod alibi dicitur, annum in pane, & aqua per legitimas ferias jejunet.
 g A vino, medone, mellita, cervisia, Burch. & Ivo. Cervisa tamen est in veteri Burch. libro, cervisia apud
 Ivonem. h Pingui pisce, & Burch. & Ivo. licet vetus Burch. liber pingue pisce habeat.
 i Sic appellari solebat dies festus ejusdem sancti, ut apparet ex Capitularibus Caroli, & aliorum Regum;
 sic etiam Missa sancti Martini, sancti Remigii, & aliorum sanctorum: a parte diei celebri totus dies dicebatur.
 k In illo episcopatu, Burchard. & Ivo.
 l Sic Burch. in titulo capitis 10. & Ivo in contextu verborum capitis 190. ubi supra.
 m In consuetudine, Burch. n Ex eodem, Burch. ibid. Sine inscript. Ivo. o Duos, Burch. & Ivo.
 p Unam ante, Ivo & Burch. editus. 2. ante, vetus liber.
 q Sic Burch. d. lib. 19. cap. 12. sine inscript. Ivo d. parte 15. cap. 192. Vidend. Beda cap. 14. de re-
 med. peccat.

flexis, in ecclesia, si fieri potest, decantet (a): si autem in loco convenienti eadem faciat, & unum pauperem pascat (b): & eodem die, excepto vino, carne, sagimine, sumat quidquid velit.

CAPUT XXVI.

Item alio modo.

Ex eodem [c].

QUI in ecclesia genua centies flexerit, id est, si centies veniam petierit, si fieri potest ut in ecclesia fiat, hoc iustissimum est: si autem hoc fieri non potest, secreta in loco convenienti eadem faciat: si sic fecerit, eo die, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod placeat.

Item alio modo.

Ex eodem.

(d) Qui psalmos non novit, unum diem, quem in pane, & aqua pœnitere debet, dives tribus denariis, & pauper uno denario redimat (e), & eo die, excepto vino carne, & sagimine, sumat quidquid velit.

CAPUT XXVII.

De illis, qui jejunare non possunt, & psalmos nesciunt, quomodo pœnitentiam unius anni, quem in pane, & aqua jejunare debent, redimere possint.

Ex eodem [f].

QUI vero psalmos non novit, & jejunare non potest, pro uno anno, quem in pane, & aqua pœnitere debet (g), det pauperibus in eleemosynam viginti duos (h) solidos, & omnes sextas ferias jejunet in pane, & aqua & tres quadragesimas, id est, quadraginta dies ante Pascha, & quadraginta dies ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ (i), & si ante festivitatem aliquid remanserit, post festivitatem

adimpleat, & quadraginta dies ante Nativitatem Domini. In his tribus quadragesimis quidquid suo preparatur in cibo, vel in potu, vel cujuscumque generis illud sit, æstimet, quanti pretii sit, vel esse possit, & medietatem illius pretii distribuatur in eleemosynam pauperibus, & assidue oret: & roget Deum, ut oratio ejus, & ejus eleemosynæ apud Deum acceptabiles sint.

CAPUT XXVIII.

De redemptione illius anni, quem in pane, & aqua jejunare debet.

Ex Pœnitentiali Theodori (k).

ITEM qui jejunare non potest, & observare hoc quod sanctus Bonifacius Papa constituit. Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet roget presbyterum, ut Missam cantet pro eo (l), nisi sint crimina capitalia, quæ confessæ prius lavari cum lacrimis debent, & tunc ipse adsit, & audiat Missam, & devote ipse offerat (m) propriis manibus sacerdotis, & intente respondeat; quantum sapit ad salutationes, & exortationem sacerdotis, & humiliter Deum deprecetur, ut oblatio, quam ipse presbyter (n) pro se & pro peccatis suis Deo obtulerit (o), Deus omnipotens misericorditer per Angelum suum suscipere dignetur, & eo die excepto vino, & carne, & sagimine, comedat quidquid vult: & sic redimat reliquos anni dies.

CAPUT XXIX.

De illis, qui jejunare possunt, & habent unde redimere possint.

Ex eodem (p).

SI quis forte non potuerit jejunare, & haberit unde possit redimere, si dives fuerit, pro

a Sæpe hac voce, & similibus utitur pro dicere, vel legere, vel recitare, ex alicujus vulgaris lingue dialecto. Et cum psalmis, vel canticis minus inepte, quam cum orationibus conjungitur: nam & ipsi Poetæ cum carmina scribunt, canere dicuntur, ut: *Arma: virumque cano: & Jusque datum sceleri canimus: & Quid faciat lætas segetes &c. Hinc canere incipiam.*

b Vides hinc pauperum cibus, & orationibus pro indicta pœnitentia jejuniorum satisfieri: alibi peregrinatione, & bello sacro, & genuflexione, aut percussione, aut aliis corporis afflictionibus. Hinc indulgentiæ Episcoporum, & majorum Pontificum, & ipsius Christi Vicarii celebratæ sunt.

c Sic etiam Burch. cap. 14. & Ivo cap. 194. ubi supra. d Burch. cap. 15. Ivo cap. 195. ibid.

e Denarium Romanum veteri æstimatione accipio, ut saltem sit drachmæ argenti pondere, quo possit pauper cibum eo die sibi emere, ut in Evangelio denarius est merces operarii. Matth. 20. *Manus adjurices* postea hæc redemptio appellata est.

f Sic Burch. cap. 20. & Ivo cap. 200. ubi supra. Vidend. Beda cap. 14. *de remed. peccat.*

g *Jejunare debet*, Ivo.

h Cujus æstimationis sint hi solidi, plane ignoro, sed cum unius diei redemptio sit denariorum trium, fit summa CCCLXV. dier. MXCV. denarii ita fit, ut in singulis solidis sint XLIX. denarii & aliquid amplius. Sed malo, ut singuli solidi æstimentur denariis sexdecim, & ut redemptio fiat singulis denariis in singulos dies. Ita fit minor summa, quæ est magis verisimilis. Sed & habenda ratio est festorum dierum, qui redimi non debent.

i Hic non missa dicitur, ut supra eod. 23. & 24.

k Sic etiam Burch. cap. 21. & Ivo cap. 201. ubi supra.

l *Cantet* interpretor *dicat* ut supra cap. 25. Est autem hic notandum, a tempore Bonifacii Papæ sacrificium Missæ privatæ offerri pro pœnitente, eoque indulgentiam mereri gravioris pœnitentiæ: & confessionem præcedere oportere, si capitalia sint crimina.

m In severioribus pœnitentiis ne ingredi quidem licet ecclesiam, nisi post certum tempus, alio vero tempore audire præter orationes, sed discedit cum catechumenis, postea audit omnia, sed non offert: tandem offert, & ad extremum communionis particeps fit. Vidend. Gregor. Thaumaturgus.

n *Quam ipse, & presbyter*, Burch. & Ivo. o *Obtulerunt*, Burch. & Ivo.

p Sic etiam Burch. d. lib. 19. cap. 22. Sine inscript. Ivo d. part. 15. cap. 202.

pro septem hebdomadibus (a) det solidos viginti: si non habuerit, unde tantum dare possit, det solidos decem: si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Neminem vero conturbet, quia iussimus dare solidos viginti, aut minus: quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos viginti, quam pauperi tres: sed attendat unusquisque cui dare debeat, sive pro redemptione captivorum [b], sive super sanctum altare, sive Dei servis, sive pauperibus in elemosynam.

CAPUT XXX.

De illis, qui non possunt adimplere quod in Pœnitentiali scriptum est.

Ex eodem (c).

QUI non potest sic agere pœnitentiam, ut superius diximus, faciat sic. Si tres annos continuos jejuna debet, & non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in elemosynam solidos viginti sex (d), in secundo anno eroget in elemosynam solidos viginti, in tertio anno solidos decem & octo, hi sunt sexaginta quatuor solidi (e). Potentes autem homines plus dare debent, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Et qui illi committunt, etiam a licitis se abstinere debent, & corpus debent affligere jejuniis, vigiliis, & crebris orationibus: caro enim læta trahit ad culpam, afflicta reducit ad veniam.

CAPUT XXXI.

De illis, qui jejuna non possunt, & non habent unde redimere possunt.

Ex Pœnitentiali Bedæ [f].

QUI jejuna non potest, & non habet unde redimat, & psalmos novit, pro uno die, quem jejuna debet in pane, & aqua, tribus vicibus, *Beati immaculati*, usque ad

Dominum cum tribularer, decantet, & sexies *Miserere mei Deus*, & septuagies prosternat se in terra [g], & per singulas genuflexiones *Pater noster* decantet. Qui autem psalmos nescit, pro uno die, quem in pane, & aqua jejuna debet, centies prosternat se in terra, & per singulas genuflexiones *Pater noster* [h].

CAPUT XXXII.

Quo tempore nuptiæ celebrandæ sint.

Ex concilio Ilerdensi (i).

QUOD non oporteat a septuagesima usque in octavas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Joannis, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

CAPUT XXXIII.

De quodam sacerdote, qui scienter sacrificavit corpus Christi, scilicet hostiam jam consecratam.

DE quodam sacerdote quæstio proposita est, qui cum populo deberet cantare Missam, & fuisset oblitus portare hostiam, pro verecundia populi scienter sacrificavit corpus Christi, hostiam scilicet jam consecratam, cum non haberet aliam. Concilium Cardinalium, & plurium Episcoporum in hoc consensit, quod si occultum fuit, moneretur, deterrereturque ut omni tempore vitæ suæ in pœnitentia esset, & si posset sine scandalo, abstinere a conficiendo corpore Domini: si autem publicum, toto tempore cessaret a Missæ celebratione. Pars tamen eorum dicebat, nisi se fecerit monachum, vel Canonicum, & tunc meritis exigentibus permisso Abbatis, & consilio Apostolici, vel Episcopi, in necessitate posset accedere.

In-

a Supra cap. 27. pro redemptione unius anni dat solidos XXII.

b Hic enumerantur causæ justæ elemosynarum, quæ postea causæ indulgentiæ illius fuerunt, quam diximus appellari *manus adjutrices*. Sed plures hic omittuntur, ut est fabrica, sive aedificatio ecclesiarum monasteriorum, hospitalium, & aliorum locorum piorum, item pontium, atque murorum, & similibus.

c Sic Burch. cap. 23. ubi supra. Sine inscript. Ivo d. part. 15. c. 203. Vidend. Beda c. 14. de remed. pecc.

d Supra cap. 27. solidos viginti duos, & c. 29. pro septem hebdom. solidos viginti.

e Ex proportione posita cap. 27. esse debuerunt solidi sexaginta sex.

f Sic Ivo cap. 204. *Presbyteri*. Addit Burch. cap. 24. ubi supra. g *In terram*, Burch. & Ivo & postea.

h *Addit dicat*, Burch. & Ivo.

i *Cap. III.* addit Burch. lib. 9. c. 4. & Ivo lib. 6. tit. 1. c. 2. Pan. & part. 8. c. 142. decr. nihil addit Grat. 33. q. 4. cap. 10. *Ex decr. Hormisdæ Pap.* Tarrac. lib. 1. cap. 238. Vide Saleg. conc. cap. 3. post Burch. lib. Hoc caput non videtur esse hujus collectionis, ut neque aliud huic proximum, quod apertius in titulis omittitur.



Index Titulorum, & Capitum.

TITULUS I.

De Homicidio.

- I. **D**E interfecto-
ribus sacerdotum. Pag. 257. col. 1.
- II. De eadem re. Ibid.
- III. De homicidio non sponte commisso. 257. 2.
- IV. De domina, quæ in furore suo ancillam suam verberaverit, & sic perierit. 258. 1.
- V. De illo, qui publice pœnitentem occiderit. Ibid.
- VI. De insano, si homicidium perpetraverit. Ibid.
- VII. Quod tria sint genera homicidarum. Ibid.
- VIII. De illo, qui non vult reconciliari fratri suo. 258. 2.
- IX. De tractoribus. Ibid.
- X. De illis, qui pro vindicta parentum homicidium committunt. Ibid.
- XI. De illo, qui uxorem suam sine iudicio occiderit. Ibid.
- XII. De eadem re. 259. 2.
- XIII. De his, qui patrem, matrem aut sororem occiderint. 260. 1.
- XIV. De diversis homicidiis voluntarie, sive nolenter. Ibid.
- XV. Si plures homines unum impugnaverint. 260. 2.
- XVI. De homicidiis diversis ab ecclesiasticis viris commissis. Ibid.
- XVII. De illo, qui consentit ad homicidium faciendum. Ibid.
- XVIII. De illo, qui aliquem percussit, & sanguinem fuderit. 261. 1.
- XIX. De eo, per cuius consilium homicidium fit. Ibid.
- XX. De illo, qui iussu Principis tyrannum occiderit. Ibid.
- XXI. De eo, qui pugnaverit cum aliis contra aliquem, & occisus fuerit. Ibid.
- XXII. De illo, qui patrem, aut matrem, aut alios propinquos occiderit. 261. 2.
- XXIII. De illo, qui debilitaverit aliquem in aliquo membro. Ibid.
- XXIV. De illo, qui interfecerit furem, aut latronem. 262. 1.
- XXV. De illo, qui accusaverit aliquem, & occisus fuerit. Ibid.
- XXVI. De ea, quæ filium suum occiderit. Ibid.
- XXVII. De eadem re. Ibid.
- XXVIII. De eadem re. 262. 2.
- XXIX. De his, qui opprimunt infantem suum nolenter. Ibid.
- XXX. De eadem re. Ibid.
- XXXI. De his, quorum filii sine ba-

prismo per negligentiam moriuntur.

- XXXII. De illis, qui conceptum excutiant. 263. 1. Ibid.
- XXXIII. De illis, quæ abortum fecerint. Ibid.
- XXXIV. De illo, qui occiderit aliquem de ecclesiasticis viris. 263. 2.

TITULUS II.

De perjuriis, & de pœnitentia eorum.

- I. De illis, qui iubentibus dominis suis perjurium fecerint. 264. 1.
- II. De illis, qui pro vita redimenda perjurium fecerint. Ibid.
- III. De eadem re. Ibid.
- IV. De illis, qui se scienter perjuraverint. Ibid.
- V. De eadem re. 264. 2.
- VI. De eadem re. Ibid.
- VII. De illis, qui sacramentum Regis violant. Ibid.
- VIII. De illo, qui perjurat per cupiditatem. 265. 1.
- IX. De eadem re. Ibid.
- X. De eadem re. Ibid.
- XI. De eadem re. 265. 2.
- XII. De illo, qui consentit ad falsum testimonium. Ibid.
- XIII. De falso testimonio, quod capitale sit crimen. Ibid.
- XIV. Qualiter puniatur falsus testis. Ibid.
- XV. Quod iuramenta solvenda sunt, quæ ad malum faciendum facta sunt. 266. 1.
- XVI. Quod definitio incauta solvenda sit. 266. 2.
- XVII. De eadem re. Ibid.
- XVIII. Iuramentum filii. Ibid.

TITULUS III.

De fornicatione, & incesto diversi generis, & de pœnitentia utriusque sexus & diversæ ætatis.

- I. Si laicus absolutus cum laica absoluta peccaverit. 266. 1.
- II. De uxore, quæ conscio marito mœchata fuerit. Ibid.
- III. De viro uxorem non habente, si cum alterius uxore adulterium perpetraverit. 266. 2.
- IV. De eo, qui habens uxorem semel lapsus fuerit. Ibid.
- V. De illo, qui se ignorante cum sorore uxoris suæ fornicatus est. 267. 1.
- VI. De eadem re. Ibid.
- VII. De eadem re. Ibid.
- VIII. De illo, qui cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel cum sorore, vel cum reliquis propinquis fornicatus est. Ibid.
- IX.

- IX. De illo, qui cum matrem habuerit uxorem, cum filiastra fornicatus fuerit. 267. 2.
- X. De illo, qui cum filia ignorante matre, fornicatus est. 268. 1.
- XI. De illo, qui stupraverat quandam, quam frater ejus postea duxerit uxorem. Ibid.
- XII. De muliere, cum qua pater & filius fornicati sunt. Ibid.
- XIII. De illo conjugato, qui cum filia matertera suæ, vel avunculi, vel patru, vel amitæ fornicatus fuerit. Ibid.
- XIV. Qualiter pœnitere debeat, qui incestum fecerit. 268. 2.
- XV. De mulieribus, quæ aliquo molimine inter se fornicantur. Ibid.
- XVI. De his, qui irrationabiliter versati sunt. Ibid.
- XVII. De illis, qui cum pecudibus fornicantur. 269. 1.
- XVIII. De illis, qui fornicantur sicut Sodomitæ. Ibid.
- XIX. Item de commixtione animalium. 269. 2.
- XX. Item de fornicatoribus. Ibid.
- XXI. De illis, qui per illecebrosos amplexus fœminarum polluantur. 271. 1.
- XXII. De clericis, qui per malas cogitationes semen effuderint. 271. 2.
- XXIII. De sodomitico peccato. Ibid.
- XXIV. De his, qui fornicati sunt ut Sodomitæ. 272. 1.
- XXV. De eo, qui fornicari vult, & non potest. Ibid.
- XXVI. De incestis occultis commissis. Ibid.
- XXVII. De illis, qui libidinosè puellam obrectaverint, aut mulierem. 272. 2.
- XXVIII. De illis, qui in balneo cum mulieribus se laverint. Ibid.
- XXIX. Qualiter pœnitere debeat, quæ lenocinium operatur. Ibid.

TITULUS IV.

De prædatoribus; & furibus, & incendiariis, & pœnitentia eorum.

- I. De rebus ecclesiasticis, quomodo restitui debeant. 273. 1.
- II. Quod sacrilegi sunt ecclesiarum prædones. Ibid.
- III. Majoris pœnæ est violenter aliquid eripere, quam furari. Ibid.
- IV. De eadem re. 273. 2.
- V. De eadem re. Ibid.
- VI. De eadem re. Ibid.
- VII. De violatoribus sepulchrorum. 274. 1.
- VIII. De eadem re. Ibid.
- IX. De furto ecclesiæ. Ibid.
- X. De clericis furtum facientibus. Ibid.
- XI. Quod ut sacrilegus judicandus

est, qui patrem, vel matrem expulerit.

- XII. De eadem re. Ibid.
- XIII. De eadem re. 274. 2.
- XIV. De illis, qui de ministerio ecclesiæ aliquid furati fuerint. Ibid.
- XV. De eadem re. Ibid.
- XVI. De eadem re. Ibid.
- XVII. De illo, qui incenderit ecclesiam. 275. 1.
- XVIII. De illo, qui domum, vel aream proximi sui incenderit. Ibid.
- XIX. De illo, qui truncationes membrorum fecerit. Ibid.
- XX. De eadem re. 275. 2.

TITULUS V.

De crapula, & ebrietate.

- I. Ut malum ebrietatis omnino vitetur. 275. 1.
- II. Quales convivæ sacerdotum epulis interesse debeant. Ibid.
- III. De eadem re. 276. 1.
- IV. De eadem re. Ibid.
- V. De illis, qui per ebrietatem vomitum fecerint. Ibid.
- VI. De eadem re. Ibid.
- VII. De eadem re. Ibid.
- VIII. De illo, qui evomit sacrificium. 276. 2.
- IX. De eucharistia inveterata. Ibid.
- X. De hoc, si aliquid de calice sacri sanguinis stillaverit. Ibid.
- XI. De illis, qui non bene custodierint corpus & sanguinem Domini. Ibid.
- XII. De eadem re. 277. 2.

TITULUS VI.

De incantatoribus, & auguribus, de divinis, de fortilegiis, & variis illusionibus diaboli, & de maledicis.

- I. De illis, qui divinationes requirunt. 277. 1.
- II. De illis, qui auguriis, & incantationibus serviunt. Ibid.
- III. De illo, qui immiserit tempestatem. 277. 2.
- IV. De illis, qui dies, & menses observant. Ibid.
- V. De mulieribus incantatricibus. 278. 1.
- VI. De illis, qui manducant, aut bibunt, aut portant aliquid super se ad Dei judicium subvertendum. Ibid.
- VII. De illis, qui in tabulis, vel in codicibus futura requirunt. Ibid.
- VIII. De illis, qui ad fascinum incantationes fecerint. 278. 2.
- IX. De illis, qui murmurant. Ibid.
- X. De eadem re. Ibid.
- XI. De contentiosis. Ibid.
- XII. De eadem re. Ibid.
- XIII.

- XIII. De illis, qui in lingua lascivi fuerint. 279. 1.
 XIV. De clericis maledicis. Ibid.
 XV. De eadem re. Ibid.
 XVI. De illis, qui Prioribus suis detraxerint. Ibid.
 XVII. De illis, qui contra Episcopos suos insurgunt. Ibid.
 XVIII. De clericis, vel monachis conjurantibus, vel conspirantibus contra Episcopum suum. Ibid.
 XIX. De eadem re. 279. 2.
 XX. De eadem re. Ibid.

TITULUS VII.

De variis criminibus.

- I. De illis, qui ballationes fecerint, & se in alienas formas transmutterint. 280. 1.
 II. De his, qui absque necessitate prævaricati sunt. Ibid.
 III. De eadem re. Ibid.
 IV. De his, qui de Ecclesia catholica ad hæresim transitum fecerint. Ibid.
 V. Quod non licet clerico, vel monacho, postquam Deo se voverit, ad sæcularem habitum reverti. 280. 2.
 VI. De ecclesiastico thesauro ablato. Ibid.
 VII. Ut per totius anni circulum abstineat a carne, qui in quadragesima carnem comederit. Ibid.
 VIII. Quod conjugati in Quadragesima abstinere debeant a conjugibus. 281. 1.
 IX. Quibus temporibus viri ab uxoribus abstinere debeant. Ibid.
 X. De eadem re. Ibid.
 XI. De illo, qui contemnit indictum jejunium. Ibid.
 XII. De illo, qui Missam spernit sacerdotis conjugati. 281. 2.
 XIII. Ut nullus injustas mensuras, & injusta pondera, & a civibus non collaudata, lucri causa dare præsumat. Ibid.
 XIV. De eadem re. Ibid.
 XV. De illo, qui tenet oblationes mortuorum. Ibid.
 XVI. De illo, qui retraxit, vel tenuit aliquid de oblationibus quæ, Deo oblatae sunt. Ibid.
 XVII. De illo, qui decimam sibi retinuit. 282. 1.
 XVIII. De illo, qui pauperes opprimit. Ibid.
 XIX. De illo, qui in ecclesia ad fabulas, & vaniloquia festinat. Ibid.
 XX. De illis, qui reticuerint peccatum fratris, quod est ad mortem. Ibid.
 XXI. De eadem re. Ibid.
 XXII. De illo, qui fœtus animalium verbo, vel visu, vel audi-

tu obfascinare, & perdere posse affirmat. 282. 2.

- XXIII. De illo, qui negligit infirmos visitare. Ibid.
 XXIV. De illo, qui de cibo Judæorum, vel aliorum Paganorum comedit. Ibid.
 XXV. De illis, qui eundo ad ecclesiam otiosa loquuntur. Ibid.
 XXVI. De illo, qui alicui fratri suum imputat peccatum, nisi eum prius arguerit seorsum. Ibid.
 XXVII. De illis, qui diu reticent peccata sua. 283. 1.
 XXVIII. De illis, qui aliquem in ira percusserint. Ibid.
 XXIX. De illis, qui ad feriendum hominem surrexerint, volentes eum occidere, sed non potuerunt. Ibid.
 XXX. De illis, qui Christiana mancipia captivaverint. 283. 2.
 XXXI. De administratione xenodochii, & decimæ. Ibid.

TITULUS VIII.

De variis criminibus.

- I. De viris ordinatis, si ante, vel post ordinationem in criminalibus peccatis ceciderint. 283. 1.
 II. De viris ordinatis, quorum occulta sunt peccata. 283. 2.
 III. Par pœnitentia indicitur cui spirituales filiam, & pœnitentialem suam violaverit. 284. 1.
 IV. De eodem. Ibid.
 V. De eodem. Ibid.
 VI. Quæ pœnitentia sit imponenda sacerdotibus, qui de fornicatione convicti sunt. 284. 2.
 VII. Post professam continentiam quisquis uxorem duxerit, ab ea separetur. 285. 1.
 VIII. In sacris ordinibus constituti non ducant uxores, & si duxerint, separentur. Ibid.
 IX. Damnabile est votentibus etiam velle nubere. Ibid.
 X. Damnationem habebit si nupsierit, quæ virginitatem vovit. 285. 2.
 XI. Nubentes post votum non sunt ab invicem separandi. Ibid.
 XII. De eodem. Ibid.
 XIII. Incestæ sunt virgines, si post consecrationem nubunt. Ibid.
 XIV. Turpior, & flagitiosior est usus contra naturam, quam fornicationis, vel adulterii. Ibid.
 XV. Octo annis pœniteat, qui duabus commatibus commiscetur. 286. 1.
 XVI. Qui uxorem suam adulteram dimittere noluerit, duobus annis pœniteat, si debitum reddiderit. Ibid.
 XVII. Quæ pœna mulctentur incendiarii. Ibid.

XVIII.

- XVIII. *Quæ pœnitentia sit imponenda in vasoribus rerum ecclesiasticarum.* 286. 2.
- TITULUS IX.**
De variis criminibus, & pœnitentiis.
- I. *Qui plus quam dederit, expetit, usuram accipit.* 287. 1.
- II. *Quando amplius exigitur, quam detur, usura accipitur.* Ibid.
- III. *Rapinam facit, qui usuram accipit.* Ibid.
- IV. *De pœnitentia eorum, qui usuras exigunt.* 287. 2.
- V. *Furtum committit, qui inventum non reddit.* Ibid.
- VI. *Peccat qui rem inventam non reddit.* Ibid.
- VII. *In periculo constitutis pœnitentiæ quantitas non est imponenda, sed innotescenda.* Ibid.
- VIII. *Tempus, & modus pœnitendi delinquentium, præsentium judic.o.* 288. 1.
- IX. *De eodem.* Ibid.
- X. *De eodem.* Ibid.
- XI. *De modis pœnitentiæ qualiter imponenda sit.* Ibid.
- XII. *Quod diversitas culparum diversitatem facit pœnitentiarum.* 288. 2.
- XIII. *Quod multi sunt fructus pœnitentiæ.* 289. 1.
- XIV. *Quæ sit falsa pœnitentia.* Ibid.
- XV. *De eodem.* Ibid.
- XVI. *De admonitione octo principalium vitiorum, & eorum speciebus.* 289. 2.
- XVII. *Item de virtutibus, quibus eadem vitia superari possunt, & de pœnitentia eorum.* 290. 1.
- XVIII. *Ut unusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat.* 290. 2.
- XIX. *Ut sacerdotes diligenter examinent confitentium peccata.* Ibid.
- XX. *Ut singuli presbyteri capitula auctoritativa habeant ad succurrendum pœnitentibus.* Ibid.
- XXI. *Quod secundum canonum, & Pœnitentialium statuta pœnitentiæ dandæ sunt.* Ibid.
- XXII. *Ut sacerdotes nulli pœnitentiam injungant ex corde, sed ex auctoritate.* 291. 1.
- XXIII. *Pœnitentiam illius anni, qui in pane, & aqua jejunandus est, isto ordine observare debet.* Ibid.
- XXIV. *Iste annus secundus est ab illo anno, qui in pane, & aqua jejunandus est, &c.* 291. 2.
- XXV. *De redemptione illius anni, quem in pane, & aqua jejunare debet.* Ibid.
- XXVI. *Item alio modo.* 292. 1.
- XXVII. *De illis, qui jejunare non possunt, & Psalmos nesciunt, quomodo pœnitentiam unius anni, quem in pane, & aqua jejunare debent, redimere possint.* Ibid.
- XXVIII. *De redemptione illius anni, quem in pane, & aqua jejunare debet.* 292. 2.
- XXIX. *De illis, qui jejunare non possunt, & habent unde redimere possint.* Ibid.
- XXX. *De illis, qui non possunt adimplere, quod in Pœnitentiali scriptum est.* 293. 1.
- XXXI. *De illis, qui jejunare non possunt, & non habent unde redimere possunt.* Ibid.
- XXXII. *Quo tempore nuptiæ celebrandæ sint.* 293. 2.
- XXXIII. *De quodam sacerdote, qui scienter sacrificavit corpus Christi, scilicet hostiam jam consecratam.* Ibid.



DE REMEDIIS PECCATORUM
 VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI
 CUM NOTIS
 ANTONII AUGUSTINI
 ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

P R Æ F A T I O.

DE Remediis peccatorum paucissima hæc, quæ sequuntur, ex priorum monimentis excerpimus: in quibus tamen omnibus non auctoritate censoris, sed consilio potius compatiens usi sumus, solerter admonentes doctum quemque sacerdotem Christi, ut in universis, quæ hic adnotata reperit, sexum, ætatem (*a*), conditionem, statum, personam cujusque pœnitentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis curiose discernat, & secundum hæc, ut sibi visum fuerit, singula quæque judicet. Quibusdam namque a cibis abstinendo [*b*], nonnullis genua sæpius flectendo, sive in cruce stando [*c*], aut aliud aliquid hujusmodi, quod ad purgationem (*d*) peccatorum pertineat, faciendo; plurimis universa hæc agendo, sua necesse est errata corrigere, quæ universa in examine discreti debent pendere iudicis.

C A P U T I.

Excerptum de canonibus catholicorum Patrum, vel pœnitentiæ, ad remedium animarum, domini Agberti Archiepiscopi (e).

Institutio illa sancta, quæ fiebat in diebus patrum nostrorum, rectas vias numquam deseruit, qui instituerunt pœnitentibus, atque lugentibus suas passiones ad vera medicamenta salutis (*f*): quia diversitas culparum diversitatem facit pœnitentibus medicamento- rum (*g*), vel sicut medici corporum diversa

medicamina, vel potiones solent facere contra diversitatem infirmitatum, vel iudices sæcularium causarum, diversa igitur [*h*] iudicia, qui boni sunt, & recti pensant, & tractant, quomodo recte iudicent inter miseros & divites, inter causam, & causam. Quanto magis igitur o [*i*] sacerdotes Dei, diversa medicamenta animarum invisibilium hominibus pensare, & tractare oporteat (*k*), ne per stultum (*l*) medicum vulnera animarum fiant pejora (*m*), Propheta dicente (*n*): *Computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*o*). O stulte medice, noli decipere animam, & il-

a Hæc inveni in fragment. Caroli, vel potius apud Amilarium, vt in veteri libro est: *Consideret etiam sexum, &c.* *b* *Alios elemosynas, dando, addit Amil.*

c Valde placet, quod hic dicitur, licet id alibi non legerim in hoc genere librorum, nisi apud Amilar. Affine est, quod sæpe Christus admonet, ut tollat unusquisque crucem suam, & eum sequatur. Matth. 10. g. Marc. 8. d. Luc. 9. cap. & 14. f. *d* *Ad animæ salutem pertinent, Amil.*

e *Ex scriptis Prophete [malo Prophetarum] & Gregorii, Hieronymi, & Augustini, & de tribus Pœnitentialibus collectum, Burch. Vorm. lib. 19. cap. 8. Inscriptio vero ejus capituli est, Salubre antidotum animarum. In veteri alio libro sic est, De qualitate culparum, & de disciplina atque doctrina sacerdotum idem sancti Apostoli, deinde alii, ut Hieron. Aug. Paphnutius, Gregorius, Theodorus.*

f *Ac vitia medicamento salutis æternæ superare, Burch. & via medicamenta salutis æternæ, vetus liber mendose.*

g Sic etiam liber Burch. editus, sed in veteri est, *pœnitentiarum*, in alio veteri, *diversum facit pœnitentibus medicamentorum.* *h* *Diversa agunt iudicia, Burch. aptius.* *i* *Vocem o, Burch. omittit.*

k *Oportere, Burch. & vetus ille liber.* *l* *Propter malo, quam per.*

m Sic etiam vetus liber; *putrescant, & pejora fiunt, Burch.* *n* *Psalm. 37. b.*

o *Computruerunt cicatrices, &c. Burch. computruerunt omnia ossa mea, vetus liber.*

& illius, ne duplicem pœnam [a] accipias, vel septupla, vel millena (b). Audi Christum dicentem: *Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadent in foveam* [c]. Si tu non cogitas (d) iudicium meum, alter homo non audit, neque videt, qui me iudicet, o non intelligis, quia Deus iudex iustus, & fortis, videt, & audit, & in palam abscondita deducit, & reddit (e) secundum opera: & item vere sunt nonnulli cæcorum, canum similitudine currentium [f] ad cadavera mortuorum, vel corvorum volantium, qui ad sacerdotium vehuntur (g), qui non [h] propter Dominum, sed plus propter honorem terrenum inhiantes cæci divina sapientia (i). De talibus dixit Gregorius Nazianzenus: *Timeo hoc, quod canes adsectantur officium pastorale*, maxime cum in semetipsis nihil pastoralis præparaverint disciplinæ. Exechiel namque ait (k): *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, & non gregem: lac bibeant, & lanis eorum operiebantur, & quod crassum fuit, manducabant, quod fractum fuit, non alligabant, &c.* Item Exechiel ait (l): *Væ sacerdotibus, qui comedunt populi mei pec-*

casa, hoc est, sibi eorum fumentes victimas, & non orantes pro eis, comedentes hostias, & non corripientes: qui ubi morituros homines audiunt inde gaudentes [m] & præparant se ad prædam, quasi corvi ad cadavera mortuorum. Nunc ergo, o fratres, qui voluerit sacerdotalem auctoritatem accipere (n), in primis cogitet, propter Deum & præparet arma ejus, ante quam (o) manus Episcopi tangat caput (p), id est, psalterium, lectionarium (q), antiphonarium, missale, baptisterium, martyrologium, homilias (r) in anni circulo ad prædicationem cum bonis operibus (s), & computum cum ciclo, hoc est jus sacerdotum (t). Postea autem (u) suum pœnitentialem, qui hoc ordine (x) secundum auctoritatem canonum ordinatur, ut discretiones omnium causarum investiget. Primitus (y) sine quibus rectum iudicium non potest stare, quia scriptum est: *In nulla re appareas indiscretus, sed distingue quid, ubi, quamdiu, quando, qualiter debeas facere.* Non omnibus ergo (z) in una eademque libra pensandum est, licet in uno constringantur vitio, sed discretio sit unaquoque (aa) eorum, hoc est,

P p 2

inter

a Sic etiam Burchard. ne duplices pœnas, vetus liber.

b Vel septuplam, vel millenam, Burch. vel septuplas, vel millenas, vetus liber. c Math. 15. lib. Luc. 6. f.

d Et si tu cogitas, Burch. aptius. In veteri libro hæc non sunt usque ad illa, item vero sunt.

e Deducet, & reddet, Burch. editus deducet & reddit, vetus Burch. liber.

f Nonnulli, cæcorum canum similitudinem habentium currentium, Burch. nam nulli cæcorum canum similitudinem currentium, vetus liber. habentes pro habentium scribo, cetera, ut Burch.

g Vehuntur, Burch. provehuntur, vet. lib. h Non, Burch. & vetus liber.

i Sic etiam Burch. inhiantes cæci divine sapientie, vetus liber, quod minus displicet.

k Hæc omittit vetus liber usque ad illa, qui voluerit. Vide Ezech. 34.

l Quærendus locus Ezech. vide Osee. 4. m Gaudet, Burch.

n Qui voluerit sacerdotis nomen habere, Burch. Si quis voluerit, vetus liber, cetera, ut edita sunt. Idem Burchard. lib. 2. cap. 2. & Ivo Carnotens. lib. 3. tit. 2. cap. 17. Panorm. & parte 6. cap. 22. decreti, & Anselm. Lucenf. lib. 7. cap. 109. & liber Cæsar. lib. 1. cap. 108. Tarraconens. lib. 1. cap. 244. & Gratian. dist. 38. cap. 5. ex dictis Augustini verba quædam referunt, quæ magis videntur hujus collectionis esse: *Que ipsi sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est, liber sacramentorum.* &c.

o Sic etiam vetus liber: ut discat ea, que ei necessaria sunt, antequam &c. Burch.

p Caput ejus tangat, Burch. tangat ejus caput, vetus liber.

q Cum evangelis, addit Burch. utriusque veteris, novique vetus liber, in quo desideratur vox testamenti, & cetera omnia, quæ sequuntur. Idem Burch. d. lib. 2. cap. 2. enumerat hos libros hoc ordine. *Liber sacramentorum, lectionarius, antiphonarius, baptisterium, computus, Canon pœnitentialis, psalterium, homilie &c.* In Panorm. desideratur vox antiphonarius, & in decr. Ivois, & in libro Cæsar. Anselm. omnia ut Burchard. & Tarraconens. & Grat. qui solus scribit, *Canones pœnitentiales.* Lectionarii nomen adscriptum vidi cuidam libro, qui B. Hieronymi Comes dicitur, in quo sunt initia lectionum Prophetar. & epistolarum, & evangelior. in singulis dominicis, & diebus festis, & jejuniorum dicenda in missis. Antiphonarius vero B. Gregorii habet introitus, & gradualia, & offertoria, & communionem totius anni. Liber sacramentorum triplex extat, unus est B. Gregorii, alter Grimoldi Abbatis, tertius dicitur esse Alcuini. In his continentur orationes totius anni. De septem sacramentis pauca invenies.

r Baptisterium, & computum cum cyclo cum commendationibus animarum martyrologium, homelias, Burch. d. c. 8.

s Homelias per circulum anni plebibus prædicandas, Burch. d. cap. 8. homelie per circulum anni Dominicis diebus & singulis festivitibus aptæ. Idem Burch. d. cap. 2. & Ivo, & alii, sed Ivo, & Gratian. homilie, alii homelie habent.

t Istud est simpliciorum, Burch. editus, illius est simplicium, vetus liber.

u Ante hæc verba addit Burch. quia si unum supradictor defuerit, sacerdotis nomen in eo non constabit. Item Burchard. d. cap. 2. Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valde periculosa sunt evangelicæ minæ: quibus dicitur: *SI CÆCUS CÆCO DUGATUM PRÆSTET, AMBO IN FOVEAM CADUNT: stabit pro constabit.* vetus Burch. liber. Ivo ut Burch. editus, & ceteri. Pro voce *Postea*, Burchard. d. cap. 8. scribit, *Ad hæc.*

x Qui & secundum canonum auctoritatem & juxta sententias trium Pœnitentialium, Theodori Episcopi, & Romanor. Pontificum, & Bedæ ordinetur. Sed in Pœnitentia Bedæ plura inveniuntur utilia, plura autem inveniuntur ab aliis inserta, que nec canonibus, nec aliis Pœnitentialibus conveniunt. Sapiens autem medicus excipiat queque meliora, ut discretiones &c. Burch. Hæc fortasse omissa sunt, ne suspectus esset hic libellus, in quo Bedæ faceret mentionem. Mihi quidem Burchardus certior est: & ex verbis elicio ordinem trium Pœnitentialium, Theodori, Romani, & Bedæ; ordinem autem temporum, non auctoritatis; nam si Romanum est Romanorum Pontificum, ut hic scriptum videmus, id primas obtinebit. Sed ex fragmentis ex Romano sumptis magis videtur aliquis Romanus in Gallia eum librum scripsisse. Id apparet ex *Missæ S. Joannis, & S. Martini, & S. Remigii*, & ex verborum sordibus, quibus utitur quæ aliena sunt ab urbe Romana.

y Investiges primitus, & Burch. habet, investigare possit. z Amilar. ubi supra.

aa In unoquoque scribo, inter unumquodque Burch. unicuique Amil.

inter divitem, & pauperem, liberum, servum, infantem, puerum, juvenem, adolescentem, ætate (a), senem, hebetem, gnarum (b), laicum, clericum monachum, Episcopum, presbyterum, diaconum, subdiaconum, lectorem, in gradu, vel sine, in conjugio, vel sine, peregrinum, virginem, sceminam [c] canonicam, vel sanctimoniam [d], debilem, infirmum, sanum (e). De qualitate pecudum, vel hominum (f) continens, vel incontinens [g], voluntate, vel in casu (h), in publico (i), vel in abscondito, quali compunctione emendat [k], necessitate, vel in voluntate loca, & tempora collationum [l] constituerunt sancti Apostoli, deinde sancti Patres, & sanctus Penuusius [m], deinde canones sanctorum Patrum, deinde alii, atque alii, ut Hieronymus, & Augustinus & Gregorius, & Theodorus (n). Ex quorum omnium ista descripsimus dictis, & sententiis veraciter, ut salvi sint omnes, & non pusillanimes, quia (o) *potentes potenter tormenta patiuntur* [p]. Item in Jesu filii Sirach (q): *In iudicando esto misericors, pusillis (r), ut pater, & pro viro matri illorum [s].* Item sanctus Jacobus dixit (t): *Judicium sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam, superexaltat autem misericordia iudicium*, ut idem ipse (u) consequatur: ut sanctus Benedictus [x], hoc est, qui veram penitentiam faciunt in jejunio (y), & fletu, in elemosynis, in orationibus; & perpetrata (z) iterum non faciunt, & si faciunt (aa), tamen non perseverant (bb) in eis, quia Deus dixit: „Ma-

lum fecisti, ignovi; malum dixisti, ignovi; malum fecisti, ignovi; perseveras (cc) in malo, non ignosco (dd)“. Ergo si qui perseverant in malo, non ignosce (ee), sed iudica iudicium districtum (ff) secundum canones, ut alii [gg] timorem habeant.

CAPUT II.

De fornicatione (hh).

Adolescens si cum virgine peccaverit [ii], annum unum peniteat. Si semel, & fortuito, levietur, & tamen usque ad annum plenum. Si intra viginti annos puella adolescens tres quadragesimas, & ferias legitimas. Si propter hoc peccatum servitio humano addicti sunt, quadraginta dies, si nitens tantum, & non coinquinatus, viginti dies peniteat. Si vidua constuprata, annum totum, & dies jejuniorum in altero: si usque ad generatum filium, annos duos integros, & duos alios levius. Si & occiderint, annos tres, & alios quatuor levius: Si monachus laicam, tres annos peniteat: illa duos, & legitimas ferias: Si monacham (kk) laicus, duos annos peniteat, & legitimas ferias: illa tres. Si usque ad generatum filium, annos quatuor: si & occiderint, septem annos peniteant. Si quis vacans [ll] uxorem alterius polluit, duos annos peniteat. Si uxoratus virginem, similiter: ita ut primo horum a sua contineat, si ei consenserit: alioquin addatur modus penitentiae. Si uxoratus uxorem (mm) alterius, tres annos peniteat, primo horum a propria consentiente abstineat. Si

uxo-

- a Et adolescentem ætate, & senem, vetus Amil. liber ætatem senem habentem, fragm. Caroli non recte.
b Sic vetus Burch. liber hebetem, ignarum, editus: quod non æque placet. hebetem & stultum, scientem, & ignarum, Amil. habentem & stultum, scientem & ignarum, fragm. Car.
c Conjugatum, vel sine conjugio, peregrinum, indigenam, virginem, viduam, Burch. aptius, in gradu, in conjugio vel sine conjugio, inter virginem, & sceminam, inter canonicam, & sanctimoniam, Amil.
d Monacham, Burch. e Inter debiles & infirmos, inter sanos, & peregrinos, Amil.
f Fornicantem cum animalibus, vel cum hominibus contra naturam, Burch. de qualitate etiam pecorum, vel hominum, Amil.
g Continentem; vel incontinentem, Burch. inter continentem, vel incontinentem, Amil.
h Dele in: voluntate, necessitate, vel casu. Burch. edit. in veteri post vocem necessitate locus est litteris sex, utrum voluntate, vel casu, Amil. i Seu in publico peccantem, Burch. omittit omnia Amil.
k Emendat Amil. emendat, fragm. non recte, & quali compunctione hæc omnia emendat, Burch.
l In voluntate scribo pro sine voluntate, quæ sequuntur, mendosa sunt, sed videtur significare: Loca, & tempora penitentiae constituerunt sancti &c. necessitate, vel voluntate loca, & tempora discernant. Attendat etiam sacerdos, ut salvi sint omnes &c. Amil. Burch. habet, ut & loca, & tempora penitendi discernat. Hæc omnia de canonibus, & de sanctorum Patrum sententiis, de Hieronymo, de Augustino, Gregorio, Theodoro, Beda, & de Penitentiali Romano vera collegimus, ut nulli necesse sit perire, scientibus & intelligentibus animarum medicis hæc temperanda committimus. In Jesu filio Sirach &c.
m Paphnutius, scribo, ut supra in inscriptione hujus capituli ex veteri libro. Apud Burch. lib. 17. cap. 48. scriptum est, Ex dictis Paphnutii eremite pro Paphnutii eremite: id melius scriptum est apud Ivon. part. 9. cap. 99. decreti. Vide vitas Patrum, & Cassianum. Est etiam celebre Paphnutii Episcopi nomen, qui interfuit in concilio Nicæno.
n Omittit Bedæ nomen, ut prius fecit. o Sap. 6. a. p Sustinebunt, Amil. patientur, fragm.
q Ecclesiastici 4. b. r Pupillis, Ecclesiast. & Burchard. pusillis, Amil.
s Sic Ecclesiast. omittit Burchard. illorum matri, Amil. t Jacob. 2. c.
u Hæc neque Jacob. neque Burch. habent: unde consequitur, Amil. ut idem consequatur, fragm.
x Et sanctus Augustinus dicit de illis, qui veram &c. Burch. ut ait S. Benedictus, qui veram &c. Vox ait, non est in fragm. y Agant in jejunio, Amil. z Et ut perpetrata, Burch.
aa Non faciant: & si fecerint, Burch. edit. non committant, & si fecerint, vetus lib. non faciant, & si faciunt, Amil. & si faciunt, fragm.
bb Non perseverant, vetus Burch. liber non perseverant, edit. non recte. non perseverant, Amil.
cc Perseverare, Burch. & Amil. dd Ignoscam, Amil. ee Ignoscat, Amil.
ff Iudicium, Amil. iustum iudicium, fragm. gg Canones, & juxta instituta majorum, ut ceteri, Burch.
hh Vide d. cap. 20. & Burch. d. pag. 268. ii De stupro virginis vide d. tit. 3. cap. 20. & Burch. lib. 19. pag. 268.
kk Vide d. cap. 20. & Burch. d. pag. 268. ll Vide d. tit. 3. cap. 3. & 20. mm Vide d. cap. 20. & Burch. lib. 19. pag. 268.

uxoratus ancillam suam, annum unum pœniteat, & tres quadragesimas, & legitimas ferias tribus mensibus primis, & a sua se contineat. Illa si invita passa est, quadraginta dies pœniteat: si consentiens, tres quadragesimas, & legitimas ferias. Si adolescens fororem (a), septem annos pœniteat: si matrem, septem annos, & quamdiu vixerit, numquam sine pœnitentia. Si Sodomita annos septem: si in consuetudine, annos septem, vel si monachus, annos septem, si inter femora, tres quadragesimas. Si parvulus (b) vi oppressus talia patitur, quadraginta dies pœniteat, vel psalmis, vel continentia castigetur. Mulier qualicumque (c) molimine, aut seipsam (d), aut cum altera fornicans, annos tres (e): si sanctimonialis fœmina (f) cum sanctimoniali per machinam (g), annos septem pœniteat. Qui cum pecude peccat, annum unum, si monachus est, duos annos. Qui saepe (h) fornicatur, laicus cum laica, tres annos pœniteat, & quanto sapius, aut negligentius, tanto magis & tempus addat, & modum. Qui diutius fornicationi, perjurio, latrocinii, cæterisque flagitiis servivit, annos septem pœniteat. Si mater (i) cum filio suo parvulo fornicationem imitatur, annos duos, & tres quadragesimas, cum legitimis feriis. Pueri se (k) invicem manibus inquinantes, dies quadraginta: majores vero, centum. Pueri sese inter femora sordidantes, dies centum pœniteant: majores, tres quadragesimas, ac legitimas ferias. Parvulus a majore puero oppressus, septimanam: si consenserit, dies viginti. Qui complexu (l) fœminæ illecebroso, vel osculo polluitur, dies triginta pœniteat: qui contactu ejus in verecundo ad carnem, tres menses pœniteat. Puer seipsum voluntate polluens, triginta dies pœniteat, juvenis quadraginta. Qui in turpiloquio polluitur negligens, septem dies

pœniteat. Qui impugnatione cogitationis, & naturæ inquinatur nolens per quatuor dies quinquagenos psalmos canat, & quarta, & sexta feria jejundet ad nonam, vel ad vesperam. Qui in ecclesia consecrata nubunt (m), qui in ecclesia per somnium polluitur, tres dies pœniteat. Uxoratus contineat (n) se quadraginta dies ante Pascha, vel Natale Domini, & omni die Dominico, & quarta, & sexta feria, a conceptione manifesta usque post natam sobolem. Vir contineat se ab uxore tres menses, uxor post natam sobolem abstineat se ab ecclesia, si filius est, dies triginta, si filia, quadraginta, sed & in tempore menstrui sanguinis; nam qui tunc sumpserit (o), triginta dies pœniteat, [qui septem dies]. Si quis cum uxore sua [p] retro nupserit, quadraginta dies pœniteat, quia Sodomiticum scelus est. Parens (q), cujus filius per negligentiam non baptizatus obiit, unum annum pœniteat, & nunquam sit sine aliqua pœnitentia. Si sacerdos (r), ad quem pertinebat, vocatus venire neglexerit, ipse in damnationem animæ judicio Episcopi sui castigetur. Sed omnibus licet fidelibus, ubi forte morturos invenerit non baptizatos, immo præceptum est, animas eripere a diabolo per baptismum: id est, benedictam simpliciter aquam in nomine Domini (s), baptizare illos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, intinctos, aut superfluos aqua: unde oportet, eos, qui possunt fideles, monachos maxime, & scientiam habere baptizandi, & si longius alicubi exierint, Eucharistiam semper secum habere (t).

CAPUT III.

De occisione (u).

QUI occiderit monachum, aut clericum (u), arma relinquat, & Deo serviat, vel se-

a Vide d. tit. 3. cap. 8. & cap. 14. & cap. 20.

b Vide d. tit. 3. cap. 23. in fine, & Burch. lib. 17. cap. 56.

c Ex Pœnitent. Theodori, ut dictum est d. tit. 3. cap. 15. Refert Burch. lib. 17. cap. 27. & Ivo part. 9. cap. 85. Decr. qui scribunt, quocumque pro qualicumque. Vidend. Burch. lib. 19. pag. 277.

d Aut in se ipsa, d. cap. 15. & Burch. & Ivo, aut in seipsam, fort.

e Duos annos, d. cap. 15. & Ivo & vetus Burch. lib. tres annos, editus quinq. Burch. lib. 19.

f Ex eod. pœnitent. ut refert Burch. d. lib. 17. cap. 20. & Ivo d. part. 9. cap. 86.

g Per aliquod machinamentum, Burch. & Ivo. h Vide d. tit. 3. cap. 1. & 20.

i Vidend. Burch. d. lib. 9. pag. 277. & infra cap. 7.

k Vide d. tit. 3. cap. 23. & Burch. lib. 17. cap. 56. ex Pœnit. Romano.

l Vide d. tit. 3. cap. 21. & cap. 27. ex Pœnit. Bedæ, & Romano.

m Non de legitimis nuptiis intelligas, sed turpi coitu.

n Vide d. tit. 3. cap. 20. & tit. 7. cap. 8. & 9. & infra cap. 10.

o Malo nupserit, ex Burch. lib. 19. pag. 266. Junxisti te uxori tuæ menstruo tempore, si fecisti, decem dies in pane, & aqua pœniteas. Mulier tua si intraverit ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, tot dies pœniteat, quos ecclesia cavere debuerat. Si autem concubivisti cum ea his diebus, viginti dies, in pane, & aqua pœniteas. Ex his verbis poterunt Bedæ verba, quæ sequuntur, emendari. Sed certiora sunt, quæ B. Gregorius ad Augustinum de eisdem rebus scribit.

p Vide d. tit. 3. cap. 20. & Burchard. d. pag. 269. & infra cap. 10.

q Vide Pœnit. Roman. tit. 1. cap. 31. & Anf. lib. 11. cap. 41. & 42. ex Pœnit. Rom. Vide Burch. d. libro 19. pag. 277.

r Vidend. Burch. lib. 4. cap. 46. 47. & 49. & Ivon. part. 1. cap. 240. & 241. & 243. decr. & Theod. Episcopus ad presbyteros Aurel. cap. 17. & Anselm. lib. 9. cap. 54. Tarrac. lib. 1. cap. 2. & 3. & Grat. de consecr. distinct. 4. cap. 22. QUICUMQUE.

s Hæc interpretatio non placet, cum necessitate urgente liceat omnibus in quacumque aqua naturali baptizare.

t Fortasse obvisum pro Eucharistiam scribend. Ex Burchard. d. lib. 4. cap. 73. & Ivone part. 1. cap. 267.

& Gratian. de cons. d. 4. cap. 125. NULLUS; est in concil. Arausic. cap. 1.

u Vide in Pœnitent. Romano. * Vide cap. 1. & 2. & 34. ejusd. tituli 1.

septem annos pœniteat. Qui laicum odii meditatione, vel possidendæ hæreditatis ejus, annos quatuor. Qui pro vindicta (a) fratris, unum annum, & in sequentibus duobus annis tres quadragesimas, ac legitimas ferias. Qui per iram subitam, & rixam, tres annos pœniteat. Qui casu, unum annum. Qui in bello (b) publico, dies quadraginta. Qui liber, jubente (c) majore suo innocentem, annum unum, & sequentes duos, tres quadragesimas, & legitimas ferias. Qui super rixam (d) istu debilem, vel deformem hominem reddit, impensas in medicos, & maculæ pretium, & opus ejus donec fanetur, restituat, & dimidium annum, integrum. Qui ad feriendum hominem surrexerit, volens eum occidere, duas septimanas pœniteat: si clericus fuit, septem menses, quod si & vulneraverit, dies quadraginta, si clericus annum totum, sed & pecuniam pro modo vulneris, licet lex non commendat (e), cui infixit, tribuat, ne læsus scandalizet [f]. Mulier partum (g) suum ante dies quadraginta sponte perdens unum annum pœniteat, si vero post quadraginta dies, tres annos pœniteat, si vero postquam natus fuit, quasi homicida. Sed distat (h) multum, utrum pauperula per difficultatem (i) nutriendi, an fornicatio causa sceleris colendi faciat. Qui perjurat [k] sciens compulsus a Domino suo, tres quadragesimas pœniteat, ac legitimas ferias. Qui sciens (l) virtutem juramenti, vel perjurii, perjurat in manu Episcopi, aut presbyteri, vel altari, vel cruce consecrata, tres annos pœniteat; si vero in cruce non con-

secrata, unum annum pœniteat. Si autem in manu hominis, apud Græcos nihil est [m]. Qui seducit nescium perjurare pernoxio (n), qui [o] & postea perjurium suum cognovit, unum annum pœniteat.

CAPUT IV.

De immunda carne.

[p] QUI manducat carnem immundam, aut dilaceratam a bestiis, quadraginta dies pœniteat, si necessitate famis cogente, multo levius. Mus si ceciderit (q) in liquorem, tollatur inde, & aspergatur liquor ille aqua benedicta: si vero mortuus sit, abiiciatur totus liquor, nec ab hominibus sumatur, sive lac, sive cervisia, vel aliquid hujusmodi; quod si mortuus sit, liquor ille, in quo mus, vel mustela incidens moritur, purgetur, & aspergatur aqua sancta, & sumatur, si necessitas sit. Si avis stercoreaverit in quemcumque liquorem, hujusmodi tollatur stercus, & mundetur cibis aqua benedicta, & sumatur. Qui sanguinem [r] nescius cum saliva sorbet, non ei nocebit. Qui manducans proprio polluitur inscius, non ei nocet. Si autem scit, pœnitentiam agat juxta modum pollutionis.

CAPUT V.

De capitalibus criminibus (s).

NUNC igitur capitalia crimina secundum canones explicabo. Prima superbia, invidia [t] fornicatio, inanis gloria, ira longo tempo-

a Vide cap. 10. d. tit. 1. ex Poenitentiale Theodori.

b Vide Burch. lib. 6. cap. 23. Ivo lib. 10. cap. 152. Decr. & Poenit. Rom. tit. 1. cap. 20.

c Vide Burch. d. lib. 6. cap. 17. & lib. 19. pag. 264. & Ivo. ubi supra cap. 146. & Anf. lib. 11. c. 55.

d Vide cap. 23. d. tit. 1. & tit. 4. cap. 19. & 20. & tit. 7. cap. 28. & 29. & Burch. pag. 266. d. lib. 19. & lib. epist. cap. 101. & 102. ex Poenit. Rom. & Bedæ.

e Hoc est, jubeat ex plebejo sermone Itolorum, qui commendare pro jubere dicunt, ut alii mandare. Vide Exodi 21. & Bern. Papiens. cap. 1. de injuriis in 1. collect. & Greg. 9. cap. 1. ejusdem tit. & Capitular. lib. 6. cap. 10. & Ivo. part. 16. cap. 348. decr.

f Scandalizetur, malo. g Vide d. tit. 1. cap. 26. 27. & 28. & Burch. lib. 17. cap. 51. 52. 53. & 54. & lib. 19. pag. 277. h Burch. d. p. 277. & vide d. cap. 26. d. tit. 1.

i Pro difficultate, Burch. k Poenit. Rom. tit. 2. cap. 1. ex poenit. Theodori, Anselm. lib. 1. cap. 58.

l Ex Poenit. Theodori Burch. lib. 12. cap. 5. Ivo part. 12. cap. 62. decr. Anselm. lib. 11. cap. 59. Pius Papa, Grat. 22. q. 5. cap. 2. Vide infra cap. 9.

m Idem repetit cap. 9. sed neque Burch. neque alii hoc scribunt & falsum est Græcos contemnere perjuriam. Vide Phot. tit. 3. cap. 18. & postea & ejus interpr. Theod. Balsam. Græcos fortasse appellat paganos, ut apostolus Paulus.

n Qui autem seductus ignorans, infra cap. 9. Qui autem seductus fuerit, & ignorans se pejeraverit, Burch. se perjuraverit, Ivo se perjuravit, Anselm. qui coactus pro seductus scribit, & Grat. qui se pejeraverit, habet. Ex his arbitror scribendum: Qui seductus nescius perjurare pejerat.

o Deleo vocem qui.

p Vidend. Burch. lib. 19. p. 275. & epist. lib. cap. 84. 85. 86. 87. & 88. & postea, & Ivo part. 15. cap. 96. 97. 98. 99. & 100. & postea decr. ex Poenit. Bedæ & Theodori. Vide infra cap. 14. Vidend. etiam Humbertus Silvæ candidæ Episcopus Cardin. Leonis IX. Legatus contra Græcos.

q Vide infra cap. 14.

r De sanguine, & suffocato præter illud Act. 15. extat Apost. cap. 3. & Trullanum cap. 67. Leo Nov. 58. item de occiso a feris, vel morticino idem cap. 63. vide etiam Humb. ubi supra, Burch. d. lib. 19. q. 275. & 278. & d. cap. 85. & aliis, & cap. 90. & 91. Certius est, quod ex August. refert Nicolaus ad consulta Bulgar. cap. 90.

s Vide Poenit. Rom. tit. 9. cap. 16. Burch. lib. 19. cap. 6. ex Poenit. Theodori, & fragment. Caroli, sive Amilar.

t Alio ordine Burch. & Amil. & Poenit. Rom. superbiam, vanam gloriam, invidiam &c. & apud Cassian. lib. 5. cap. 1. γαστριμαργία, fornicatio, φιλαργυρία, &c. κενοδοξία, superbia, Theodulph. cap. 31. ad presb. Aurelian. γαστριμαργία, hoc est, ventris ingluvies. II. fornicatio. III. accidia, sive tristitia. IV. avaritia. V. vana gloria. VI. invidia. VII. ira. VIII. superbia. Nostri septem litteris septem peccata comprehendunt, S. A. L. I. G. I. A. vanam, sive inanem gloriam cum superbia conjungunt.

pore (a), tristitia sæculi, avaritia, ventris ingluvies (b). Augustinus adjecit sacrilegium (c), id est, sacrarum rerum furtum, & hoc est maximum furtum, vel idololatriis fervientem (d), id est, auspiciis, & reliqua (e). Deinde adulterium, falsum testimonium, furtum, rapinam, ebrietas assidua, idololatria, molles, sodomita (f), maledici, perjuri. Ita sunt ergo capitalia crimina. Sanctus Paulus, & Augustinus, & alii Sancti computaverunt, pro istis fieri oportere eleemosynas largas, & longum tempus jejunium teneatur, id est, ut alii judicant, pro capitalibus, id est, adulteris, homicidis, perjuriis, fornicariis, & similibus, laicus quatuor annos pœniteat, clericus quinque, subdiaconus sex, diaconus septem, presbyter decem, Episcopus duodecim, si consuetudo erat.

CAPUT VI. De minoribus peccatis.

DE furto, falso testimonio, & similibus, laici annum unum, clerici duos, subdiaconus tres, diaconus quatuor, presbyter quinque, Episcopus septem annos pœniteant. Item de Sodomitis, si consuetudo erat. Episcopus quatuordecim annos pœniteat, presbyter duodecim, diaconus decem, subdiaconi octo, clerici septem, laici quinque. Monachus (g), si fornicationem facit cum ancilla Dei, quatuor annos pœniteat, si cum puella, sex annos pœniteat. De parricidis (h) vel fratricidis, quidam septem, quidam quatuordecim, * & septem.

CAPUT VII. De cupiditate cæterisque flagitiis.

Item cupidus, vel avarus, vel ebriofus, vel superbus, vel invidus, vel rapax, vel iracun-

dia longa [i], vel maledicus, vel his similia, quæ (k) enumerare longum est, tres annos pœniteat. Item si clericus (l) cum quadrupede fornicaverit (m), duos annos pœniteat, subdiaconus tres, diaconus quinque, presbyter septem, Episcopus decem annos pœniteat. Qui cum matre (n) fornicaverit, quindecim annos pœniteat, si cum filia, vel sorore, duodecim annos pœniteat. Qui cum fratre naturali fornicaverit per commixtionem carnis ab omni carne se abstineat, quindecim annos pœniteat. Si clericus venationes (o) exercuit, annum unum pœniteat, diaconus duos, presbyter tres. Si mater [p] cum filio suo parvulo fornicaverit, tres annos abstineat se a carne, & diem unum in hebdomade ad vesperam jejunet. Si presbyter (q), vel diaconus, vel monachus uxorem duxerit in conscientia populi, deponatur, si adulterium perpetraverit cum ea, & in conscientia populi devenit, proiciatur extra ecclesiam, & inter laicos pœniteat, quamdiu vixerit. Qui dimiserit [r] uxorem suam alteri conjugii, septem annos pœniteat. Si clericus homicidium (s) fecerit, & proximum suum occiderit, decem annos pœniteat: exul septem pœniteat, si odii meditatio fuit. Si laicus homicidium fecerit per furorem, & meditationem, quatuor annos pœniteat, vel quinque, vel septem annos pœniteat, si per rixam, quatuor annos pœniteat. Item, qui immolant (t) dæmonibus, in magnis; si consuetudo est, decem annos pœniteat, in minimis annum unum, auguriis, & divinationibus, quinque annos pœniteat. Emissores tempestatum [u] septem annos pœniteant, ut pœnitentia semper isto ordine servata fit

a Illi post invidiam ponunt iram, & octavam luxuriam, de ira longo tempore, Amil.

b Tristitiam, avaritiam, ventris ingluviem, Burchard. & Poenit. Nostri tristitiam vocant accidiam, sive ἀκνηδία de qua Suid. ἀκνηδία ἢ ἀσθυμία ἀχθηδών. λύπη Δάβιδ. ἢ κνηδίασιν ἐπ' ἐμέ τὸ πνεῦμα μου. Locus Psalm. 142. Et anxius est super me spiritus meus. De tristitia sæculi, quæ mortem operatur, Paulus II. Timoth. VII. sed Græce κῆπη dicitur. Apud Amilar. post alia invenio: Acediosus ab acedia dicitur, qui anxietatem, sive tedium cordis patitur, qui & inconstans, & vagus dicitur, ab aliquibus inter octo vitia reputatur. Apud Cassian. post φιλαργυρία est ira, tristitia, acedia, quod est anxietas, sive tedium cordis. Vide Psalm. 118. ἐνὶ στήθεϊ ἡ ψυχή μου ἀπ' ἀκνηδίας: Dormitavit anima mea pro tædio. De gula vero pro ventris ingluvie credimus nostros fuisse plebejam vocem Italorum secutos. Illi enim gulam vocant id genus vitii.

c Hæc neque Burch. habet, neque Poen. item quæ sequuntur ab eisdem omiſsa sunt. Amilar. ait: Sacriligium Augustinus inter septem vitia refert; sed octo pro septem scribe, ex veteri libro.

d Esse pro vel, scribo, quæ postea in idolorum cultum cedunt, Amil. non sine mendo.

e Vel auspiciis, vel reliquis, muto. f Molles, Sodomitæ.

g Vidend. Burch. lib. 8. cap. 29. & 68. & lib. 17. cap. 39. vide infra cap. 8.

h Vidend. Burch. lib. 6. cap. 34. & 35. & lib. 19. pag. 265. & Poenit. Rom. tit. 1. cap. 22.

i Vel in iracundia longa positus, scribi debuit. k Vel his similes, quos scribo: aut addo faciens.

l Hæc scribi debuerunt cap. 2. de eisd. agitur cap. 8. Perturbatur ordo, quia ex diversis scriptoribus variis temporibus hæc, ut existimo, sumpta sunt.

m Sic sæpe pro fornicatus fuerit: sic B. August. fornicaverit pro fornicatus fuerit: ut populus intelligat.

n Vide Poenit. Roman. tit. 3. cap. 20. Burch. d. libro 19. pag. 273.

o Vidend. Burch. lib. 2. cap. 2. 13. & Ivo lib. 3. tit. 15. cap. 1. Panorm. & part. 13. cap. 30. decr. & Grat. sive Palea dist. 34. cap. 2. & Bern. Papiens. cap. 1. de clerico venat. & Greg. IX. cap. 1. eod. tit. ex concil. Agathens. cap. 55. & Epaun. cap. 3. p Vide supra cap. 2.

q Vidend. Apost. cap. 26. Neocæs. cap. 1. Mart. Brac. cap. 27. Paris. sub Lud. & Lothar. cap. 35. Burch. lib. 2. cap. 108. Ivo lib. 3. tit. 8. cap. 8. & part. 6. cap. 185. decr. & infra cap. 8. & Poenit. Rom. tit. 3. cap. 23. & Burch. lib. 17. cap. 56. r Vidend. Poenit. Rom. d. tit. 3. cap. 20. & Burch. lib. 19. pag. 268.

s Hæc scribi debuerunt cap. 3. Vidend. Burchard. lib. 6. cap. 47. Ivo part. 10. cap. 174. decr. ex concil. Triburiens. cap. 11. quod extat.

t Vide infra cap. 11. Hæc sunt ex Poenit. Theodori, ut refert Burch. lib. 10. cap. 12. & Ivo part. 11. cap. 30. decr. u Vide Poenit. Rom. tit. 6. cap. 3.

fit [a], ab uno anno, & deinceps de qualicumque peccato; id est, in unaquaque hebdomade tres dies sine vino, & medone (b), & carne, & jejunet usque ad vesperam, & manducet de sicco cibo, & tres quadragesimas semper de sicco cibo, & jejunet tres dies ad nonam, & tres ad vesperam, & in diebus Dominicis, & in Natale Domini quatuor dies, & in Epiphania, & in Pascha usque in albas, & Ascensione Domini, & Pentecoste, & sancti Michaelis, & S. Mariæ, & S. Joannis Baptistæ, & duodecim Apostolorum, & S. Martini, & illius Sancti festivitate, qui in illa provincia est: in his prædictis diebus faciat caritatem [c], sicut sui compares, clerici, sive laici. Ebrietatem & ventris distensionem in omnibus caveant. Faciant quod Apostolus dicit (d): *Sive manducatis, sive bibitis, vel quidquid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Tunc ergo digna pœnitentia est, si hoc impleatur.

C A P U T VIII.

De clericorum pœnitentia.

Item in canone [e] Apostolorum (f) indicatur (g), ut Episcopus, presbyter [h], diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur: non tamen communione privetur, quia non judicat Deus (i) bis in idi-

psum. Si quis Pontifex fornicationem faciens naturalem, judicavit [k] ut duodecim annos [l] pœniteat, per multas lacrymas, & elemosinas veniam a Domino petat: post annos tres (m), vel quatuor levius. Presbyter cum puella [n], non prælato monachi voto, annos tres, vel quatuor (o) pœniteat, tres quadragesimas [p], & quartas, & sextas ferias semper de sicco cibo (q). Si cum ancilla Dei, aut cum mafculo, plus addetur (r): id est, septem annos [s] pœniteat, si consuetudo est. Similiter diaconi, si monachi non sunt, duos, vel tres (t) annos pœniteant. Sic & monachus sine gradu, si cum puella, annos tres (u), si diaconus, vel monachi sunt (x), quinque, vel septem (y) annos pœniteant. Monachi cum gradu septem annos pœniteant, si sine voto (z) monachi cum puella, novem annos, vel decem pœniteant. Clericus sine voto (aa) monachi fornicatus, unum annum (bb) pœniteat, si frequenter duos annos pœniteat [cc]. Si cum canonica duos annos: frequenter, tres (dd). Si genuerit filium, plus pœniteat (ee): id est, quatuor, vel quinque annos, alii dicunt septem, exul fiat. Sic & [ff] virgo sanctimonialis cum laicis sine gradu. Si clerici qui canonici sunt, unum annum, frequenter, duos in gradu autem, sicut monachus, id est, tres annos Theodorus dixit: Monachus faciens (gg) fornicationem, & non invenit, unum annum pœniteat, & di-

a Hæc ad modum pœnitentiæ pertinent, qua de re agitur in Pœnit. Roman. cap. 23. tit. 9. & apud Burch. lib. 19. cap. 9. & Ivon. part. 15. cap. 189. decret. Scribo igitur hæc alio in capite: *Ut pœnitentia semper isto ordine servanda sit &c.*

b Qui sint hi tres dies, dicitur d. cap. 23. feriam secundam, quartam, & sextam; sed illie dicitur, ut his tribus diebus in pane, & aqua jejunet & aliis tribus a vino, & medone abstineat, sed cap. 24. *sexitis tantum feriis in secundo anno ita jejunat, secundis, & quartis ad vesperam reficitur sicco cibo*, ut hoc capite. Quem siccum cibum appellet, illic explanatur: panem, legumina, poma, & olera. Hoc est, quod dicitur in concil. Laodic. cap. 50. *νῆστερον ἕρποφρογώτως*: aridioribus uti est apud Grat. de consecr. dist. 3. cap. 8. NON OPORTET Mart. Brac. cap. 50. *sincere abstinentes, scripsit, Dionysius districto venerari jejunio.* Martini verba refert Grat. d. distinct. 3. cap. 7. NON LICEAT.

c Id est, utatur eodem cibo, & potu, quod illi, Burch. & Ivo & Poenit. Rom. d. 1. Corinth. 10. g.

e Ex pœnit. Theodori, Burch. lib. 17. cap. 39. Vide Poenit. Rom. tit. 8. cap. 6. Anselm. lib. 8. cap. ult.

f Cap. 25. g Judicatur, Burch.

h Dionysii Exigui verba interpretis d. cap. 25. in Corp. canon. Refert Burch. lib. 2. cap. 189. Ivo part. 6. cap. 234. decreti, Anselm. cap. 30. & Gratian. distinct. 81. cap. 12. Vidend. Triburienf. cap. 11. & Raban. cap. 1. Pœnitentiale.

i Sic Burch. d. cap. 39. *Dicit enim Scriptura: Non judicabit Dominus &c.* idem d. cap. 186. & Ivo, & Anselm. *si paruerit sententiæ; dicit enim Scriptura: Non judicat Deus &c.* Gratian. Vide Naum cap. 1. *Dicit enim Scriptura, non vindicabit Dominus &c.* Dionysius. *ὅτι ἐκδικήσῃ τις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐνδίασε.* LXX. *Non consurget duplex tribulatio*, Vulgaris editio.

k Fecerit naturalem, synodus judicavit, vetus Burch. liber. indicavit, editus. Synodus Hiberniens. fortasse, de qua dictum est d. tit. 8. cap. 6. l Decem annos, Burch. m Hæc omisit Burch.

n Presbyter non prælato monachi voto, cum puella, vel meretrice peccans, Burch.

o Annos duos, vetus Burch. liber. tres, editus.

p Et in tribus quadragesimis secundam, & quartam, & sextam feriam, & in sabbato, Burch.

q Pœniteat, addit Burch. r Jejunium, addit Burchard.

s Sic etiam Burchard. editus. quinque annos, vetus liber. t Omittit Burch. u Hæc omisit Burch.

x Scribe, si diaconi monachi sunt, ut Burch. y Septem, Burch. aliis omittis.

z Apud Burch. hoc loco de Episcopo iterum dicitur: *Item Episcopus, si sine voto monachi cum puella, vel meretrice peccaverit, decem annos pœniteat Clericus &c.* aa Clericus cum tali puella sine, Burch.

bb Sic Burch. editus, dimidium annum, vetus liber. cc Sic etiam Burch. editus, unum annum, vetus liber.

dd Duos annos: si frequenter, tres annos, Burch. editus, similiter, si frequenter, duas annos, vetus.

ee Tres annos, alii dicunt sex, vetus Burch. lib. quatuor annos, alii dicunt septem, editus.

ff Hæc omittit Burch. usque ad illa, Theodorus dixit.

gg Monachus fornicationem faciens, septem annos pœniteat. Item fornicationem querens, & non inveniens, vetus Burch. liber. In edito pro illis: *Item fornicata est. Item Beda dixit: Monachus fornicationem querens &c.* Operæ pretium est addere verba cap. 4. Neocæs. conc. *Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non perveniat ad effectum, apparet, quod gratia Dei liberatus sit.* Vide Pœnit. Romano tit. 3. cap. 25.

& dimidium (a). Item monachus (b) faciens cum puella, sex annos pœniteat: si cum sanctimoniali, septem annos pœniteat. Laicus maculans se (c) cum Ancilla Dei annos duos (d) pœniteat. Si genuerit ex ea, tres annos (e) pœniteat. Si sine conjugio sunt [f], tres quadragesimas, quidam quadraginta dies judicant, id est, consuetum. Item Sodomitæ quidam decem, id est, qui sæpe (g) fecerit, vel in gradu: quidam septem annos: quidam annum, ut mollis, quidam centum dies, ut pueri. Viri inter (h) annos, * si pueri, duos annos. Qui cum pecude peccaverit, vel jumento, decem annos pœniteat, quidam septem (i), quidam tres, quidam unum, quidam centum dies, ut pueri. Oportebat (k) discretionem esse inter qualitatem pecudum, vel hominum, sicut supra diximus (l). Item Episcopus si cum quadrupede fornicaverit, octo annos (m) pœniteat: pœniteat si consuetudo, decem (n), presbyter quinque, diaconus tres, clericus duos.

CAPUT IX.

De juramento (o).

QUI juramentum fecerit (p) in ecclesia, aut in Evangelio, sive in reliquiis Sanctorum septem annos pœniteat, alii duodecim annos judicant. Sive in manu Episcopi, aut presbyteri, vel diaconi, sive in cruce consecrata, unum annum pœniteat, alii tres, vel quatuor judicant. Et in cruce non consecrata, unum annum: vel septem menses, ut alii. Qui autem seductus ignorans, & postea cognoscit, unum annum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies pœniteat. Si quis coactus (q) pro qualibet causa necessitatis, tres quadragesimas: alii annum unum, & ex eis (r) in pa-

ne, & aqua, ut alii judicant. Item perjuri, tres annos. Qui suspicatur prius, quam ad juramentum ducatur, & tamen jurat per consensum, duos annos pœniteat. Si quis in manu laici juraverit, apud Græcos nihil est (s).

CAPUT X.

De abstinentia mulierum (t).

Mulier abstineat se a viro suo, quando conceperit, ante quam pepererit: & post partum quadraginta dies. Qui autem nupserit [u] his diebus, decem dies pœniteat, vel triginta, vel viginti. Qui in matrimonio sunt, abstineant se tres quadragesimas, & in Dominica nocte, & in sabbato, & feria quarta, & tertia, quæ legitimæ sunt, & tres noctes abstineant se antequam communicent. Qui in quadragesima ante Pascha cognoscit uxorem suam, & noluit abstinere, unum annum pœniteat, vel suum pretium reddat (x) ad ecclesiam, vel pauperibus dividat, vel viginti sex solidos (y) reddat. Si per ebrietatem, vel aliqua causa accesserit sine consuetudine, quadraginta dies pœniteat. Mulier, si divinationes (z) fecerit, vel incantationes diabolicas, unum annum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies, juxta qualitatem culpæ. Mulier, si aliquem interfecerit imitantem maleficia sua (aa), id est, per poculum, aut per artem aliquam, quatuor annos pœniteat. Si paupercula, quatuor annos. Mulier, si occiderit [bb] filium suum, per homicidium, undecim annos pœniteat. Si vir [cc] cum muliere sua retro nupserit, pœniteat quomodo cum animalibus: id est, si consuetudo erit, tres annos pœniteat. Si vero interea (dd) nupserit, & consuetudo erit, septem annos pœniteat.

Tom. III.

Q 9

CA-

a Annum, & dimidium pœniteat, vetus Burch. liber annum dimidium pœniteat, editus non recte.
 b Item Romanus Pœnitentialis dicit: Monachus fornicationem faciens cum meretrice, vel puella, tres, si cum moniali &c. Burch. vetus. sanctimoniali, editus.
 c Addit plura Burchard. Item laicus maculans uxorem proximi sui, ut adulterium pœniteat. Si cum virgine peccaverit, uterque pœniteat annum unum. Si cum ancilla Dei &c. Burch. vetus: Laicus privatus, est in edito.
 d Sic etiam vetus Burch. liber quatuor annos, editus.
 e Quinque annos, Burch. vetus. septem annos, editus. f Hæc omittit Burch.
 g Qui in consuetudine habet, amplius pelli debet. Si autem in gradu sunt, degradentur, & sicut laici pœniteant, Burchardus.
 h Vir, qui inter femora fornicatus fuerit, unum, si iteraverit, duos annos pœniteat. Si autem in terga fornicatus fuerit, tres annos, si tueri, duos annos, Burch.
 i Hæc omittit Burch. k Oportet enim, Burch. l Cap. 1. m Decem annos, Burch.
 n Et gradum amittat, Burch. o Vide supra cap. 3. in fine, & in Pœnit. Romano tit. 1.
 p Vide d. cap. 3.
 q Vidend. Burch. lib. 12. cap. 6. ex Pœnit. Romano, & d. tit. 2. cap. 2.
 r Mendosa sunt hæc, alii judicant tres annos, unum ex his in pane, & aqua pœniteat. d. tit. 2. cap. 2. & Burch. & alii illic relati. s De his verbis diximus d. cap. 3.
 t Vide Pœnit. Roman. tit. 3. cap. 20. & tit. 7. cap. 9. & supra cap. 2.
 u Coierit significat, ut alibi. x Hoc est, anni-presium, de quo dictum est in Pœnit. Rom. tit. 9. cap. 27.
 y D. cap. 28. sunt viginti duo.
 z Burch. lib. 10. cap. 8. ex Pœnit. Romano, & Ivo part. 11. cap. 36. decr. Pœnit. Rom. tit. 6. cap. 2.
 aa Vocem imitantem, mendosam esse arbitramur: iridentem scriberem, si cetera cohærerent.
 bb Vidend. Burch. lib. 19. cap. 156. & Ivo part. 15. cap. 164. decr. Vide Pœn. Rom. tit. 1. cap. 26.
 cc Vide Pœnit. Rom. tit. 3. cap. 20. & supra cap. 2. & Anf. lib. 11. cap. 119. ejus inscriptio est: Statuta Patrum.
 dd In terga nupserit, ex Anselm. cujus verba sunt. Statuta Patrum: Si quis cum muliere sua retro nupserit, quadraginta dies pœniteat. Si autem in terga, pœniteat sicut de animalibus.

CAPUT XI.

De auguriis, & divinationibus.

Auguria, vel sortes [a], quæ dicuntur falso sanctorum, vel (b) divinationibus observare * vel quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt (c), vel votum voverint in arborem [d], vel in quamlibet rem, excepta ecclesia, si clericus * laici (e) excommunicentur ab ecclesia, vel tres annos clericus pœniteat, laici duos vel unum (f), & dimidium. Mulier, si filium [g] suum supra tectum ponit, vel in fornacem, pro sanitate febrium; quinque annos [h] pœniteat. Nolite exercere (i), quando luna obicuratur, ut clamoribus, ac maleficiis sacrilego usu se defendere posse confidunt (k). Cariagios, & divinos præcantatores (l) laici tres dies (m) sine cœvisia, vel vino, & carne, alii duodecim dies. Si fidelis (n) laicus sit, qui pro nequitia inebriat alterum, quadraginta dies pœniteat. Si vomitum facit infirmitatis causa, sine culpa est.

CAPUT XII.

De ebrietate (o).

[p] **S**I per ebrietatem, vel voracitatem evo-merit Eucharistiam, quadraginta dies pœniteat, clericus, monachus, diaconus, sexaginta, presbyter septuaginta, Episcopus centum decem (q). Si infirmitatis causa, septem dies unusquisque, sine infirmitatis causa sacrificii die quatuor dies, quidam psalterium *, quidam bis psalterium (r) suum sacrificii die in ignem projecit, vel in flumine, centum psal-

mos cantet. Si canes comedunt talem vomitum, centum diebus, si scit: si non scit, quadraginta. Qui vero inebriantur contra præceptum Domini, si votum sanctitatis habent: hoc est ebrietas, quando statum mentis mutat, & linguæ balbutiunt, & oculi turbantur, & vertigo erit, & ventris distensio, ac dolor sequitur: si clericus sit (s), quatuor dies pœniteat, monachus quatuordecim, diaconus quatuor hebdomades, presbyter quatuor, Episcopus quinque, Prælati tres, sine vino, & carne.

CAPUT XIII.

De Eucharistia.

(t) **S**I quis Eucharistiam negligentia causa perdidit, unum annum pœniteat, tres quadragesimas, seu quadraginta dies pœniteat. Si sacrificium in terram ceciderit causa negligentia, quinquaginta psalmos cantet. Qui neglexerit sacrificium, ut vermes in eo sint, ut colorem non habeat, saporemque viginti dies pœniteat, vel triginta, vel quadraginta, & in igne accendatur (u), cinis ejus sub altare abscondatur, si usque ad terram ceciderit, unum diem pœniteat, * si stella arserit (x); altare ceciderit, quatuor dies pœniteat. Qui in ecclesia modicam partem perdidit, & non inveniit, viginti dies pœniteat, unoquoque die psalmos quadraginta cantet. Qui autem in plebem [y] suum chrismalem perdidit, & non inveniit, quadraginta dies pœniteat, vel tres quadragesimas. Qui perfuderit calicem [z] in fine solemnitatis, triginta dies pœniteat.

CA-

a Ex Pœnitentiale Romano, Burchard. lib. 10. cap. 9. & Ivo part. 11. cap. 37. decret. & Anselm. lib. 11. cap. 121. b Vel divinationes, qui eas observaverint, Burchard. aptius Ivo vocem eas omittit.

c Omisit hæc Burch. & Ivo.

d Votum voverint, vel persolverint ad arborem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet. Burch. plenius, & Ivo.

e Omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam venerint, clerici annos tres, Burch. aptius, & Ivo.

f Laici annum unum, Burch. & Ivo.

g Ex Pœnit. Bedæ presbyteri, Burch. cap. 14. Ivo cap. 41. ubi supra. Vidend. Burch. d. lib. 19. pag. 272.

h Unum annum, Burch. & Ivo.

i Quicumque exercuerint hoc, Burch. d. lib. 10. cap. 33. & Ivo d. part. 11. cap. 58. ex concil. Arelatenf. cap. 5. hæc pro hoc, Ivo. k Se posse defendere credant, Burch. credunt, Ivo.

l Et quicumque divinos præcantatores phylacteria etiam diabolica, vel characteres diabolicos, vel herbas, vel saccos suis, vel sibi impendere tentaverint, Burch. & Ivo. In veteri libro inveni hæc verba: Admoneo vos pariter, ut nullus ex vobis cariagios, & divinos, & sortilegos requirat. Et in concil. Narbonenf. non edito cap. 14. Si qui viri, ac mulieres divinatores, quos dicunt esse cariagios, atque sorticularios in cujuscumque domo fuerint inventi &c. Cara autem, non caria scriptum est in his tribus libris, quod Hispani sine præfatione honoris dicere non possumus. Eadem vox inveniebatur apud Augustinum in ferm. de tempore 163. & 215. & 241. ut apparet ex Ivone parte 1. cap. 134. & part. 11. cap. 17. decr. & libro Cæs. lib. 12. cap. 44.

m Monachus quinqu, clericus quatuor, laicus duos annos pœniteat, Burch. & Ivo.

n Ex Pœnit. Bedæ presbyteri. Burch. lib. 14. cap. 15. & Ivo part. 13. cap. 83. decr.

o Vide Pœnit. Roman. tit. 5.

p Ex Pœnit. Bedæ, Burch. lib. 5. cap. 46. & 49. Ivo lib. 1. tit. 4. cap. 32. Panorm. & part. 2. cap. 55. decr. Cæsaraug. lib. 11. cap. 13. & Gratian. de consecr. dist. 2. cap. 28. si quis.

q Episcopi XC. Burchard. & alii, quod malo: est enim errati facilis occasio in his litteris CX. & XC. ut in XL. pro LX. in hoc ipso capite, apud Burch. & Ivon. in Panorm. & Cæsar. Utrumque omissum est in decr. Ivonis, & apud Grat.

r Hæc mendosa sunt. Apud Burch. d. lib. 5. cap. 49. Si sacrificium in ignem proicit, & Ivon. part. 2. c. 58. decr. ex Pœnit. Rom. Theodoro adscribit noster liber Pœnit. Rom. d. tit. 5. cap. 8. scribo: quidam bis psalterium. Si suum sacrificium &c.

s Vidend. Burch. lib. 14. cap. 13. & Ivo part. 13. cap. 81. decr. ex Pœnit. Rom. & vide cap. 5. d. tit. 5.

t Vide Pœnitent. Rom. tit. 5. cap. 10. & 11. & 12.

u In eo vermis comburatur, d. cap. 11. & Burch. lib. 5. cap. 51.

* Verba mendosa fortasse, si stillaverit, & in altare ceciderit. Vide d. tit. 5. cap. 10.

y Malo, in plebe: sic autem appellant Itali ecclesiam cum cura, sive parochiam.

z Sic etiam d. cap. 11. Perfundens aliquid super altare de calice, & postea, perfundens calicem, dum solemnitas Missæ celebratur. Vide d. cap. 10.

CAPUT XIV.

De diversis causis.

QUI creaturam (a) perdidit, thus, tabulas, aut schedulam suam, sal benedictum, panem novum consecratum, vel aliquid huic simile, quatuor dies pœniteat. Qui morticinum (b) inscius comederit, quadraginta dies pœniteat, si autem sciens, centum dies pœniteat. Qui fraudatum (c) comedit, & est inops, vel hebes, quatuor dies pœniteat: sani autem, & infirmi, si sciunt, quadraginta dies pœniteant: qui sape faciunt, tres quadragesimas, vel annum. Qui comedit (d), vel bibit intinctum a familiari bestia, id est cane, vel cattò (e), & scit, centum psalmos cantet, vel unum diem jejundet (f). Si quis dederit alicui liquorem, in quo mus, vel mustela mortua inveniuntur, si sæcularis, quatuor dies [g] pœniteat, in cœnobiis tercentos psalmos cantet, qui postea noverit, quod talem potum biberit, psalterium cantet (h). Si quis semicoctum comederit inscius, tres dies pœniteat, vel psalterium cantet: sciens autem, quatuor dies (i) pœniteat, pro modico furto triginta (k) dies pœniteat in viginti annis (l). Pueri decem annorum aliquid furtum facientes, quatuor dies [m] pœniteant. Si quis intinxerit manum in aliquo cibo [n], & non idonea manu, centum palmaris emendetur. Si in farina, aut in aliquo cibo sicco, aut in pulve, aut lacte coagulato mus, vel mustela mortua inveniuntur, quod in circuitu ejus remanserit, proicietur foras, & quod reliquum est, manducetur. Item (o), qui autem

quod in Pœnitentiale scriptum est, implere poterit, bonum est, quia autem non potest, consilium damus per misericordiam Dei: in primis, pro uno die (p) in pane, & aqua quinquaginta psalmos, genu flectendo (q) aut sine flexu sexaginta psalmos [r], infra ecclesiam, vel in uno loco per ordinem psallat (s): & pro uno die valent ducentæ genuflexiones (t), vel unus denarius (u) pro die valet, & tres eleemosynæ tribus pauperibus (x) valent: quidam dicunt quadraginta percussiones (y), vel psalmos idest in hieme [z], & in æstate centum quadraginta psalmos, vel percussiones. Item pro uno mense (aa), quem in pane, & aqua pœnitere debet, psalmos in genuflexu (bb), vel sine flexu: id est, sexcentos octoginta, & postea omnes dies reficiant ad sextam, nisi quarta, & sexta feria jejundet ad nonam. A carne & vino [cc] abstineat se, alium cibum postquam psallat,umat. In secundo anno (dd) remissior pœnitentia erit, de Natale Domini usque in Epiphaniam, & illos prædictos dies, qui supra scribunt, qui in pœnitentia non computantur. Item qui non potest [ee] sic agere pœnitentiam, sicut superius diximus, in primo anno eroget in eleemosynam solidos viginti tres, pro uno anno in pane, & aqua, donet in eleemosynam solidos viginti duos (ff), & in unaquaque [gg] hebdomada unum diem jejundet ad nonam alium ad vesperum, & tres quadragesimas, in secundo [hh] anno viginti solidos, pro tertio anno decem, & octo solidos: qui sunt sexaginta quatuor solidi. Potentes homines pro culpis [ii] criminalibus faciant, ut Zachæ-

Q q 2

us

a Craterem forte pro creaturam scribendum. b Vide supra cap. 4.

c Fraudatum interpretor furto, aut fraude quæsitum. Vide Tobie cap. 2. b.

d Ex Pœnit. Romano, Burch. lib. 19. cap. 106. & Ivo part. 15. cap. 118. decr. Vide supra cap. 4.

e Sic vulgus vocat felem, αἴλαρον Græci, & Ægyptii.

f Aliquid ante hæc verba desidero, nam Burch. ita scribit: Si nescit, duos dies jejundet, vel si redimere voluerit, L. psalmos cantet. Item Ivo. g Si laicus est, septem dies, Burch. & Ivo.

b CL. psalmos cantet, Burchard. & Ivo. i Septem dies, Burchard. & Ivo.

k Viginti, Burch. & Ivo. l Qui est XX. annorum, Burch. & Ivo. m Septem dies, Burch. & Ivo.

n Liquido, addunt Burch. & Ivo.

o Ex eod. Pœnit. Rom. Burch. cap. d. lib. 19. cap. 11. & Ivo d. part. 15. cap. 191.

p Ex eod. Burch. cap. 12. & Ivo cap. 192. ubi supra, & Pœnit. Rom. tit. 9. cap. 25.

q Genibus flexis in ecclesia, Burch. & Ivo, & Pœnit. r Hæc Burch. omittit, & Ivo, & Pœn.

s Eadem faciat, & unum pauperem pascat, & eo die, excepto vino, carne, & sagimine,umat quiddam velit, Burchard. & Ivo, & Pœnit.

t Qui in ecclesia genua centies flexerit, Burch. cap. 14. ex eod. Pœnit. & Ivo cap. 194. ubi supra, & Pœn. Rom. d. tit. 9. cap. 26.

u Si pauper est, si dives, tres denarii, Burchard. cap. 15. ex eod. Pœnitent. & Ivo cap. 195. ubi supra, & Pœnit. Rom. d. cap. 26.

x Et tres eleemosynas tres pauperes valent, editus Bedæ liber mendose, sed fortasse sic tunc loquebantur. Apud Burch. scriptum est cap. 16. & Ivo cap. 196. ubi supra ex eod. Pœnit. Rom. Pro uno die, quem in pane & aqua pœnitere debet, tres pauperes pascat, & eo die, excepto vino, carne, & sagimine,umat, quod placeat, Vide infra cap. 15.

y Apud Burch. cap. 17. ex eod. Pœnit. & Ivo. cap. 197. ubi supra: Quidam dicunt XX. palmaras valere pro uno die. z Vide infra cap. 15. aa Ex eod. Pœnit. Rom. Burch. cap. 19. & Ivo cap. 199. ubi supra.

bb Psalmos mille ducentos genibus flexis decantet. Si autem hoc facere non potest: sine genuflexione sedendo, aut stando in ecclesia, si fieri potest, sin autem, in uno loco MDCLXXX. psalmos decantet, Burch. & Ivo.

cc Et a carne, & a sagimine, & a vino totum mensem, Burch. & Ivo. dd Hæc non habent Burch. & Ivo.

ee Burch. d. lib. 19. cap. 23. ex Pœnit. Theodori, & Ivo d. part. 15. c. 203. & Pœnit. Rom. tit. 9. c. 30.

ff Hæc supervacanea videntur, & ea omittunt Burch. & alii. Sed ex alio loco sumpta sunt, ut apparet ex Burch. cap. 20. & Ivone cap. 200. & Pœnit. cap. 27. ubi supra.

gg Hæc non invenio apud Burch. ubi supra sed d. cap. 20. dicitur: Et omnes sextas ferias jejundet in pane, & aqua. Idem Ivo d. cap. 200.

hh Hæc habet Burchard. d. cap. 23. & ceteri.

ii Potentes autem homines plus dare debent: quia cui plus committitur, plus ab eo exigetur, Burch. & Ivo.

us ait (a): *Domine omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, & si aliquid injusti abstuli, in quadruplum reddam* [b], & de mancipiis dimittam liberos, & captivos redimam, & a quo die desinam peccare, non desinam communicare, sicut Apostolus ait (c): *Qui per corpus peccat, per corpus emendat*, hoc est, jejniis & vigiliis, & orationibus ad Dominum. Qui conversus fuerit, & omne malum fecerit, in effundendo sanguinem, in furto, in fornicatione, in mendacio, & juramento, & omnibus malis, & postea Deo servire vult usque in finem, tres, & duos [d] annos pœniteat, vel quomodo sacerdos judicet. Ipse tamen cogitet de medicamento animarum, quomodo suam, vel eorum animas salvare valeat in erudiendo, in docendo sanum sermonem; quod qui bene ministrat, bonum gradum sibi acquirit apud eum, qui est super omnia, Deus benedictus in sæcula sæculorum Amen.

Item de pretio anni, vel diei (e).

PRimo anno quidam (f) promiserunt quatuor triduanas, interveniente una nocte [g]. Alii ajunt duodecim triduanas: hoc est, semel in uno mense triduanas (h), quidam dixerunt, quidam verberibus, aut in vigiliis insistendo quatrimum (i), alii sic, alii vero sic. Pretium autem diei, hoc est ἀγάπην, duobus, vel tribus pauperibus (k). Alii totum psalterium: id est, in æstate: in hieme vero, & in verno, vel autumno quinquaginta psalmos (l), quidam duodecim plagas, vel percussiones, vel plus minus: vel discernat tempora. Quidam in labore alieno, vel in flectendo quadraginta bis desinat, quadraginta ter desinat, centum viginti sexies desinat, & addentur decem, secundo viginti, superiori triginta, si labor non sit.

a Luc. 19. b Reddo, Luc. c Quærendus locus, vid. 2. Cor. 5. d Duos, vel tres, malo.

e Hoc videtur fragmentum esse, & pars superioris capituli, sed valde mendose editum est.

f Pro uno anno quidam permisierunt, scribo. Vidend. Burch. d. lib. 19. cap. 25. Ivo d. part. 15. cap. 205. ex Pœnitentia. Romano.

g Hæc ita interpretor: ut XII. dies abstineat cibo, sed tertia quaque nocte cibum sumat.

h Cum XII. sint menses, si semel singulis mensibus inedia triduo utatur fiunt XII. triduanæ, sed interpollatæ. Apud Burch. & Ivonem est: *Duodecim triduanæ singulæ cum psalteriis tribus impletis & cum palmatis trecentis per singula psalteria, excusant unius anni pœnitentiam.* i Triduum, malo.

k Pretium autem diei hoc est, ἀγάπην, duobus, vel tribus pauperibus, scribo. Vidend. Burch. cap. 12. & 16. & Ivo cap. 192. & 196. ubi supra, & Pœnit. Rom. tit. 8. c. 25. & supra c. 14. Αγάπην autem significatur convivium, aut caritas, sive dilectio. Unde Αγάπην & dilectus, vel unicus filius apud Pollucem. Quo verbo Christus vocatur a Patre, Matth. 3. Marc. 1. & Luc. 3. De Αγάπην Christianorum, vide concil. Gangrenf. cap. 11. & Laodic. 27. & 28.

l Idem Burch. d. c. 12. & Ivo d. c. 192. & Pœnit. Rom. d. c. 25. indistincte. Cetera aliis intacta relinquimus, quæ sine veteribus libris emendari nequeunt.

Index Capitum.

I. E xcerptum de canonibus catholicorum Patrum, vel pœnitentiæ, ad remedium animarum, domini Agberti Archiepiscopi. pag. 298. col. 1.	VII. De cupiditate cæterisque flagitiis. Ibid.
II. De fornicatione. 300. 2.	VIII. De clericorum pœnitentiâ. 304. 1.
III. De occisione. 301. 2.	IX. De iuramento. 305. 1.
IV. De immunda carne. 302. 2.	X. De abstinentia mulierum. 305. 2.
V. De capitalibus criminibus. Ibid.	XI. De auguriis vel divinationibus. 306. 1.
VI. De minoribus peccatis. 303. 1.	XII. De ebrietate. Ibid.
	XIII. De Eucharistia. 306. 2.
	XIV. De diversis causis. 307. 1.
	XV. Item de pretio anni, vel diei. 308. 2.



POENITENTIUM LIBER
 RABANI MAURI MOGUNTINENSIS ARCHIEPISCOPI
 CUM NOTIS
 ANTONII AUGUSTINI
 ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

P R Æ F A T I O.

*Domino in domino dominorum dilectissimo Othgario [a] Archiepiscopo Rabanus
 peccator in Christo optat salutem.*

QUAMDIU vos, SANCTE PATER, sperabamus ad nos venturos, citius fore adventum vestrum optabamus. Sed quia postquam abistis a nobis, & mœstos nos de abscessu vestro reliquistis, orandum nobis esse censebamus, ut divina majestas incolumes vos fervans, concedat nobis, iterum vos sanos videre: quia sanitas vestra sospitas est nostra. Si autem aliquid vobis adversi contigerit, tristes nos, ac conturbatos sine dubio efficiet. De cætero quoque quia quando hic præsentialiter fuistis, placuit sanctitati vestræ, cum parvitate nostra aliquid tractare, atque conferre de diversis transgressionibus, in quibus fragilitas humana divina præcepta transgreditur, quomodo per pœnitentiam restaurari possint, atque Deo reconciliari hi, qui in diversis sceleribus prævaricantur legem Dei. Ideo quæ jussistis mihi, ut de canonibus, & sanctorum Patrum sententiis breviter exciperem, atque in unum colligerem, quæ a magistris Ecclesiæ hujusmodi personis ad emendationem vitiorum promulgata sunt; feci quod mandastis, & in uno libello ea descripsi, quo haberetis in promptu ante oculos ad legendum, quod mihi necesse erat ex diversis libris in unum congregare, ut noster labor vestræ voluntati aliquo modo satisfaceret. Et ne forte necessarium vobis foret, in diversis voluminibus id quærere, quod vos jam constat in brevi exquisitum habere, huic quoque libello subjunxi alterum, quem nuper de consanguineorum nuptiis, & de magorum præstigiis, falsisque divinationibus confeceram, ut haberetis eos simul, quos ordo rationis concordans fecit. Legite ergo opusculum, quod vobis directum est: & si quid in eo minus recte positum videatur, vestro sacro studio ad utilitatem legentium corrigatur. Bene valete, & in sacris orationibus vestris mei peccatoris memoriam habetote in nomine Domini.

C A P U T I.

De his, qui post sacram ordinationem capitalia crimina committunt, & eorum pœnitentia, seu excommunicatione.

IN primis ergo visum est [b], vobis conscribi de his, qui sacros ordines habent, & ante, vel post ordinationem, contami-

natos in capitalibus criminibus se esse profitentur, in quibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publice in perjurio, furto, atque fornicatione, & ceteris hujusmodi criminibus secundum sacrorum canonum instituta, a gradu proprio deponantur: quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere.

^a Hunc arbitror fuisse ejusdem sedis Archiepiscopum, cui Rabanus successit. *Heribaldum* vocant Ivo, & Gratian. & liber Tarracon. in locis mox citandis.

^b Hæc verba referunt Ivo Carnotens. lib. 3. tit. 11. cap. 20. Panorm. & parte 6. cap. 20. decret. & liber Tarrac. lib. 6. cap. 227. & Grat. dist. 50. cap. 34. de his, & Pœnit. Rom. tit. 8. cap. 1. ex concilio Ilerdensi non recte.

bere, quas ultra modum vitiosas constat esse: nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei, & rebelles hinc, atque contrarii existentes, eorum pravis exemplis quotidie peiores fiunt, sicut quondam filii Heli peccantibus fecisse leguntur. Qui autem de prædictis viris per occultam confessionem male a se absconse commissa, coram oculis Dei, præfente etiam sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos graviter deliquisse accusant, si veraciter pœnituerint, & se per jejunia, & eleemosynas, vigilias, atque sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint, his etiam, gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est; qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.

Nam de illis, qui ad honorem presbyterii sine examinatione proventi sunt, in Nicæno concilio cap. VIII. (a) taliter scriptum est (b): *Si qui presbyteri sine examine sunt proventi, vel cum discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit: quia quod irreprehensibile est, catholica defendit ecclesia.*

Item in Neocæsariensi concilio cap. VIII. (c) de hoc ita definitum est (d): *Presbyter, si præoccupatus corporali peccato provehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Nam peccata reliqua pterique dixerunt, per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste non quiverit, potestatis suæ iudicio retinquetur.*

Item in eodem concilio cap. X. [e] *Simili modo etiam diaconus, si eodem peccato suc-*

cupuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

De illis quoque, qui post acceptum gradum peccaverint, in Apostolorum canone ita legitur (f): *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communionem privetur. Dicit enim Scriptura:*

„ Non vindicabit Dominus his in idiplum “.

Item in eodem concilio cap. XXVIII. (g) *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, depositus iuste super certis criminibus, ausus fuerit adirectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab ecclesia penitus abscindatur.* Accusationem [h] autem adversus sacri ordinis viros facile non recipiendam, sed prius causam diligenter examinandam, & postea iudicium inferendum, Apostolus docet scribens ad Timotheum: *Accusationem, inquit, adversus presbyterum non recipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes autem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.* Quales autem ipsi testes esse debeant in Africano concilio cap. XCVI. (i) manifestatur, ubi ita scriptum est (k): *Placuit, ut omne servi, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omaes etiam infamie maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ. Hæretici etiam, sive Pagani, seu Judæi, sed tamen omaibus, quibus accusatio denegatur in causis propriis, accusandi licentia deneganda est (l).*

Item in eodem concilio cap. XCVIII. (m) *Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem intra annos XIV. ætatis suæ non admittatur (n).*

Item

a Caput nonum est Græcis, & in Corpore canonum.

b Verba sunt Dionysii Exigui interpretis Græci canonis noni Nicæni, ut apparet ex Corpore canonum. Refert Burch. lib. 2. cap. 13. & Ivo parte 6. cap. 33. decr. & Anf. lib. 8. cap. 13. Ex alio interprete Gratian. distinct. 81. cap. 4. SI QUIS SINE, & ex Martini Bracar. cap. 24. dist. 24. cap. ult.

c Cap. IX. ex Græcis, & in Corpore canonum.

d Dionysii Exigui verba sunt interpretis Græci canonis noni Neocæsariens. ut constat ex Corpore canonum. Refert Burch. lib. 2. cap. 49. Ivo lib. 3. tit. 11. cap. 19. Panorm. & part. 6. cap. 150. decr. & ex alio interprete Grat. 15. q. 8. cap. 1. & ex Martino Bracarenf. cap. 25. Burch. d. lib. 2. cap. 48. & Ivo d. tit. 11. cap. 18. Panorm. & d. part. 6. cap. 49. decr. & Gratian. d. q. 8. cap. 4. SI QUIS PRESBYTER.

e Dionysii verba sunt interpretis cap. 10. Neocæsariens. in Corpore canonum. Ex alia interpretatione Gratian. d. cap. 1. & ex Martino, Burchard. Ivo, & Grat. ubi supra.

f Verba sunt Dionysii interpretis canonis XXV. Apostolorum Græci, ut apparet ex Corpore canonum. Refert Anselm. lib. 11. cap. 30. & ex alio interprete. Burch. lib. 2. cap. 189. & Ivo part. 6. cap. 234. decr. ex Grat. dist. 81. cap. 12. PRESBYTER. Vide concil. Triburiense cap. 11. & Burch. lib. 6. cap. 47. & Ivo. parte 10. cap. 174. decret.

g Dionysii verba sunt interpretis canonis Apostolorum XXVIII. Græcis XXXIX. in Corpore canonum. Refert Bernard. Papiens. cap. 1. de clericis excomm. in 1. collect. Decretal. & Greg. 9. cap. 1. ejusd. tit.

h Rabani verba sunt. Vidend. Xyst. 2. epist. 2. & Grat. 2. q. 7. cap. 19. ACCUSATIO.

i Sic etiam est in Corpore canonum Cap. CXXX. est Græce Carthagin. concilii, & cap. 2. concilii Carthaginens. 7. in conciliis Latinis.

k Refert Ivo parte 16. cap. 64. decret. & Gratian. 4. q. 1. cap. 1. in fine, & 4. p. 6. cap. 2.

l Scribe, denegatur, in causis propriis accusandi licentia deneganda non est. In Corpore canonum habetur, accusandi licentia non neganda, & in concil. non neganda est, habet Ivo: non deneganda, Grat. μηροφιλειν αρρειθαι, Tilianus liber.

m Sic etiam est in Corpore canonum & in concilio Carthagin. 7. cap. 4. & in Carthag. Græco cap. 122. Refert Capitulare Caroli, & aliorum lib. 7. cap. 101. Burch. lib. 16. cap. 20. Ivo lib. 4. tit. 8. cap. 1. Panorm. & part. 6. cap. 364. decr. & Grat. 4. q. 2. & 3. cap. 1.

n Non admittantur, Corp. canon. & alii.

Item in eodem concilio cap. XCVIII. [a] *Placuit, ut quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera non admittatur.*

(b) De his autem, quorum occulta peccata sunt, nec manifeste ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis, confessionem Episcopo, sive presbytero occulte faciunt, bonum mihi videtur, ut secundum id, quod sibi decretum fuerit ab Episcopo, sive presbytero, poenitentiam agant, non tepide, nec tarde, sed ferventer, & sollicitate: ac sic se veniam peccatorum a Domino percepturos, & gradum se recuperaturos confidant. Quod etiam Beatus Gregorius Papa in epistola, quam ad Secundinum servum Dei inclusum scripsit (c), ita probat dicens (d): *Nam tua sanctitas inde a nobis requisivit, ut tibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi, dum dicis de hoc canone, diversas te legisse divisaque sententias (e): alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter a Nicana incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramus, quæ ipsam sequentes, cetera in cunctis sententiis unanimes concordant. Nos ergo præcedentes nostros Patres sequimur: qui, auctore Deo, a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, usque in quartum altaris ministrum, hanc formam servandam cognoscimus, ut quem minorem major præcedit, sicut honore est major, ita sit in crimine (f): & quem major sequitur culpa, major ei implicetur vindicta: & sic postea poenitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest, triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domum construere, & non illic habitare? Post dignam enim satisfactionem, credimus posse redire ad honorem (g): Propheta dicente: „ Numquid qui cadit, non adiiciet ut resurgat: & qui averfus est, non revertetur? “ Idem peccatori ait: „ In quacumque die con-*

versus ingemueris, tunc salvus eris: unde, & Psalmista ait: „ Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me. “ Dum enim petiit, ne a Deo proiceretur pro lapsi culpa, alienam quippe Rex, & Propheta rapuisse se uxorem tremefactus expavit, Propheta indicante flagitium suum, poenitentiam agens addidit: „ Redde mihi lætitiā salutari tui, & spiritu principali confirma me. “ Si enim ipse dignam Deo poenitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret, ait enim: „ Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. “ Dum enim peccata sua prospexit Propheta mundata per poenitentiam, non dubitavit prædicando castigare aliena (h), & sic sacrificium de semetipso Deo offerre studuit, cum dicebat: „ Sacrificium Deo spiritus contribulatus. “ Ad hæc ista sufficerent: sed omnis sententia quo plus sacræ scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur: de hoc enim Propheta dicit: „ Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, “ de hoc peccantibus dicitur: „ Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in oblivionem traduntur. “ Si enim Redemptor noster, qui peccatores non perdere, sed justificare venit, in oblivione peccantium delicta dereliquit, quis hominum condemnanda reservet, cum Apostolus dicat [i]: „ Si Deus justificat, quis est qui condemnet? “ Ad fontem etiam misericordiæ recurrentes, Evangelicam proferamus sententiam: „ Gaudebo, inquit, super uno peccatore poenitentiam agente, plus quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia: “ & ovem perditam nonagesimam nonam (k), non errantibus relictis, humero ad ovile reportavit. Si ovis errans post inventionem humero ad ovile reportatur, cur ista post pœnam ad Ecclesiæ ministerium non revocetur? [l] Quid est ergo gravius, car-

Psal. 50.

Ibid.

Ezech. 18.

Luc. 15.

Psal. 40.

Ezech. 3.
18.

a Sic etiam est in Corpore canonum, & in dicto concilio Carthag. 7. cap. 3. & in Carthaginens. Græco cap. 131. Refert Capitulare d. libro 7. cap. 100. & lib. 1. cap. 45. Burch. lib. 2. cap. 198. Ivo lib. 4. tit. 7. cap. 12. Panorm. & part. 6. cap. 271. Decret. & liber Casaraug. lib. 5. cap. 61. & Gratian. 3. q. 10. cap. 1.

b Rabani verba sunt, quæ invenies in Pœnit. Rom. tit. 8. cap. 2. ut ex concilio Toletano.

c Extat lib. 7. registri epist. 53.

d Refert Burch. 19. cap. 43. Ivo lib. 3. tit. 11. cap. 15. Panorm. & part. 6. cap. 85. Decret. & Grat. dist. 50. cap. 16. QUIA SANCTITAS. Hoc proinde est in registro, & apud Ivonem in Decret. Inde, habet Burch. neutrum Panorm. & Gratian. & vetus registri liber.

e De hoc canone diversos legisse & diversas sententias invenisse, editus liber registri. De hoc in canonibus diversas te legisse, divisaque sententias, vetus liber aptius. De hoc canones diversos te legisse, divisaque sententias, Burchard. & Ivo. De hoc canonum diversorum te legisse diversas sententias, Grat.

f Ut sicut minorem major præcedit in honore, ita & in crimine registri. edit. ut qui minor est, major ei præcedat; sed sicut honore, ita & crimine, vetus lib. ut quia minorem &c. Burch. cetera ut Rabani. præcedit honore, ita sit in crimine. Ivo in Panorm. cetera ut registri. Idem in decr. ut Rabani. præcedit honore, ita etiam crimine, Grat. cetera ut registri.

g Augustin. apud Paleam cap. 24. dist. 50. Hæc melius apud Burch. & Ivonem in decr. & Rabanum sunt, quam apud Grat. d. cap. 16. & Ivo in Panorm.

h Sic etiam Burch. & Ivo in decr. curare aliena, registri. i Ad Rom. 8.

k Ovem perditam, nonaginta novem non errantibus scribe.

l Cur post poenitentiam ad ecclesiæ ministerium lapsus non revocetur? registri. edit. post pœnam, vetus liber. cur iste post poenitentiam ad ecclesiæ ministerium non revocetur? Burch. cur lapsus post poenitentiam ad ministerium non revocetur? Ivo in decr. lapsus non revocetur, Grat. cetera, ut Burch. Addit solus Grat. sicut in Apocal. dicitur de ministro ecclesiæ „ Memento, unde excideris, & age poenitentiam, & prima opera fac. “ Apocal. 2. Hæc invenies in Isidori epist. de qua postea.

nale delictum admittere, sine quo non mul-
ti, sed pauci inveniuntur, aut Dei filium
timendo negare? [a] in quo peccato ipsum bea-
tum principem Apostolorum Petrum, ad cu-
jus nunc corpus indigni sedemus, lapsum esse
cognoscimus: sed post negationem pœnitentia
secuta est, & post pœnitentiam misericordia
data: quia illum ab apostolatu non deiecit,
qui ante se ipsum negare prædixit. Tibi hæc,
fili carissime, dicta sufficiant, ut illum, quem
conspicis delicta fletu delere, in conspectu
Divinitatis non dubites misericordiam conse-
qui: quia nullum peccantem reversum despi-
cit (b), qui peccatores sanguine suo redimere
venit.

Hinc etiam & beatus Augustinus ad Petrum
(c) diaconum de Fide scribens ait: *Omni homini
in hac vita esse potest utilis pœnitentia, quam
quocumque tempore homo egerit, quamlibet
iniquus, quamlibet ainosus, si toto corde re-
nuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis
in conspectu Dei non solum corporis, sed et-
iam cordis lacrymas fuderit, & malorum o-
perum maculas bonis operibus diluere curave-
rit, omnium peccatorum indulgentiam non
habebit. Hoc enim nobis Dominus Propheti-
co promittit eloquio, dicens (d) „ Si con-
versus ingemueris, salvus erit “. Et alio lo-
co dicitur: „ Filii, peccasti, ne adicias ite-
rum, sed & de præteritis deprecare, ut tibi
dimittantur “. Numquam peccanti esset in-
dicta pro peccatis deprecatio, si peccanti (e)
non esset remissio concedenda. Sed etiam pœ-
nitentia peccatori tunc prodest, si eam in ec-
clesia catholica gerat, cui Deus in persona bea-
ti Petri, ligandi, solvendi que tribuit pote-
statem (f) Matth. XVI. dicens „ Quæ alli-
gaveris super terram, erunt ligata & in cæ-
lis, & quæ solveris super terram, erunt so-
luta & in cælis “. In quacumque igitur ho-
mo ætate veram peccatorum suorum pœniten-
tiam egerit, & vitam suam Deo illuminan-
te correxerit, non privabitur indulgentiæ mu-
nere, quia Deus sic per Prophetam dicit (g):
„ Nolo mortem morientis, tantum ut rever-*

tatur a via sua mala, & vivat anima ejus “.
Verum tamen nullus hominum debet sub spe
misericordiæ Dei, in suis diutius remanere
peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo ve-
lit sub spe futuræ salutis diutius egrotare.
Tales enim, qui ab iniquitatibus suis recede-
re negligunt, & sibi a Deo indulgentiam re-
promittunt, nonnumquam ita præveniuntur
repentino Dei furore, ut nec conversioni tem-
pus, nec beneficium remissionis inveniant. Id-
eo unumquemque vestrum [h] sancta Scriptu-
ra benigne præmonet dicens (i): „ Ne tardave-
ris converti ad Dominum, & ne differas de
diè in diem. Subito enim veniet ira ejus,
& in tempore vindictæ disperdet te “. Di-
cit etiam beatus David: „ Hodie si vocem e-
jus audieritis, nolite obdurare corda vestra “.
Cui quoque beatus Paulus concordat his ver-
bis: „ Videte fratres, ne forte sit in aliquo ve-
strum cor malum, incredulitas (k) discedenti a
Deo vivo, sed adhortemini (l) vos semeti-
ipsos per singulos dies, donec Hodie cogno-
minatur, ut non obduretur quis ex vobis fal-
lacia peccati “. Obdurato igitur corde vi-
vit [m] sive qui non convertitur, desperans
de indulgentia peccatorum: sive qui sic mi-
sericordiam Dei sperat, ut usque in finem vi-
tæ præsentis in suorum criminum perversitate
remaneat. Proinde diligentes misericordiam
Dei, metuentesque justitiam, nec de remis-
sione peccatorum desperemus, nec remanea-
mus in peccatis: scientes, quia illa omnium
hominum debita sit exactura æquitas justissimi
judicis: quæ non dimiserit misericordia cle-
mentissimi Redemptoris. Sicut enim miseri-
cordia suscipit, absolvitque conversos: ita ju-
stitia repellit, & punit obduratos. Hi sunt
qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in
hoc sæculo, neque in futuro remissionem ac-
cipient peccatorum.

Nam de hoc Isidorus (n) Hispalensis Episcopus
ad inquisitionem Massionis Episcopi [o], ita
rescripsit dicens: *Verum quod sequenter (p) in
epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit,
nulla est in hujusmodi sententiis decretorum
di-*

a Sic etiam Burch. & vetus registri liber. jurejurando negare, editus, & Ivo in panorm. & Grat. negare, idem Ivo in decret.

b Quia ille peccatorem reversum non despicit, registr. edit. peccantem, vetus liber. Burchardus, ut Rabanus, & Ivo utrobique.

c Sic etiam Burch. d. lib. 19. d. cap. 43. sed is liber creditur non esse B. Augustini, sed Fulgentii: hæc autem verba sunt cap. 3. refert etiam Ivo parte 15. cap. 57. decret.

d Si conversus fueris, & ingemueris Fulg. & Burch. Ivo. Vide Es. 30.

e Si deprecanti, Fulg. & Burch. & Ivo. f Scribe, Matth. 16.

g Quia Deus, sicut per Prophetam dicit, non vult mortem peccatoris, sive morientis, sed magis ut &c. Fulg. Quantum ut pro sed magis ut, Burch. & Ivo; cetera, ut Fulgent. Vide Ezech. 33.

h Nostrum pro vestrum, Fulg. Burch. & Ivo. i Eccles. 5.

k Cor malum incredulitatis, Fulg. Burchard. & Ivo. l Fulg. & alii.

m Vivit corde, Burch. Obdurato ergo vivit corde, Ivo. Obduratus igitur vivit, Fulg.

n Sic etiam Burch. d. cap. 43. & Ivo d. cap. 57.

o Massionis Episcopi, Burch. & Ivo. Massanum appellat Grat diff. 50. cap. 28. DOMINO. Massonem 3. q. 2. cap. 11. HOC IPSUM. quod placet Massonem, Burch. lib. 19. cap. 73. Massanum, Ivo lib. 3. tit. 11. cap. 17. Panorm. Massonem, idem part. 6. cap. 197. decret. Massonem, part. 15. cap. 86. & liber Tarraconensis lib. 3. cap. 84. Massonum, Anselm. lib. 8. cap. 37. & Cæsaraug. lib. 8. cap. 69. Exstat hæc epist. Isidori ante librum sententiarum, sive de summo bono, in qua est editum, ad beatum Massonem: sed in veteri est, Massoni Episcopo.

p Consequenter, est in veteri libro: prosequenter apud Burch. & Ivonem est sequenter, & in edita epist. apud Anselm. & in libro Tarrac. consequenter.

Pfam. 94.

Hebr. 3.

diversitas intelligenda, quod alibi legitur, in lapsu corporali (a) restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur: Illos enim ad pristinos officii gradus redire canon præcepit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra, hi, qui neque a vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum, quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis accipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia, ut necesse sit, illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt divinæ pietatis: Hi nec immerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. Id enim, ne forte magis ambiguum sit, divinæ auctoritatis sententia confirmetur. Ezechiel enim Propheta sub typo prævaricatoris Hierusalem, ostendit, post pœnitentiæ satisfactionem, pristinum restaurari posse honorem: „ Confundere, inquit, o „ Juda; & porta ignominiam tuam “. Et post paululum: „ Et tu, inquit, & filia tuæ re- „ vertimini (b) ab iniquitate vestra “. Quando dixit, confundere ostendit, post confessiones id esse peccati opus (c), debere quemquam [d] erubescere, & pro admissis sceleribus reverendam frontem humi prostratam demergere: pro eo, quod dignum confusionis perpetraverat [e] opus. Deinde præcepit, ut portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate quod peccaverat. Sic quoque re-

Tom. III.

vocari (f) secundum Prophetam ad priorem statum poterit. Item Joannes Evangelista Angelo Ephesi ecclesiæ, inter cetera simile quiddam scripsit: „ Memor esto, inquit, unde „ cecideris, & age pœnitentiam, & prima o- „ pera fac, alioquin veniam tibi, & movebo „ candelabrum tuum de loco ejus “. In Angelo (g) ecclesiæ, præpositum utique, id est sacerdotem ostendit, juxta Malachiam, qui dicit: „ Labia sacerdotis custodiunt scientiam, „ & legem exquirunt de (h) ore ejus, quia An- „ gelus Domini est “. Præpositus ergo lapsus in vitium, per Evangelistam monetur, ut memor sit unde ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, ut non moveatur candelabrum ejus. Nam candelabrum Angeli doctrina est sacerdotis; vel honor potestatis, quam gestat, intelligitur, juxta quod scriptum est apud Samuelem in damnationem Heli: „ Oculi ejus caligaverunt, nec poterat „ videre lucernam Dei, antequam extingue- „ retur “. Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens, justitiæ claritate fulgebat [i] quam extinctam Propheta asseruit, dum ob scelera filiorum, sacerdotis potestatem, meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergo, sive lucerna sacerdotis, quæ intelliguntur charismata honoris, tunc, juxta Joannem, extinguitur, vel movetur, quando post delicti casum, neglecta pœnitentia, admissa scelera non desistunt. Non enim dixit: „ Pro eo, quod cecidisti, commovebo can- „ delabrum tuum, sed, nisi pœnitentiam ege- „ ris, movebo candelabrum tuum “. Ergo quemquam præpositum peccantem, si prævenit pœnitentia, delicti, utique sequitur & venia (k). Et Proverbiis scriptum est: „ Qui „ ab-

Apoc. 2.

Malac. 2.

1. Reg.

Prov. 28.

R r

Ezech. 16.

a Sic etiam Isidor. & Burch. d. cap. 43. & 73. & Ivo d. cap. 397. & 57. & 86. At in veteri libro, & apud Anselm. & in libro Tarrac. est: quod alibi legitur, id est in canone Anquiritano, capitulo XIX. post lapsum corporalem. Et in Panorm. Ivo: videlicet, quod in canone Anquiritano cap. XIX. legitur post lapsum corporalem. Sic etiam apud Grat. Vide Ancyr. cap. 20. Græce Latinis quibusdam cap. 19. & Martin. Bracar. cap. 77. Raban. cap. 3. hujus libri.

b Sic etiam Burch. d. cap. 43. Revertimini ad iniquitatem vestram, vetus liber: Revertimini ad antiquitatem vestram. Isidor. in d. epist. & Ivo in Panorm. & d. cap. 57. & Anselm. & liber Tarrac. tuam pro vestram, Gratian. cetera, ut Isidor. Vide Ezech. 16.

c Post confessionem, id est, peccati opus, vetus liber. Quod dixit, confundere, ostendit post confessionis confusionem, id est, post peccati opus, Isidor. in Epist. edita: post confusionem, id est, peccata vetus liber. Quod dixit, confundere ostendit post confusionis, id est, peccati opus, Burch. Ivo d. cap. 57. post confessionem, Ivo in Panorm. cetera ut Burch. post confusionem, Anf. & Tarrac. cetera, ut Burch.

d Debere quemque, malo; ut in quibusd. libris est.

e Perpetraverit, vetus liber. perpetravit, alius.

f In veteri est: Deinde præcepit, ut post ignominiam, id est, dejectionem nominis sive dignitatis, revertatur ad antiquitatem. Ergo dum quisque post opus confusionis suæ confunditur, atque ignominiam portat, & depositionem suam luget cum humilitate, revocari &c. In epist. edita: Deinde præcepit, ut portet ignominiam, id est, debonorationem nominis suæ dignitatis. Ergo dum quisque post opera confusionis suæ confunditur, atque ignominiam depositionis suæ lugens cum humilitate portaverit, revocari &c. pro suæ dignitatis, est in veteri, sive dignitatis, cetera ut in edita. Sicque revocari &c. Burch. cetera, ut Raban. sic etiam Ivo d. cap. 57. Deinde præcepit, ut post ignominiam, & dejectionem sui nominis, sive dignitatis, revertatur ad suam antiquitatem. Ergo dum quisque post opus confusionis suæ confunditur, atque ignominiam portans, depositionem suam cum humilitate luget, revocari &c. Ivo in Panorm. Deinde præcepit, ut post &c. Anselm. cetera: ut in primo veteri: quisquam pro quisque Tarraconens. cetera, ut in eodem veteri: opus confessionis, Grat. pro opus confusionis, cetera, ut Panorm.

g Refert Burch. lib. 10. cap. 81. & Ivo parte 15. cap. 94. decret.

h Ex pro de, vetus liber, in quo additur vox exercituum: Ante verbum est: requirunt ex ore, habet Isidor. in edita epist. custodiunt sapientiam, & legem exquirunt ex ore, vetus epist. exquirunt ex ore, habet Burch. & exercituum est: requirunt ex ore, Ivo d. cap. 94. & exercituum est. In libro Tarracon. ut in primo veteri.

i Luce justitiæ, & caritatis fulgebat, vetus epist.

k Si prævenit pœnitentia delicti, utique sequitur & reparatio meritorum, vetus liber: si prævenit pœnitentia delicti, utique sequitur reparatio meriti, Isid. in epist. edita: præveniret, vetus & sequeretur meriti pro meritorum. Anselm. cetera, ut prior vetus, sic etiam liber Tarrac.

„ abscondit scelera sua, non dirigetur, qui con-
 „ feilus fuerit, & relinquerit ea, misericordiam
 „ consequetur“. Nam & ipsum quod canonum
 „ censura (a) post septem annos rameare pœni-
 „ tentem in statum pristinum præcepit, non hoc
 „ electione proprii arbitrii sancti Patres, sed
 „ potius ex sententia divini iudicii sanxerunt.
 Num. 12. Nam legitur, quod Maria soror Aaron Pro-
 „ phetissa, dum ob detractioes (b) adversus Moy-
 „ sen incurrisset delictum, illico stigmatè lepræ
 „ persusa est. Cumque peteret Moyses, ut emun-
 „ daretur, præcepit eam Dominus extra castra
 „ septem diebus egredi, & post emundationem
 „ rursus eam in castra admitti [c]. Maria er-
 „ go soror Aaron caro intelligitur sacerdotis, quæ
 „ dum superbiam dedita sordidissimis cogitatio-
 „ num (d) contagiis maculatur (e), extra castra
 „ septem diebus, hoc est, extra collegium san-
 „ ctæ Ecclesiæ septem annis proiciatur, ubi post
 „ emundationem vitiorum, loci, vel pristina
 „ dignitatis recipiet meritum [f]. Ecce in quan-
 „ tum valuimus, concilii antiquam plene, &
 „ plenam auctoritate sententiam, sacris testi-
 „ moniis explanavi, ostendens, eum posse re-
 „ staurari proprio honore (g), qui per pœniten-
 „ tiæ satisfactionem novit propria delicta de-
 „ flere: eum vero non posse restaurari, qui nec
 „ luget quæ egit, & luenda sine ullo pudore
 „ religionis, vel timore iudicii divini commit-
 „ tit (h). In fine autem epistolæ (i) hoc adii-
 „ ciendum putavi, ut quotiescumque in gestis
 „ conciliorum discors sententia invenitur, il-

lius magis teneatur sententia, cuius antiquior,
 & potior extitit auctoritas (k).

In concilio igitur Ilerdensi [l] cap. V. de
 his, qui altario serviunt, si subito carnis (m)
 fragilitate corrueverint, & Domino respiciente
 digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore
 cordis contriti sacrificium Deo offerant, ma-
 neat in potestate Pontificis, vel veraciter af-
 flictos non diu suspendere, vel desidiosos pro-
 lixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare,
 ita tamen, ut sic officiorum loca recipiant,
 ne possint ad altiora officia ulterius promove-
 ri. Quod si iterato velut canes ad vomitum
 reversi fuerint [n], non solum dignitate officii
 caveant, sed etiam sanctam communionem ni-
 si in exitu non percipiant.

Item in concilio Carthaginensi cap. XXVII.
 (o) scriptum est, quod presbyteri, & diaconi
 in graviore culpa convicti, manus impositionem
 tamquam laici nequaquam suscipiant: Confir-
 mandum est, ut si quando presbyteri, vel dia-
 cono in aliqua graviore culpa convicti fuerint,
 qua eos a ministerio necesse sit removeri, non
 eis manus tanquam pœnitentibus laicis (p)
 imponatur: neque permittendum, ut rebapti-
 zati ad clericatus gradum promoveantur.

CAPUT II.

De incestis conjunctionibus.

DE incestis conjunctionibus in concilio A-
 gathensi cap. LXI. ita scriptum est: In-
 ce-

a Refert Burch. lib. 19. cap. 82. Ivo part. 6. cap. 398. & part. 15. cap. 95. de cr.

b Obrectationibus vetus liber, & Tarrac. obrectationis, Isid. in epist. & Burch. & Ivo d. cap. 95. & An-
 selm. detractiois, Ivo d. cap. 398. & Grat.

c Sic etiam Grat. in castris admitti, vetus liber, & epist. Isidori, & Anf. & Tarrac. castris reverti, Burch.
 & Ivo d. cap. 95. intra castra admitti, Ivo d. cap. 398.

d Sic Ivo d. cap. 398. & Grat. corruptionum, vetus liber, & Isidor. in epist. & Burchardus & Ivo d. cap.
 95. & Anselm. & Tarrac.

e Sic etiam Isidor. & Anselm. & Tarrac. maculatur contagiis, Grat. maculatur erroribus, Burch. & Ivo d.
 cap. 95. illecebris maculatur, d. cap. 398. & in marg. contagiis.

f Valui, concilii Anquiritani antiquam &c. vetus liber, & Ivo in Panorm. & Anf. & Tarrac. valui consilio,
 antiquam &c. Isid. in epist. edita: valui concilii Anquiritani plene auctoritatem, vetus: Ancyritani Gratian. d. cap.
 28. & plenam auctoritatem, cetera, ut prior vetus. Verba Ancyritani concilii, quæ suspicor Isidorum vidisse,
 sunt hæc: Si quis ad iterum commiserit, septem annis in pœnitentia completis, perfectioni reddatur secundum pri-
 stinos gradus. Vid. cap. 3. Rabani.

g In proprio ordine, vetus liber, & Ivo in Panorm. & Anselm. & Tarraconens. in proprio gradu Grat. osten-
 dens eum proprio honori posse restaurari. Isid. in epist.

h Qui vero nec luget, quæ gessit, sed lugenda &c. divini iudicii committit, eum nullo modo posse ad pristinum gra-
 dum restaurari, vetus liber, & Anselm. & Tarraconens. gessit, pro egit, Isidor. in epist. cetera, ut Raban.
 qui vero negligit, nec luget, quæ gessit, nec lugenda &c. committit, eum nullo modo posse ad pristinum gradum resta-
 rare cognoscas, Ivo in Panorm. & lugenda &c. divini iudicii committit &c. restaurari cognoscas, Gratian. cetera,
 ut Ivo.

i Hujus addit vetus lib. & Isidor. in epist. & Ivo in Panorm. hujus epistolæ, Anselm. & Tarrac. & Grat.

k Illa quippe teneatur opinio, cuius antiquior, aut potior extat auctoritas, vetus liber: illius concilii magis teneatur
 sententia, cuius aut antiquior, aut potior extat auctoritas. Data prid. Kal. Mart. anno tertio Witerici Regis. Isid.
 in epist. cuius antiquior, aut potior existat auctoritas, Ivo in Panorm. cetera, ut Isid. exceptis Data &c. extat pro
 extitit, Ivo d. part. 6. cap. 398. cetera ut Raban. illius concilii teneatur sententia, cuius antiquior, aut potior ex-
 tat auctoritas, Anf. majus teneatur, Tarrac. cetera, ut Anf. illius concilii sententia magis teneatur &c. & potior
 &c. Gratian. cetera ut Anselm.

l Rabani verba sunt, vox igitur supervacanea, est; pro de his qui, scribe, Hi qui, ex conciliis & post vo-
 cem altario, addo Dei. Refert Burch. lib. 19. cap. 74. & Ivo part. 15. cap. 87. de cr. & Grat. dist. 50. cap.
 31. HI QUI. & 15. q. 8. cap. 2.

m In flenda carnis, concil. flenda carnis, Burchard. & Ivo.

n Et veluti sues in volutabris luti jacuerint, additur in concil. immersi pro luti, habet Burch. & Ivo. Vi-
 de Prov. 26. & 2. Pet. 2.

o Sumitur ex Corpore canonum: idem numerus est in concil. Græcis, at in Latinis est cap. II. concilii
 Carthag. V. Refert Capitulare Caroli, & Ludovici lib. 5. cap. 66. Burch. lib. 19. cap. 72. Ivo part. 15. c.
 85. de cr. Anselm. lib. 11. cap. 29. & Grat. dist. 50. cap. 65. CONFIRMANDUM.

p Pœnitentibus tamquam fidelibus laicis, Corp. can. & concil. & Burch. & alii.

cestis conjugiiis [a] nihil prorsus venia refer-
vamus, nisi cum adulterium separatione sa-
naverint. Incestos (b) vero nullo conjugii no-
mine deputandos, quos etiam designare fu-
nestum est: Hos enim esse censemus: Si quis
relictam fratris, quæ pene prius soror exti-
terat, carnali conjunctione violaverit (c). Si
quis fratris germanam [d] uxorem acceperit.
Si quis novercam duxerit. Si quis consobrina
suæ [e] se sociaverit. Quod ita [f] presenti
tempore prohibemus, ut ita (g) ea, quæ sunt
ante nos constituta, non dissolvamus. Si quis
relictæ (h), vel filia avunculi miscetur, aut
patris (i) filia, vel privignæ suæ concubitu
polluatur (k). Sane quibus conjunctio illicita
interdicitur, habebunt [l] incundi melioris
conjugii libertatem.

Item de eisdem in concilio Aurelianensi cap.
XIV. [m] scriptum est: Ne frater super ro-
rum defuncti fratris ascendat. Ne (n) quis-
quam, amissa uxore, sorori audeat sociari.
Quod si fecerit, ab ecclesiastica districtione
feriatur.

Item de eisdem in concilio Ilerdensi cap. IV.
(o) ita dictum est: Qui se incesti pollutione
commaculant; placuit, quousque in ipso de-
testando, & illicito carnis contubernio perse-
verant, usque ad missam tantum catechume-
norum in ecclesia permittantur (p), cum qui-
bus etiam nec cibum sumere ulli Christiano-
rum, sicut Apostolus iussit, oportet.

Item de his in Ancyrano conc. c. XXIV. (q)
ita scriptum est: Quidam sponsam habens, so-
rorem ejus violavit, & gravidam reddidit,
post modum desponsatam sibi duxit uxorem,
illa vero, quæ corrupta est, laqueo se pere-
mit. Hi, qui fuerunt conscii, post decennem
satisfactionem iusti sunt [r] suscipere gradus
pœnitentiæ constitutos.

Item in Neocæsariensi concilio cap. II. [s]
ita dictum est de his, quæ duobus fratribus
nupserint, vel qui duas sorores uxores accepe-
rint: Mulier, si duobus fratribus nupserit,
abiciatur usque ad mortem. Veruntamen in
exitu propter misericordiam, si promiserit,
quod facta incolumis, hujus conjunctionis vin-
cula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequa-
tur (t). Quod si defecerit mulier, aut vir in
talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in
vita permanenti (u).

Item de his, qui duabus sororibus copulan-
tur, in Elibertano concilio cap. LXI. (x) ita
scriptum est: Si quis post obitum uxoris suæ
sororem ejus duxerit, & ipsa fuerit fidelis,
quinguennum a communione placuit abstinere
nisi forte velocius dari pacem, necessitas coe-
gerit infirmitatis.

Item de muliere, quæ duos fratres sumit in
conjugio, vel vir, qui duas sorores habuerit, in
concilio Martini Episcopi cap. LXXVIII. (y)
ita scriptum est: Si qua mulier duos fratres,
aut si quis vir duas sorores duxerit [z], a

R r 2

cqm-

a De incestis conjunctionibus nihil &c. concil. & Burch. lib. 7. c. 4. & Ivo part. 9. c. 40. decr. & Anf. lib. 11. c. 82. & Grat. 35. 1. 2. c. 8. DE INCEST. Incestis conjunctionibus nihil, Capitul. lib. 7. c. 200. in ad-
dit. Sic etiam est in concil. Epaunens. c. 30. quod refertur in concil. Turonens. 2. c. 22. De incestis conjunctio-
nibus sicut a sanctis Patribus institutum est, nihil &c. Arelatens. sub Carolo cap. XI. De incestis autem conjunctibus
unde multimodis fines regionis nostræ circumquaque instigante diabolo polluuntur, secundum Agathens. concilium cap. 61.
nihil &c. Colonienf. sub Carolo 3. cap. 6.

b Vidend. Gregor. lib. 12. epist. 31. registr. Ivo parte 9. cap. 25. & 26. decr. Anselm. lib. 10. cap.
71. in addit. cap. 40. in Rom. Capitular. d. cap. 200.

c Sic etiam Epaun. & Turon. & Arel. polluere, concil. Agathens. & Ivo d. cap. 25. & Grat.

d Sic etiam Arelatens. frater pro fratris, concil. & Ivo, & Gratian. Neutrum Epaun. Si quis insuper ger-
manam, Turon.

e Si quis consobrinae, sobrinaeque se sociat, ab ecclesia segregetur, Turon.

f Hæc claufula ponitur in concil. Agathens. ante claufulam, Sane quibus &c. in fine hujus capituli, sed
in Epaun. hoc loco: Quod ut a presenti &c. & in Turon.

g Ut ea, concil. Agath. in ea, Epaun. & Turon. h Relictæ, Epaun. & Turon.

i Sic etiam Arelat. patru pro patris concil. Agath. & Ivo. aut patru, Epaun. & Turon.

k Sic etiam Epaun. & Turon. & Arel. aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus ha-
buit, concubitu polluat, aut duxerit uxorem quos omnes & olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus,
& inter catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere, & orare precipimus. concil. Agath. In Arelat.
post vocem polluatur, est: vel si quid est hujusmodi, quod & hic adnotare longum est &c. Apud Ivon. ut in Aga-
th. usque ad verbum polluat, pro quo est, polluerit, aut duxerit uxorem.

l Non habebunt, Epaun. sed in Turon. refertur idem Epaun. sine negatione.

m Sic est in collectione Isidori Mercatoris in Colonienf. cap. XX.

n Ne se quisquam amissa uxoris sorori audeat sociare, Concil.

o Exstat in concil. & refert concil. Colon. sub Carolo 3. cap. 6. & Burch. lib. 7. cap. 3. & Grat. 35.
q. 2. cap. 9. DE HIS. p Admittantur, Concil. Ilerd. & Colon. & Burch. & Grat.

q Ex interpretatione Dionysii Exigui, ut constat ex Corp. canonum. Græcis est caput XXV.

r Iusti sunt suscipi secundum gradus, Corp. can. sic etiam est Græce.

s Dionysii etiam interpretis verba sunt in Corp. canonam, & in concilio Triburiens. cap. 44. Refert et-
iam Burch. lib. 17. c. 1. & Ivo part. 9. c. 67. decr. & Anselm. lib. 11. c. 95. Vidend. Mart. Brac. cap. 80.
de quo postea. t Et communio ei concedatur, addit.

u Episcopus vero paritatem habeat, secundum conversationem infius, aut adicere negligenti, aut minuere pœniten-
ti. Tamen ulterius continens, & a viro disjuncta permansat, addit Tribur.

x Exstat in conc. Sunt, qui putent, Eliberitanum scribendum esse. Et apud Rabanum semper est Heliberi-
tanum in veteri editione. Est autem in Bætica, non in Gallia Narbonensi hæc synodus.

y Exstat in collectione Martini Episcopi Bracarenf. ex synodis Orientis cap. 80. Refert Burch. lib. 17.
c. 2. & Ivo part. 9. c. 68. decr. Sumitur ex cap. 2. Neocæsar. concilii, de quo supra.

z Habuerit, concil. duxerit, Burch. & Ivo.

316 Pœnitentium Liber Rabani Mauri

communione abstineat usque ad mortem. In morte eis communio pro misericordia (a) detur. Si vero supervixerint, communione accepta, & de infirmitate convalescerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

Item in canone Apostolorum, cap. XIX. (b) scriptum est: *Qui duas in conjugium sorores acceperit, vel filiam fratris, clericus esse non poterit.*

CAPUT III.

De his, qui adulterium committunt.

Adulterium autem non solum lex damnat, sed etiam evangelica auctoritas omnino fieri vetat. Unde & sancti Patres cœlesti magisterio imbuti, de hoc quid servandum sit, sanciverunt. Nam in Ancyrano concilio cap. XVIII. [c] ita scriptum est: *Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiam agentem, oportet eum persequi [d] secundum pristinos gradus [e].*

Item in Africano concilio cap. XXX. (f) de his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant, scriptum est: *Placuit, ut secundum evangelicam, & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri jungatur, ut ita maneant [g], aut sibimet reconcilientur, quid si contempserint, ad pœnitentiam redigantur: in qua causa legem imperialem petendam promulgari.*

Item in decretis Innocentii Papæ cap. XXIV. [h] scriptum est, quod viri cum adulteris non conveniant. Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt, & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur, virorum

autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

Item in ejusdem decretis cap. XXVII. [i] scriptum est, quod hi, qui, intercedente repudio, divortium pertulerunt, si se aliis nuptiis adjunxerint, adulteri esse monstrantur: *De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt: quos in utraque parte adulteros esse manifestum est.* Qui vero vel uxore vivente quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri: in tantum etiam, ut hæc (k) personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur: secundum illud, quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur. Similiter & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Et ideo omnes a communione [l] abstinendos. De parentibus autem, aut propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

In concilio quoque Elibertano cap. IX. [m] de fœminis, quæ adulteros maritos reliquerunt, & aliis nubunt, scriptum est: *Fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur, ne ducat. Si duxerit non prius accipiat communionem, nisi quem (n) reliquit, de seculo exierit: nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.*

CAPUT IV.

De his, qui mœchantur.

Item in concilio Elibertano cap. XXX. [o] de mœchis scriptum est: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati, eo quod per subreptionem ad altiorum gradum promovebantur (p): si qui sunt in tempore præterito ordinati, amoveantur.*

Item

^a Non sunt in conc. Habet Burch. & Ivo, qui habent, viaticum accipiant, pro illis, eis communio detur.

^b Ex Dionysii interpretatione in Corpore canon. Idem numerus est in Græcis conciliis.

^c Cap. XIX. est in Corpor. can. & verba sunt Dionysii interpretis. Græcis est cap. XX. & in collectione Isidori Mercatoris. Vidend. Martin. Bracar. c. 77. & quæ dicta sunt c. 1. Rabani ex Isidoro.

^d Pœnitenti, oportet eum perfectionem consequi, Corp. can. perfectioni reddatur, Isidor. Mercat. *δοξαὶ αὐτὸν τὸ τελεῖν τυχεῖν*, Isidorus in epist. ad Malonem de clericis lapsis, ut restituantur peracta pœnitentia putat canonem censuisse. Ego mentionem clericorum nullam video.

^e Κατὰ δὸν βῆθμοῦ δὸν περιγυρνῆς: gradus pœnitentiæ interpretor, non ordinem, aut dignitatem. Vid. Greg. Thaum. Ut perinde sit, ac si diceret, per gradus ad plenam communionem perveniat, sic part. 21. ejusd. concilii, κατὰ δὸν βῆθμοῖς τοῖς ὀρισμένοις πληρῶται, ut in veteri libro est, & Tribur. cap. 54. Adde cap. 23. ejusd. Ancyr.

^f Sic est in Corp. canon. In concilio Milevit. 17. In Carthagin. Græco cap. CV. Refert Burch. lib. 9. cap. 64. & Ivo parte 8. c. 200. decr. & Anf. lib. 10. c. 15. & Grat. 32. q. 7. c. 5. PLACUIT.

^g Sed pro ut, Corp. can. & concil. & Burch. & alii. ἢ, aut, Græce.

^h Sic est in corpore canon. At in conciliis epist. III. c. IV. ad Exuper. Tolosan. Episcopum. Refert Gratian. 32. q. 5. cap. ult. i Scribe XXVI. ut est in Corpor. can. ex ead. epist. 3. c. 6. in concil.

^k In tantum, ut etiam hæc, Corp. can. & conc. l Fidelium, addit Corp. can. & conc.

^m Sic est in concil. Refert Burch. lib. 9. cap. 63. Ivo part. 8. cap. 199. decr. Anselm. lib. 11. cap. 92. & Grat. 32. q. 7. cap. 8. FIDELIS. n Quamvis quem, conc. & Burch. & alii.

^o Est in concil. cum aliqua varietate.

^p Eo quod post modum per subreptionem ad altiorum gradum non fit promovendus, concil.

Item in eodem concilio cap. XXXI. [a] de adolescentibus, qui post lavacrum mœchantur, scriptum est: *Adolescentes, qui post fidem lavacri salutaris fuerint mœchanti, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti.*

Item in eodem concilio capit. XLII. (b) de eo, qui uxorem habens sæpius mœchatur, scriptum est: *Si quis fidelis habens uxorem, non semel sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non edere eum de communione pacis.*

Item in eodem concilio cap. XIII. (c) de virginibus Deo sacratis, si adulteraverint: *Virgines, quæ se Deo dicaverunt, si pactum perdidierint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid admiserint (d), placuit, nec in finem (e) eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasus suo [f] ab infirmi corporis lapsu post commissa vitia tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant (g) se a coitu, placuit, eas in finem communionem accipere debere.*

Item in eodem concilio cap. XIV. [h] de virginibus sæcularibus si mœchatae fuerint, scriptum est: *Virgines, quæ virginitatem suam non custodierint, si eos, qui easdem violaverint, duxerint, & tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eo quod mœchatae sunt, placuit, post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem oportere.*

Item in Ancyrano concilio cap. XVIII. (i) de his, qui virginitatem professi sunt, & de his, qui sub fororis habitu cum aliquibus commorantur, scriptum est: *Quotquot virginitatem*

tem promittentes, irritam faciunt sponsonem; inter bigamos censeantur. Virgines autem, quæ conveniunt cum aliquibus tamquam sorores habitare, prohibemus.

CAPUT V.

De his, qui sacris virginibus se sociant, & de virginibus velatis, si mœchatae fuerint.

Item in decretis Gelasii Papæ cap. XX. (k) de his, qui se sacris virginibus sociant, & fœdera incesta committunt (l), quod communicare non possint, nisi forte publicam pœnitentiam gesserint, dictum est: *Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscere: quas proximus (m) æquum est a sacra communionem detrudi, & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certe (n) viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.*

Item in decretis Innocentii Papæ cap. XX. (o) de virginibus non velatis, si deviauerint, scriptum est: *He vero, quæ nec dum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverant permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint his agenda aliquanto tempore pœnitentia est; sponso earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, quomodo solvi sine vindicta poterit? [p]. Nam si Apostolus Paulus illas, quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixerat habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatae? (q).*

CA-

a Sic est in concil. b In conciliis est cap. XLVII.

c Sic est in concil. Refert synodus Colonienf. sub Carolo 3. cap. 6. & Magunt. 3. sub Arnulfo cap. ult. & Gratian. 27. q. 1. cap. 25. VIRGINES.

d Quid amiserint, concil. Eliberit. & Colon. & Magunt. & Gratian.

e Nec in fine, Concil. Eliber. & Colon. & Magunt. & Gratian.

f Quod si semetipsas pœnituerint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore &c. Concil. & in marg. persuaserunt pro pœnituerint. In veteri libro est: Quod si semel persuasæ, aut infirmi corporis lapsu vitiate toto tempore &c. quod etiam est in Colon. synodo: Quod si semel persuasæ, ad infirmi corporis vitia lapsæ, toto tempore &c. Magunt. & in marg. lapsu vitiate. Quod si sibi met persuaserint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore &c. Grat.

g Sic colon. Ea quod lapsæ potius videantur, placuit eas in fine, Elib. sine pro finem, Magunt. cetera ut Rab. item Grat. h Sic etiam est in conc.

i Dionysii Exigui verba sunt, ut constat ex Corp. canon. Græcis est caput 19. Refert Ivo parte 6. cap. 351. decr. & Tarrac. lib. 1. cap. 110. & Grat. 27. q. 1. cap. 24. QUOTQUOT.

k Sic etiam est in Corpore canon. & in concilio Triburienf. cap. XXIII. ex epist. 1. ad Episcopos Lucania. Cap. XXII. in concil.

l Incesta commiserint, Corp. canon. m Quæ pro quas, Corp. can. & concil.

n Sic est in marg. Corp. can. sed tamen his, in contextu, sed his certe, concil.

o Sic est in Corp. can. Ex epist. 2. c. ult. ad Victorium Rothomagens. Episcopum, in concil. Refert concil. Turon. II. cap. 21. Burch. lib. 8. cap. 12. & Ivo par. 7. cap. 18. decr. & Gratian. 27. q. 1. cap. 2. VI-DUAS. & cap. 9. HÆ VERO.

p Pepigerunt, solvi sine vindicta non poterit, Corp. can. & concil. & Ivo, non potest, Turon. cetera, ut Corp. can. pepigit, solvi sine vindicta non poterit, Grat. d. cap. 2. non aebet, idem cap. 9.

q. Sic etiam Corp. can. & Burch. fidem minime servaverunt. Innoc. in concil. & Grat. d. cap. 9.

CAPUT VI.

De his, qui irrationabiliter fornicantur.

IN concilio Ancyrano cap. XV. (a) de his, qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluantur, scriptum est: *De illis, qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur, quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum: deinde quinquennio in hac communionem durantes: tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, quales tempore pœnitentis extiterint: & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his habere criminibus ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum aetate, & uxores habentes hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitentiam gerentes, in communionem suscipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui & uxores habentes, & trascendentes quinquagesimum annum aetatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.*

Item in eodem, de his, qui in pecudes, vel in masculos, aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt, cap. XVI. (b) scriptum est: *Eos, qui irrationabiliter vixerint, & lepra iniusti criminis (c) alios polluerunt, præcepit sancta synodus, inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.*

CAPUT VII.

De conjugatis, si quis eorum ductus fuerit in captivitatem.

IN decretis quoque Innocentii Papæ caput XXXVII. [d] scriptum est, quod si cuius uxor in captivitatem fuerit abducta, & alteram maritus acceperit, revertente prima, se-

cunda mulier debet excludi. Innocentius Probo scripsit: *Conturbatio procellæ barbaricæ facultati legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium, & Ursam, captivitate incursum faceret vacuum, nisi sacre religionis statuta providerent. Cum enim in captivitate prædicta Urfa mulier teneretur, aliud conjugium cum Restituta Fortunius memoratus iniisse cognoscitur: sed favore Domini reversa Urfa, nos adiit, & nullo diffidente [e], uxorem se memorati esse perdoctus: Quare domine fili, merito illustris, statuimus, Fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus divina gratia fundatum: conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divorcio rejectæ (f), nullo pacto posse esse legitimum.*

CAPUT VIII.

Quod aliud sit uxor, aliud concubina, & quod non sit conjugii duplicatio, quando ancilla rejecta, uxor assumitur.

IN decretis Leonis Papæ cap. XIX. (g) scriptum est, quod aliud sit uxor, & aliud concubina: nec erret, quisquis filiam suam in matrimonium tradiderit ei, qui habuit concubinam (h): *Non omnis mulier viro juncta uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales: & multo prius hoc ipsum Domino constituyente, quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus [i], ad manifestandum harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abraham: „Eiice ancillam, & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio meo „ Isaac“. Unde cum societas (k) nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi (l), & Ecclesiæ sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur, nuptiale non fuisse mysterium*

^a Sic est in corpore canone, ex interpretatione Dionysii, & in Pœnit. Romano tit. 3. cap. 16. Est autem Græcis caput XVI. Refert Burchard. lib. 17. cap. 30. Ivo parte 9. cap. 88. decret. Anselm. lib. 11. cap. 96. Vide notas d. cap. 16.

^b Sic etiam est in Corp. canon. ex ejusd. Dionysii interpretatione, Græcis est cap. XVII. Refert Burchard. lib. 17. cap. 31. & Ivo part. 9. cap. 89. decr. Vidend. Martin. Bracar. c. 82.

^c Injusti pro iniusti, corp. can. & Burchard. & Ivo.

^d Idem numerus est in Corp. canon. ex epist. IX. ad Probum in concil. Refert Ivo lib. 6. tit. 6. cap. 4. Panorm. & part. 8. cap. 245. Decr. & Grat. 34. q. 1. c. 2. CUM IN CAPTIVITATE.

^e Sic Ivo in Panorm. diffidente. Corp. canon. & conc. & Ivo in decr. & Grat.

^f Ejectæ, Corp. canon. & in marg. ejecta, aptius. Ejectæ, conc. & ejecta, Ivo utrobique & Grat.

^g Cap. XVIII. est in Corpore canon. & in concil. Triburiens. cap. XXXVIII. ex epist. Leonis IX. ad Rusticum Narbon. Cap. IV. in concil. Refert Burchard. lib. 9. cap. 1. & Ivo lib. 6. tit. 2. cap. 1. Panorm. & part. 8. cap. 139. decr. & epist. 240. ad Ebroicens. Episcopum, & Anselm. lib. 10. c. 57. in addit. & Cæsaraug. lib. 10. cap. 16. & Gratian. 32. q. 2. cap. 12. NON OMNIS.

^h Sic est in conc. concubinam habenti, Corp. can. & Burchard. i Ad Galat. 4.

^k Refert Ivo lib. 6. tit. 1. cap. 21. Panorm. & part. 8. cap. 74. decr. & Cæsaraug. lib. 10. cap. 40. & Grat. 27. q. 2. cap. 17. CUM SOCIETAS.

^l Sic in conc. & Burchard. & Ivo d. cap. 129. que haberet in Christi, Corp. can. non habent in se nuptiæ conjunctionis Christi, Ivo d. cap. 21. haberet etiam in se Christi, Ivo d. cap. 74. & Cæs. non habeant, Grat. cetera, ut Ivo, d. cap. 21.

rium (a). Igitur cujuslibet loci clericus (b), si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, nisi forte illa mulier, & ingenua facta & dotata legitime, & publicis nuptiis honesta videatur: paterno (c) arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habeantur [d], in matrimonio non succurrunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.

Item in ejusdem decretis cap. XX. (e) scriptum est, quod non sit conjugii duplicatio, quando ancilla rejecti, uxor assumitur: Ancillam a thoro abiicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis. Culpada sit (f) sane talium negligentia, sed non penitus desperanda, ut crebris exhortationibus incitati: quod necessariae experiverunt, fideliter exequantur. Nemo enim [g] desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur [h]: in matrimonio videtur esse.

CAPUT IX.

De eo, qui uxorem capti sortitus est in matrimonium.

Item in decretis Leonis Papæ cap. LXIII. [i] scriptum est, quod non videatur esse culpabilis, qui uxorem capti sortitus est: nec tamen culpabilis iudicetur, & tamquam alieni juris persuasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa, quæ ad eos, qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in jus alienum transire potuerunt: & tamen plenum iustitiæ est, ut iisdem reversis, propria reformentur. Quod si in mancipiis, vel agris aut etiam in domibus, ac possessionibus rite servatur, quanto magis in conjugiorum reintegratione faciendum est, ut quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur.

CAPUT X.

De illo, qui concubinam super uxorem habebit.

IN Toletano concilio cap. VII. (k) scriptum est de eo, qui uxorem habet, si concu-

binam habuerit, quod non communicet: Si quis habens uxorem fidelis, si concubinam habeat, non communicet. Ceterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habeat, a communione non repellatur: tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Alias vero vivens, abiiciatur donec desinat, & ad pœnitentiam revertatur.

CAPUT XI.

De parricidio, & his, qui partus suos necant.

Parricidium autem, quam sit detestabile crimen, in iudicio factò inter Caim, & Abel fratrem suum, Dominus ipse ostendit, cum ad Caim parricidam ait: Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Fructus ejus: Vagus, & profugus eris super terram. In quo etiam posuit signum, hoc est, ut tremens, & gemens profugus semper viveret, nec auderet jam uspiam fedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diversa loca, & variis vitiis, atque gulæ illecebris defervunt, melius mihi videtur, ut in uno loco manentes, pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte a Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra, militiæ cingulum sumere, & nuptiis, atque conjugii copula uti, quia sacri canones hoc eis non consentiunt: sicut modo de pœnitentibus pro culpis gravium criminum decreta synodalia decernere, ostensuri sumus.

Itaque in Ancyrano concilio cap. XX. (l) scriptum est de his, qui (m) partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt: De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remouet. Humanus autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

Item in concilio Elibertano cap. LXIII. (n) scri-

a Sic etiam Corp. can. in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium, conc. Burch. ut Rab. & Ivo d. cap. 21. & d. cap. 139. & 74. & Anselm. & Cæs. ministerium, Grat. cetera ut Raban.

b Sic etiam conc. & Anselm. & Grat. & Corp. can. sed in marg. laicus. Si quis, Trib. laicus, Burch. & Ivo in Panorm. & in decr.

c Sic conc. & Grat. quia paterno, Corp. canon. & Burch. & Ivo in Panorm. & in decr.

d Habeantur, Corp. can. & conc. & Burch. & Ivo in decr. & Grat. habeantur, Ivo in Panorm.

e Cap. XIX. est in Corpore canonum, ex d. epist. 90. cap. V. in conc. Refert Grat. 32. q. 2. cap. 11. ANCILLAM. f Sic Grat. est pro sit, Corp. can. & conc. g Refert Grat. de pœnit. dist. 4. cap. 1.

h Hæc non sunt in Corp. can. neque in conc. neque apud Grat. & aliena sunt.

i Sic etiam est in Corp. Canon. Ex epist. 77. cap. 2. ad Nicetam Aquilejens. Episcopum, in concil. Refert Burch. lib. 9. cap. 56. & Ivo lib. 6. tit. 6. cap. 2. Panorm. & part. 8. cap. 191. & 244. decr. & Anf. lib. 10. cap. 22. & Cæsar. lib. 10. cap. 67. & Tarrac. lib. 4. cap. 49.

k Cap. XVII. Toletani primi est in conciliis. Refert Ivo lib. 6. tit. 3. cap. 6. Panorm. & parte 8. cap. 64. decr. & Grat. dist. 34. cap. 4. IS QUI.

l Sic est in Corpore canon. ex Dionysii interpretatione cap. XXI. est Græcis. Refert Burch. lib. 17. cap. 54. Ivo parte 8. cap. 314. & parte 10. cap. 81. decr. & Anselm. lib. 11. cap. 40. liber Tarrac. lib. 5. cap. 32. & Pœnit. Rom. tit. 1. cap. 28. Vidend. Martin. Bracar. cap. 78. Magunt. sub Rab. cap. 21.

m Sic est in Corp. can. quæ pro qui, malo. n Sic est in concil. Refert concil. Magunt. sub Raban. c. 21. Burchard. lib. 17. cap. 51. & Ivo parte 9. cap. 102. decret.

scriptum est de his, quæ filios ex adulterio necant: *Si qua per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit, vix in fine (a) dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.*

Item in concilio Ilerdensi cap. II. (b) scriptum est de his, qui abortum faciunt, vel natos suos extinguunt: *Hi vero, qui male conceptus, ex adulterio factos, (c) vel editos necare studuerint, vel in ventribus matrum positionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur; ita tamen, ut omni tempore vitæ suæ, fletibus & humilitati insistant (d).*

CAPUT XII.

De homicidiis voluntarie commissis.

In concilio Neocæsariensi cap. XXI. (e) de homicidiis scriptum est: *Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa exitum consequantur.*

CAPUT XIII.

De homicidiis, & falsis testibus.

Item in concilio Agathensi cap. XXXIV. (f) de homicidiis, & falsis testibus scriptum est: *Itaque censuimus, homicidas, & falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.*

CAPUT XIV.

De his, qui servos suos extra judicem necant, & domina, quæ per zelum ancillam occiderit.

Item in concilio Agathensi cap. LXII. (g) scriptum est de his, qui servos suos extra

judicem necant: *Si quis servum proprium sine conscientia judicis [h] occiderit, excommunicatione [i], vel pœnitentiæ biennii reatum sanguinis emundabit.*

Item in concilio Elibertano cap. V. (k) scriptum est, si domina per zelum ancillam occiderit (l): *Si qua femina furore zeli accensa, flagris verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntarie, an casu occiderit, si voluntarie, septem annos, si casu, per quinquennii tempora acta legitima pœnitentiæ, ad communionem placuit admiti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirma, accipiat communionem.*

CAPUT XV.

De homicidiis non sponte commissis, & illis, qui se excusant quasi insontes ab homicidio in prælio commisso jussu Principum.

In concilio Neocæsariensi cap. XXII. [m] scriptum est de his, qui non sponte homicidium commiserint: *De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiæ perfectionem consequi præcepit: secunda vero quinquennii tempus explere [n].*

Quod autem quidam (o) homicidium, quod nuper in seditione, & prælio principum nostrorum perpetratum est, excusant, quasi necesse sit, pro hoc cuilibet agere pœnitentiæ, eo quod jussu Principum peractum sit, & Dei judicium semper justum est, & nulla reprehensione dignum; de quo etiam scriptum est: *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Qui judicat orbem terræ in æquitate, & populus in veritate sua. Sine quo nec passer cadit super terram.*

Pfam. 44.

^a Nec in fine, concil. sed Magunt. & Burchard. & Ivo ut Raban.

^b Sic etiam est in concil. Refert conc. Magunt. d. cap. 21. Burch. lib. 17. cap. 52. & lib. 19. part. 277. & Ivo part. 10. cap. 182. decret. & Anselm. lib. 11. cap. 56. ^c Factus, conc. & Ivo factos, & Anf.

^d Adduntur alia in conciliis, & apud Anf. non contemnenda.

^e Sic etiam Magunt. sub Raban. cap. 22. *Ancyrano* pro *Neocæsariensi* scribendum ex corpore canonum, & ex concilio Triburiensi cap. 54. Est autem interpretatio Dionysii Exigui. Refert Burch. lib. 6. cap. 13. & Ivo part. 10. cap. 142. decret. & Anselm. lib. 11. cap. 46. Vidend. Martin. Bracarenf. cap. 79. Epau. 31. Triburiensi cap. 52. & 55. Troslejan. cap. 13.

^f XXXVII. est in concilio. Eadem verba sunt in concil. Venetic. capit. 1. & Troslejan. cap. 13. Refert conc. Magunt. d. cap. 22. Burch. lib. 6. cap. 29. & Ivo part. 10. cap. 38. & 158. decret. & Gratian. 24. q. 3. cap. 24. ITAQUE.

^g Sic etiam in concil. Refert concil. Magunt. d. cap. 22. Burch. lib. 6. cap. 18. Ivo part. 10. cap. 147. decret. & Anselm. lib. 11. cap. 55. Vide conc. Vormac. cap. 38.

^h Sic etiam concil. *Judicum, qui tale quid commiserit, quod morte sit dignum, Vorm. vel judicio judicis, Burchard. & Ivo & Anselm.*

ⁱ Sic etiam Vorm. *Ut homicidium sponte commissum, lugeat, Burch. & Ivo, & Anselm.*

^k Sic est in conciliis, & in concilio Vormaciens. cap. 39. & Magunt. sub Raban. cap. 22. Refert Burch. lib. 6. cap. 19. Ivo parte 10. cap. 22. & 148. decret. Anselm. lib. 11. cap. 35. Pœnit. Rom. tit. 1. cap. 4. & Grat. dist. 50. cap. 43. SI QUAE.

^l Sic Elibertan. & Magunt. & Burch. & alii *acciderit, Vormaciens.*

^m Scribendum *Ancyrano*. Sunt autem verba Dionysii interpretis in Corpore canonum. Refert conc. Triburiense cap. 52. & Magunt. sub Raban. cap. 23. & Burch. lib. 6. cap. 15. Ivo part. 10. cap. 25. & 144. decret. & Anselm. lib. 11. cap. 47. ex alio interprete. Gratian. distinct. 50. cap. 42. nos. Vidend. Martin. Bracarenf. cap. 79.

ⁿ Plura verba sunt in Corp. can. & in Triburiens. quæ Græca non habemus, neque in conc. Magunt. neque apud Burch. sunt, neque apud Ivon. neque Anf. neque Grat. neque Martin.

^o Rabani verba sunt.

ram. Sed nemo omnia judicia Dei penetrare potest, quoniam scriptum est: *judicia Dei abyssus multa*. Unde oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, & idolorum servituti comparatur, atque propter favorem dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt; & mandata illius spernentes, non casu, sed per industriam homicidium perfecerunt. Nam de his legimus, qui homines non sponte interfecerunt, Deum per legislatorem urbes refugii deputasse, ad quas confugientes, salvarentur ab ultore sanguinis proximi sui, & non morerentur. Inde in Deuteronomio scriptum est: *Hæc erit lex homicidæ, cujus vita servanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, & heri, & nudius tertius nullum contra eum habuisse odium comprobatur, sed abiisse simpliciter cum eo in silvam ad ligna cadenda, & in succisione lignorum securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit: hic ad unam urbium supradictarum confugiet, & vivet: ne proximus ejus, cujus sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam ejus.* De eo vero, qui per industriam aliquem occiderit, in Exodo ita præceptum est: *Si quis de industria, & per insidias occiderit proximum, ab altari meo evellas eum, ut moriatur.* Et in Deuteronomio: *Si quis, inquit, odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, & surgens percusserit illum, & mortuus fuerit, & fugerit ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, & eripient eum de loco refugii, & tradent eum in manus proximi ejus, cujus sanguis effusus est, & morietur, nec misereberis ejus.* Si ergo eum, quem Dominus morte afficiendum esse judicavit, reum non esse quis dicit, quomodo nam contrarius legi Dei non existit, qui hoc quod Dominus præcepit, cassum esse contendit? Videndum ergo illi est, ne forte in illorum numero sit, quibus per prophetam dicitur: *Væ vobis, qui consuitis pulvillos sub omni cubito, & cervicalia ad decipiendas animas.* Et Esaiæ 5. alibi: *Væ vobis, inquit, qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: dicentes amarum dulce, & dulce amarum.* Tales ergo mortificant animas, quæ non moriuntur, & vivificant, quæ non vivunt. Quisquis ergo, malorum operum

Tom. III.

sine condigna pœnitentia, quemquam veniam a Deo percipere posse dixerit, penitus errat. Et cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est proprii erroris, & alienæ perceptionis. Sed inter hæc sciendum, quod magna distantia est inter legitimum Principem, & seditiosum tyrannum; inter eum, qui subvertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem, & illum, qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem. De qua plurima sub lege veteri, & sub testamento novo fortium virorum inveniuntur exempla, quæ nos possunt instruere, quid de hujuscemodi facto debeamus sentire.

CAPUT XVI.

De administratoribus, & his, qui preces criminales dictant.

DE administratoribus autem, quia judicia sæcularia secundum legem majorum suorum exercent, quid sacri canones inde sentiant, facile est invenire; nam in decretis Innocentii Papæ cap. XXIII. (a) ita legitur: *Quæsitum est ergo super his, qui post baptismum administraverunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam; de his nihil legimus majoribus definitum. Meminerant (b) enim a Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum, gladium fuisse promissum (c); & Dei minister esse datum, vindicem esse in hujusmodi (d). Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino viderunt (e) esse concessum? De his ergo, ita ut hactenus servatum est, sic habemus [f]: ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsi (g) autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabunt (h).*

Item in ejusdem decretis cap. XXX. (i) scriptum est, quod qui preces criminales dictant, habeantur immunes: *Illud autem sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur. Utique propter [k] baptismi regenerationem a Principibus postulare mortem alicujus vel sanguinem de reatu. Quam rem Principes nunquam sine cognitione concedunt; sed ad iudices commissa ipsa, vel crimina semper remittunt, ut causa cognita vindicetur. Quæ cum quæstori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio, pro negotii qualitate profertur. Et dum (l) legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.*

S s

CA-

a Sic etiam est in corpore canonum, ex epist. III. ad Exuperium Tolosan. Episcopum cap. III. in concil. Refert Burch. lib. 6. cap. 44. & Ivo part. 10. cap. 94. decr. & Anf. lib. 13. cap. 14. & Tarrac. lib. 6. cap. 31. & Grat. 23. q. 4. c. 45. QUÆSITUM. b Rom. 13. c Permissum, Corp. can. & concil. & Burch. & alii. d In hujusmodi vindictam. Corp. canon. vindicem, in marg. vindicem pro vindictam, conc. & Burchard. & alii vindices, Gratian. e Viderent, Corp. can. & conc. Burch. & alii videtur, Grat. f Habeamus, conc. & Ivo & Tarrac. & Grat. g Ipsi, Corp. can. & conc. & Burch. & alii. h Servabuntur, Corp. can. & conc. & Burch. & alii. i Cap. XXV. in Corp. can. ex d. epist. III. cap. V. in concil. Refert Grat. d. q. cap. 46. ILLUD. k Concedatur, utique post, Corp. can. & Grat. concedatur, utique post, Concil. l Refert Ivo part. 10. cap. 94. in fine decr.

322 Pœnitentium Liber Rabani Mauri

CAPUT XVII.

De populi necessario (a) commissu.

DE populi autem necessario commissu, quomodo inultum soleat præteriri, idem Papa quibusdam Episcopis de Macedonia (b) ad interrogata respondens, ita scripsit dicens: *Prævideat ergo dilectio vestra, hactenus talia mansisse (c): & advertite quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace etiam ecclesias constitutas non posse præsumere (d). Sed ut sæpe accidit, quoties a populis, & a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solere transire. Priora ergo dimittenda dico Deo iudicio: de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. Non (e) enim hic, ut mihi videtur, iste doctor Apostolicus dicit non necessarium esse populo pro male commissis agere pœnitentiam, sed quod in omnes propter multitudinem non potest vindicari, priora dimittenda Dei iudicio: de reliquo maxima sollicitudine præcavendum ne fiant.*

CAPUT XVIII.

De furto.

DE furto vero in concilio Agathensi cap. V. (f) ita scriptum est: *Si clericus furtum ecclesie fecerit, peregrina ei communio tribuatur (g).*

Item in eodem concilio cap. XXVI. (h) scriptum est: *Si qui vero clerici documenta, quibus ecclesie possessio firmatur, aut supprimere, aut negare adversariis fortasse tradere damnabili, & puniendi obstinatione præsumperunt; quidquid per abstinentiam (i) documentorum damni ecclesie illatum est, de propriis facultatibus reddant, & communione priventur, etiam qui in damno ecclesie impie sollicitati a traditoribus susceperint.*

CAPUT XIX.

De conjuratione, vel conspiratione.

DE conjuratione, vel conspiratione, in concilio Chalcedonensi cap. XIV. (k) scriptum est: *Conjuratio, vel conspirationis crimen & ab exteris legibus est omnino prohibitum; multo magis hoc in Dei ecclesia ne fiat, admonere conveniet. Si qui ergo clerici (l), vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut clericis, a gradu proprio penitus abiiciantur.*

CAPUT XX.

De his, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant.

DE his vero, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant, in concilio Ilerdensi cap. VII. [m] ita scriptum est: *Qui sacramento se obligaverit, ut litiget (n) cum quolibet, ne ad pacem ullo modo redeat; pro perjuro, uno anno a communione corporis, & sanguinis Domini segregatus, reatum suum elemosynis, & fletibus, & quantum poterit, jejuniis absolvat. Ad caritatem [o] vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.*

CAPUT XXI.

De his, qui noxia juramenta conficiunt, quomodo pœnitere oporteat.

DE iniquo ergo juramento, & ad proximi noxam pertinente, in Toletana Synodo cap. II. [p] ita scriptum continetur: *Etenim dum perjurare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus. Cum vero noxia promissa complemus, & Dei iussa superbe contemnimus, ut proximis impia crudelitate noceamus (q), & nos ipsos crudeliori mortis gladio (r) trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter jugulamur. Restat ergo, ut eo (s) nostra pergat sententia, quo (t) misericordie*

a Vox necessario, non placet. *b* Est in Corp. canon. cap. LVI. ex epist. XXII. cap. VI. in concil. Refert Grat. I. q. 7. cap. 14. QUOTIENS. *c* Transisse, Corp. can. & Concil.

d Sic etiam Corp. canon. non præsumere, concil. *e* Rabani verba sunt.

f Sic est in concil. Refert Gratian. 13. q. 2. cap. 12. CLERICI. in fine.

g Hoc est, inter peregrinos communionem accipiat, non inter clericos ejusdem ecclesie. Vide Agath. cap. 2. & Regiens. cap. 3. & Ilerdens. cap. 16. sic laica communio est inter laicos data. Apost. cap. 15. Eliber. c. 76. & Agath. c. 50. Aurelian. c. 6. Aurel. 3. cap. 2. Syriac. epist. 1. cap. 11. Innoc. ep. 22. cap. 4. Pelag. 2. epist. 2. Felix 3. in syn. Rom. cap. 2. Hadrian. 2. in syn. Rom. cap. 2. & in epist. lecta in synod. 8. CP. act. 7. Basil. ad Amphil. cap. 32.

h Sic etiam in concil. Refert Burch. lib. 3. cap. 183. Ivo. part. 3. cap. 156. decret. Anselm. lib. 5. cap. 76. Cæsaraug. lib. 7. cap. 99. & Gratian. 12. q. 2. cap. 33. si quis. & cap. 40. si quis.

i Per abstinentiam, conc. & Burch. & alii.

k Cap. XVIII. est in Corp. can. ex interpretatione Dionysii. Refert conc. Tullense post epist. synod. & Gratian. 11. q. 1. cap. 22. CONSPIRATIONUM. ex alio interpret.

l Refert Burchard. lib. 10. cap. 68. & Ivo part. 12. cap. 87. decret. & Anselm. lib. 8. cap. 16. & Pœnit. Rom. tit. 6. cap. 18. & Gratian. 12. q. 1. cap. 24. si qui.

m Sic est in concil. Refert Burchard. lib. 12. cap. 17. & Ivo part. 12. cap. 74. decret. & Gratian. 22. q. 4. cap. 11. QUI SACRAMENTO. Vide Troslejan. cap. 11. Pœnit. Rom. 2. cap. 11.

n Ut litigans, conc. & Grat. *o* 1. Pet. 4. b.

p Toletana octava capite secundo, ex concil. Refert Burch. lib. 12. cap. 29. & Ivo part. 12. c. 16. & 84. decret. & lib. 8. tit. 8. cap. 20. Panorm. Cæsaraug. lib. 6. cap. 13. & Gratian. distinct. 13. cap. 1.

q Sic etiam Burchard. & pro ut, & nocemus pro noceamus, concil. & Ivo d. cap. 16. & 84. & in Panorm. & Cæsar. & Grat. *r* Sic etiam Burch. & Ivo d. cap. 16. & 84. & in Panorm. & Cæsar. & Grat. gladio concil.

s Ut hac, conc. Burch. ut Raban. & Ivo d. cap. 84. *t* Qua, conc. quo, Burch. & Ivo.

Matt. 9. die patuerit via. Quæ ita Domino probatur accepta, ut plus eam cupiat, quam sacrificia veneranda, dicente ipso: „ Misericordiam vo- „ lui, & non sacrificium “. Hac indulgentiæ concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi Principis potestatem redigimus: ut quia Deus illi miserandi [a] aditum patefecit; remedia pietatis, ipse quoque non deneget, quæ ita principali discretionem moderata persistant, ut & illis ita sit, quatenus [b] misericordia contributa, ut nusquam (c) gens, aut patria per eosdem aut periculum quodcumque perferat, aut iacturam: hæc miserationis obremperasse sufficiat. Caterum quia [d] iuramenta pro regni potestatis salute, vel constitutione [e] gentis, & patriæ, vel hætenus sunt exacta, vel deinceps extiterunt [f] exigenda; omni custodia, omnique vigilantia indissolubiliter decernimus obseruanda, membrorum truncatione mortisque sententia, religione penitus absoluta. Sed ne pravæ mentium versuta nequitia nosmet ad perjurii aliquando provocet culpam; neve a sanctæ Fidei regula hanc adserat venire sententiam, tam divinæ auctoritatis oracula, quam præcedentium Patrum (g) huic narrationi curavimus innectenda (h). Sic enim per

Hier. 18. Hieremiam dixit: „ Repente loquar adversus „ gentem, adversus regnum, ut eradicem, & „ disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens „ illa a malo suo, quod loeutus sum adversus „ eam, agam & ego pœnitentiam super malo, „ quod cogitavi, ut facerem ei “. Et per Ezechielem (i): „ Si dixerò, inquit, iusto quod „ vita vivat, & confusus in iustitia sua fecerit „ iniquitatem, omnes iustitiæ eius oblivioni „ tradentur: & in iniquitate sua, quam ope- „ ratus est, in ipsa morietur. Si autem dixe- „ ro impio, morte morieris, & egerit pœni- „ tentiam, vita vivet, & non morietur “. Si ergo nostra conversio sic divinam mutat sententiam, cur miserorum tanta lacrymæ, vel pressura tam crudam non temperent ex mise-

ratione vindictam. Hinc populo etiam Israeli- tico sæpe ultio promissa suspenditur: Ninevi- tarum (k) perditio divina sententiæ permuta- tione sedatur (l). Nam sanctus Ambrosius in libro tertio de Officiis cap. XII. (m) ita ait: „ Purum igitur, ac sincerum oportet esse effe- „ ctum, ut unusquisque simplicem sermonem „ proferat: vas suum in sanctitate possideat, „ ne fratrem circumscriptione verborum indu- „ cat (n) nihil promittat inhonestum. At si „ promiserit, tolerabilius est promissum non „ facere, quam facere, quod turpe sit. Sæpe ple- „ rique (o) constringunt seipso jurisjurandi sa- „ cramento: ut ipsi cognoverint promittendum „ non fuisse sacramentum, tamen (p) contem- „ platione faciunt, quod sponderunt. Sicut „ de Herode supra scripsimus, qui saltatrici „ præmium turpiter promisit, crudeliter sol- „ vit: Turpe, quod regnum pro saltatione „ promittitur: crudele, quod mors Prophetæ „ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto „ tolerabilius tale fuisset perjurium sacra- „ mento “. Et post pauca de Jephthe [q] discer- „ nens: „ Miserabilis necessitas, quæ solvitur par- „ ticidio. Melius est non vovere (r) id, quod „ sibi is, cui promittitur, nolit exolveri “. Et „ post paululum: „ Non semper [s] igitur pro- „ missa solvenda omnia sunt. Denique ipse „ Dominus, sicut Scriptura indicat, frequenter „ suam mutat sententiam “. Vir quoque sanctis- „ simus Augustinus, investigationis acumine acu- „ tus: „ Inveniendi aditus patet (t), minora sem- „ per eligantur. Quia & qui murorum ambitu „ ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præci- „ pitat, ubi brevior murus invenitur “. Hinc „ & Isidorus (u) ait: „ Tolerabilius est enim „ non implere sacramentum, quam permanere „ in stupri flagitio “. Similiter in Synonymis „ (x): „ In malis promissis rescinde fidem; in „ turpi voto muta decretum; quod incaute „ vovisti, ne facias. Impia est promissio, quæ „ scelere adimpletur “. „ Unde necesse est (y), ut male jurans dignam

Ambros.

Matt. 14.

Augustin.

Isidorus.

S. s. 2. pœni-

a Sic Burch. miserandi, concilii & Ivo. b Sic aliquatenus, conc. ita sit, Burchi & Ivo.
 c Et pro ut, conc. ut, Burch. ut & nusquam, Ivo. d Quæcumque, conc. que, Burch. ceterum, Ivo.
 e Et conutatione, conc. Burch. ut Raban. & Ivo. f Extiterint, conc. & Burch. & Ivo.
 g Patrum asserta, conc. Patrum, Burchard. & Ivo.
 h Adduntur alia in conc. ea non habent Burchi & Ivo habet Grat. 22. q. 4. cap. 9. INCOMMUTABILIS.
 i Ezech. 33. cap. k Ninivitarum.
 l Adduntur alia in concilii ex Ambrosio lib. 1. de officiis cap. 50. non sunt apud Burch. & Ivo.
 m Refert Ivo parte 12. cap. 17. de cr. Cæs. lib. 6. cap. 14. & Grat. 22. q. 4. cap. 8. UNUSQUISQUE.
 n Sic Burch. & Ivo, & Cæs. & Grat. seducat, concilii. o Ivo lib. 8. & tit. 8. cap. 16. Panorm.
 p Sacramenti tamen, concilii & Ivo d. cap. 17. & Cæs. & Grat. d. c. 16. & jus sacramenti, tamen, Burch.
 q Judic. 11. f. g. r Quam vovere, additur in conc. & apud Grat. non habet Burch.
 s Gratian. 22. q. 4. cap. 12. NON SEMPER.
 t Mendosus locus ex conciliis sanandus, item ex Burch. laudatur principio B. Augustinus: investigationis ac-
 cumine cautus, inveniendi arte precipuus &c. mox eius verba ponuntur: Duo sunt omnino genera mendaciorum &c.
 postea ex libris moralibus B. Gregorii referuntur illa: Quia ergo Beemoth, &c. Nervi testicularum &c. ut apud
 Gratian. dist. 13. cap. 2. Postea additur: Ut cum mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omnino
 nullus sine peccato aditus evadendi patet &c. Investigationis acumine acutus, habet Burch. qui verbor. Gregorii ini-
 tium facit ab illis: Cum mens &c. evadendi aditus patet.
 u Sic etiam Burch. d. cap. 29. in lib. sententiar. secundo, additur in conc. ubi laudes Isidori scriptæ sunt.
 Vide lib. 2. cap. 31. sententiar. de summo bono. Refert Burch. lib. 12. cap. 10. & Ivo lib. 8. tit. 8. cap. 25.
 part. 1. Panorm. & part. 12. cap. 36. & 67. decret. & Gratian. 22. q. 4. cap. 13. NON EST.
 x Refert Ivo d. part. 12. cap. 12. & Cæs. lib. 6. cap. 11. & Grat. cap. 5. IN MALIS. d. q. 4.
 y Rabani verba sunt, quæ habet etiam Burch. d. cap. 29. & cap. 7. lib. e. 12. & Ivo part. 12. cap. 64.
 decret. & Grat. d. q. 4. c. 14. & 15.

Exod. 20. pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vano (a); quia in Exodo scriptum est: *Nec enim inson-tem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra.* Et in Levitico (b): *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tui: ego Dominus.* Tamen malum, quod facturum se sacramento devoverat, omnino non faciat: quoniam stulta vota frangenda sunt.

CAPUT XXII.

De his, qui ad ecclesiæ patrociniū confugiunt, ne tradantur persequentibus se sine fœdere pacti.

DE his ergo, qui ad ecclesiæ patrociniū confugiunt, ne tradantur, in concilio A- raulicano cap. V. (c) ita scriptum est: *Eos au-tem, qui ad ecclesiam confugerint, tradi non oportet; sed loci sancti reverentia, & inter- cessione defendi.* In concilio Aurelianensi cap. 1. (d) de homicidiis, & adulteriis, & furibus, si ad ecclesiam confugerint, ita scriptum est: *Id constituimus observandum, quod ecclesiastici ca- nones decreverunt, & lex Romana constituit; ut ab ecclesiæ atris, vel domo Episcopi eos abstrahere (e) omnino non liceat: sed nec al- tari (f) consignari, nisi ad Evangelia datis sacramentis, de morte, & debilitate, & om- ni pœnarum genere sint securi; ita ut ei, cui reus fuerit criminofus, de satisfactione conveniat. Quod si sacramenta sua convictus fuerit violasse reus periurii, non solum a com- munione ecclesiæ, vel omnium clericorum, verum etiam, & a catholicorum convivio se- paretur. Quod si cui reus est, noluerit sibi in- tentione (g) faciente componi, & ipse reus de ecclesiâ actus timore discesserit, ab eccle- siâ clericis non quærat.*

Item in eodem concilio cap. II. (h) scriptum

est de raptoribus, si ad ecclesiam confugerint: *De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rap- ta convenerit (i), & fœminam ipsam vio- lentiam pertulisse constiterit, statim libere- tur de potestate raptoris: & raptor, mortis, vel pœnarum impunitate concessa, ad serviend- um (k) subjectus sit, aut redimendi se libe- ram habeat facultatem. Si vero quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur: & raptor a patre superioris conditionis satis- factione teneatur obnoxius.*

Item in eodem concilio cap. III. (l) scri- ptum est de servis, si ad ecclesiam confugerint: *Servus, si ad ecclesiam confugerit pro qua- libet culpa, si a domino ommissa [m] culpa sa- cramentum susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur. Et postea quam dato sacramento domino suo fuerit consigna- tus, si aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excusatur, probatus fuerit pertulisse; pro con- temptu Ecclesiæ, & prævaricatione fidei a communionem, & convivio catholicorum, sic- ut superius comprehensum est (n), extraneus habeatur. Si vero servus pro culpa sua ab Ec- clesiâ defensatus, sacramenta domini clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem, a Domino liceat occupari.*

CAPUT XXIII.

De his, qui divinationes expetunt, & in- cantationibus, sive auguriis deserviunt.

IN Ancyrano concilio cap. XXIV. (o) de his, qui divinationes expetunt, & morem Gen- tilium subsequuntur, aut in domos suas hu- jusmodi homines introducunt, exquirendi a- liquid arte malefica, aut expiandi causa; sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos (p).

Item

a In vanum, Burch. & Ivo, & Grat. b Levit. 19.

c Sic etiam est in conc. Refert Burch. lib. 3. cap. 195. & Ivo part. 3. cap. 112. decr. & Grat. dist. 87. cap. 6. eos. d Sic est apud Isidor. Mercatorem cap. 3. in Coloniens. editione. Refert Burch. lib. 3. cap. 190. & Ivo part. 3. cap. 187. decr. & Grat. 17. q. 4. cap. 36. ID CONSTITUIMUS.

e Reos pro eos, conc. vel a claustris, quia hæc pro emunitate habentur, eos abstrahi, Burch. immunitate, Ivo & abstrahere, cetera, ut Burchard. & Gratian. & Raban.

f Alteri consignare, conc. & Ivo, ut Gratian. & alteri consignari, Burchard.

g Intentione, conc. Burchard. ut Raban. & Ivo, & Gratian.

h Sic etiam Isidor. Mercat. cap. 4. Colon. Refert Burch. lib. 3. cap. 191. & Ivo lib. 2. tit. 7. cap. 1. Panorm. & part. 3. cap. 108. decret. Anselm. lib. 18. cap. 57. Casaraug. lib. 10. cap. 88. & lib. 15. cap. 69. & Grat. 36. q. 1. cap. 3. DE RAPTORIBUS. i Confugerit, conc. & Burch. & alii.

k Aut serviendi conditioni, conc. & Cæsar. d. cap. 69. liberam habeat eundi facultatem. Si vero parentes mulie- ris ecclesiasticis viris obedire noluerint, excommunicentur, Burch. & Ivo in Panorm. & in decret. aut ad serviendum, Anselm. & Gratian. aut servituti, Cæsar. d. cap. 88.

l Sic etiam in collect. Isidor. Mercat. cap. 5. Colon. edit. Refert Burch. d. lib. 1. cap. 192. & Ivo lib. 2. tit. 8. cap. 2. Pan. & d. part. 3. cap. 109. decr. & Grat. 17. q. 4. cap. 36. ID CONSTITUIMUS.

m Pro admissa culpa, conc. & Gratian. pro commissa culpa, Burchard. & Ivo.

n His carent concilia, & Gratian. Burchard. ut Rab. & Ivo.

o Cap. XXXIII. in Corp. can. ex interpretatione Dionysii Exigui cap. XXIV. est Græcis. Refert Burch. lib. 10. cap. 5. Ivo lib. 8. tit. 5. c. 2. Pan. & part. 11. c. 12. decr. Pœnit. Rom. tit. 6. c. 11. & Gratian. 26. q. 5. c. 2. QUI DIVINATIONES. Vidend. Martin. Bracar. c. 71. & conc. Troslej. c. 15. & Leo IV. in e- pist. ad Episcopos Britannia c. 4. & Capitul. lib. c. 21. in addit.

p Apertius hæc Græci scribunt, qui triennio subjectos esse definiunt, biennio in oratione sine oblatione. Vide Gregor. Thaumaturg. κατὰ δὲ βιβλίοις τοῖς ὡς τριμνοῖς, τρία ἐπὶ ὑποπτώσεως, καὶ δύο ἐτηδύχης χάρις προσφορᾶς. Vide supra cap. 3.

CAPUT XXIV.

Item in concilio Laodicensi cap. XXXVI. [a] de his, qui incantationibus & phylacteriis utuntur, ita scriptum est: Quod non oporteat sacris officiis deditos, vel clericos magos, aut incantatores existere, aut facere phylacteria, quæ animarum suarum vincula esse comprobantur: eos autem, qui his utuntur, ab ecclesia pelli precipimus.

In concilio Agathensi (b) de sortilegiis [c], vel augurium servantibus, ut ab Ecclesia separentur, cap. XLII. scriptum est: Ne [d] de eo fortasse videatur omissum, quod maxime fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti clerici, sive laici student auguriis, & sub nomine fictæ religionis, qua (e) Sanctorum sortes divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque [f] inspectione futura promittunt; hoc quicumque clericus, vel laicus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

Item in concilio Toletanensi cap. XXIX. (g) ita scriptum est: Si quis Episcopus, aut presbyter, sive diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum magos aut aruspices, aut ariolos (h), vel sortilegos, aut eos, qui profitentur artem aliquam curiosam [i], aut aliquis eorum similia exercentes consulens (k) fuerit deprehensus; ab honore dignitatis suæ depositus, monasterii curam (l) excipiat: ibique perpetuæ penitentia deditus, scelus admissum sacrilegi solvat.

In synodo Martini cap. LIX. [m] ita scriptum est: Non liceat sacerdotibus, vel clericis, incantatores esse, & ligaturas facere: quod est colligatio animarum, Si quis hæc facit, de ecclesia proniciatur.

Quod non liceat Christianis servare traditiones Gentilium; nec ullis observationibus festis eorum communicare.

Item in eadem synodo cap. LXXII. (n) scriptum est: Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, & observare lunæ, aut stellarum cursum. Non liceat Christianis observare, vel colere elementa, aut lunæ, aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam, pro domo facienda, vel segetibus, vel arboribus plantandis, vel conjugis sociandis: Scriptum est enim: „ Omnia [o], quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo “ (p).

Item in eodem concilio cap. LXXII. (q) ita scriptum est, quod non liceat Kalendas observare: Non liceat iniquas observationes agere Kalendarum, & otiosis vacare rebus [r]; neque lauro, aut viriditate arborum circuire [s] domos. Omnis hæc observatio paganismi est.

Item in eodem concilio cap. LXXIII. [t] scriptum est, quod non liceat medicinales herbas aliqua (u) observatione colligere: Non liceat in collectione herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes intendere (x), nisi tantum cum symbolo divino, & oratione Dominica, ut tantum Deus creator omnium, & dominus honoretur.

In concilio Laodicensi cap. XXXIX. [y] scriptum est de his Christianis, qui celebrant festa Gentilium: Quod non oporteat cum Gentilibus festa celebrare, & communicare pravitatibus eorum, qui sine Deo sunt.

CA.

a Sic etiam est in Corpore canon. ex Dionysii interpretatione. Refert Ivo lib. 8. tit. 5. cap. 3. Panorm. & parte. 11. cap. 3. decret. Grat. 26. q. 5. cap. 4. NON OPORTET. Vidend. Martin. Bracar. cap. 60. & conc. Agathens. cap. 68. & Capitul. lib. 1. cap. 21.

b Sic est in concil. Refert Burch. lib. 10. cap. 27. & Ivo lib. 8. tit. 6. cap. 1. Panorm. & part. 11. cap. 4. decret. & Grat. d. q. 5. cap. 6. ALIQUANTI. Vide conc. Venet. cap. 16.

c De sortilegis, conc. aptius. d Ac ne id, conc. Agathens. At ne fortasse id, Venet. Nec illud est perseverandum, Burch. e Per eas, quas Sanctorum sortes vocant, conc. Agath. & Ivo in Pan. & in decret. & Grat. per eas, non est in Venet. cetera ut in Agath. quam sortes sanctorum vocant, Burch.

f Scripturarum, addunt conc. Agath. & Vener. & Burchard. & alii.

g Toletano IV. cap. 28. in conc. Refert Burch. lib. 10. cap. 48. & Ivo lib. 3. tit. 15. cap. 3. & lib. 8. tit. 5. cap. 4. Pan. & part. 11. cap. 5. & 73. decret. & Anselm. lib. 11. c. 122. & Grat. d. q. 5. c. 5. SI QUIS.

h Sic etiam Burch. & Anselm. aut certe augures, addunt concilia & Ivo, & Gratian.

i Artem magicam, conc. & Ivo, & Grat. vox curiosam, omittitur a Burchardo.

k Aut aliquem eorum sublimia, exercentem consuluisse, conc. aliquos pro aliquis, Burchard. & Anselm. cetera ut Raban. aliquos, Ivo & Gratian. & consuluisse, cetera, ut Raban.

l Censuram conc. monasterium ingressus, Burch. & Anselm. curam, Ivo & Grat.

m Cap. LX. in collect. Isidori Mercat. cap. LXI. in Colon. Non est autem synodus Martini, sed Martini Episcopi Brac. collect. ex Orientis conciliis. Hoc vero caput sumpsit ex Laodicens. cap. 36. de quo supra dictum est. n Martini Bracar. cap. LXXII. & LXXIII. apud Isidor. Mercat. cap. LXXIII. in editione Colonienf. Refert Burch. lib. 10. cap. 13. & Ivo parte 11. c. 40. decret. & Grat. 26. q. 5. cap. 3. NON LICEAT.

o Ad Coloss. 3. cap. p Addit alia Burch. & Ivo. q LXXIV. Martin. in concil. Refert Burch. lib. 10. cap. 15. & Ivo part. 11. cap. 42. decret. & Gratian. 26. q. 7. cap. 13. NON LICET.

r Et otiosis vacare gentilibus, conc. vocem Gentilibus omittit Burch. & Ivo, & Grat.

s Cingere, concil. & Burch. & Ivo, & Grat. t Cap. LXXV. Martini, in conc. Refert Burch. lib. 10. cap. 20. Ivo part. 11. cap. 47. decret. & Grat. 26. q. 5. cap. 3. NON LICEAT. p. 1. u Cum aliqua, conc.

x Attendere, conc. & Burch. & Ivo, & Gratian.

y Sic etiam est in Corpore canonum ex Interpretatione Dionysii Exigui.

326 Pœnitentium Liber Rabani Mauri

CAPUT XXV.

Quod non sit cum paganis convivendum.

IN concilio Africano cap. XXVII. (a) scriptum est de Paganorum conviviis auferendis: Illud etiam perendum, ut quoniam contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentili adtracta sunt; ita ut nunc a Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur, vetari talia iubeant; & de civitatibus, & possessionibus imposita pœna prohiberi: maxime cum etiam natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident, quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exercent, ut matronalis honor, & innumerabilium sceminarum pudor devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientium appetatur: ut etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus.

In decretis Leonis Papæ cap. XXX. (b) scriptum est de his, qui convivio Gentilium, & escis immolaticis usi sunt: Si qui convivio solo Gentilium, & escis immolaticis usi sunt; possunt jejuniis & manus impositione purgari: ab idolothytis absistentes, sacramentorum Christi possunt esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

CAPUT XXVI.

De Christianis, qui cum Judæis vescuntur, & quod Judæis non liceat habere Christianas uxores, vel concubinas, seu mancipium Christianum.

IN concilio Elibetano cap. LV. [c] scriptum est de Christianis, qui cum Judæis vescuntur: Si vero quis clericus, vel fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstinere (d), ut debeat emundari (e).

In concilio Toletanensi cap. XIV. [f] scriptum est de Judæis: Suggeste concilio, id gloriosissimus Dominus noster (g) canonibus inferendum præcepit, ut Judæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas;

neque mancipium Christianum in usus proprios comparare. Sed & filii [h], qui ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum: nulla officia publica eos opus est agere [i], per quæ eis occasio tribuatur, pœnam Christianis inferre. Si qui vero Christiani ab eis Judæis in ritu (k) sunt maculati, vel etiam circumcisi, non reddito pretio, ad libertatem, & religionem redeant Christianam.

CAPUT XXVII.

Quod non congruat Christianis, comestationibus interesse, nec histriones fieri, nec saltare in nuptiis, neque in conviviis.

IN concilio Laodicensi cap. LV. (l) scriptum est, non congruere Christianis, comestationibus interesse: Quod non oporteat sacerdotes, aut clericos ex collatis, vel comestationibus convivia celebrare. Hoc autem ne laicis posse congruere.

In concilio Africano cap. XXX. [m] scriptum est de histrionibus, Christianis factis: Et de his etiam perendum, ut si quis ex qualibet ludrica arte ad Christianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permovere, non eum liceat a quocumque iterum ad eadem exercenda reduci, vel cogi.

In concilio Laodicensi cap. LIII. (n) scriptum est, ut in Christianorum non saltetur nuptiis: Quod non oporteat Christianos euntes ad nuptias plaudere (o), vel saltare: sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut Christianos decet.

CAPUT XXVIII.

Ut ad mensam Episcopi scripturæ divinæ legantur, & quod sacris ordinibus deditos viros non conveniat ebrietatem sectari.

IN concilio Toletanensi cap. XII. [p] scriptum est, ut ad mensam Episcopi scripturæ divinæ legantur: Pro reverentia Dei, & sacerdotum, id universa sancta constituit synodus, ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio scripturarum divinarum misceatur. Per hoc enim & animæ edificantur ad bonum, & fabulæ non necessariae prohibentur.

In canone Apostolorum c. XLII. (q) scriptum est, quod Episcopus, presbyter, aut diaconus alea-

^a Sic etiam est in can. Græcis est cap. LXI. ^b Sic etiam est in Corp. can. ex epist. 90. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 17. in concil. ^c Cap. L. est in concil.
^d Sic est in conc. editis. abstinere, in veteribus. ^e Emundari, conc.
^f Toletano IV. cap. XIV. in conc. Refert Grat. dist. 54. cap. 14. NULLA. ^g Rex, addunt conc.
^h Filios, conc. ⁱ Eis injunguntur, conc. & Grat. ^k Judaismi ritu, conc. in judaismo ritu, Grat. non recte.
^l Sic etiam est in Corp. can. ex interpretatione Dionysii Exigui, Græcis est cap. 54. Refert ex alio interprete Grat. dist. 44. c. 10. NON OPORTET. Vidend. Martin. Brac. cap. 62.
^m Sic est in Corp. can. Græcis est Carthag. cap. IV. ⁿ Sic etiam est ex Dionysii interpretatione in Corpore canon. ^o Græci ballere, vel saltare, Isidor. Mercat.
^p Toletano tertio cap. VII. in conc. Refert Burchard, lib. 2. cap. 169. & Ivo part. 6. cap. 260. decret. & Gratian. distinct. 44. cap. 11. PRO REVERENTIA.
^q Sic est in Corp. can. ex Dionysii interpretatione. Refert Burchard, lib. 14. cap. 5. Ivo lib. 3. tit. 15. cap. 4. Pan. & part. 13. cap. 73. de cr. Casaraug. lib. 8. cap. 50. & 100. & Grat. dist. 35. cap. 1.

aleator, & ebriofus esse non debeat: *Episcopus, presbyter, aut diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur* (a).

CAPUT XXIX.

De continentia, & castitate clericorum.

IN concilio Carthaginensi cap. III. [b] de continentia, & castitate clericorum ita scriptum est: *Aurelius Episcopus dixit: Cum præterito concilio de continentia, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti res, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos (c) inquam, presbyteros, & diaconos ita placuit, ut concederentur sacros antistites, ac Dei sacerdotes, nec non & levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt continentibus esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare. Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus* (d).

CAPUT XXX.

Quod non debeant sacerdotes quaslibet in ecclesiæ familiis truncationes facere; nec aliquid, quod morte plectendum sit iudicare.

IN concilio Toletanensi cap. VI. (e) scriptum est, non debere sacerdotes quaslibet in ecclesiæ familiis truncationes facere; nec aliquid, quod morte plectendum, iudicare: *His vero, a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet; & ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria iudicare præsumant: aut truncationes quaslibet (f) personis, aut per se inferant, aut inferenda [g] præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in ecclesiæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore privatus [h], & loco, sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est, propter Domini misericordiam, qui non vult (i) peccatoris mortem, sed ut convertatur, & vivat.*

CAPUT XXXI.

De clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt.

IN concilio Ilerdensi cap. XI. (k) scriptum est de clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt: *Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumelia (l) pertulerit, a Pontifice districtius vindicetur.*

CAPUT XXXII.

De avaritia, & cupiditate; & quod non sit usura exigenda.

IN concilio Carthaginensi cap. V. (m) de avaritia scriptum est: *Aurelius Episcopus dixit: avaritiæ cupiditas detestanda, quam rerum omnium malarum matrem esse, nemo dubitat. Proinde inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos Patrum statutos transcendat; nec cuiquam clericorum liceat, de qualibet re fœnus accipere: quamquam novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis, formam accipient, cæterum de quibus apertissime divina scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Universum concilium dixit, Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.*

In concilio Toletanensi cap. XXXIII. (n) scriptum est de avaritiæ malo: *Avaritiæ radix [o] cunctorum malorum, cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore (p) Christi, & Martyrum in parochiis Episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt, sacerdotes hæc auferunt, atque in usus suos convertunt. Inde est, quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruina non reparantur, quia avaritiæ sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est (q) a præsentis concilio, Episcopos ita dioceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre: sed iuxta priorum auctoritatem conciliorum, tam de oblationibus, quam de tributis (r), ac frugibus tertiam partem consequantur. Quod si amplius quippiam ab eis*

a Καταπέσιω, Græci, hoc est, deponatur. b Sic est in Corp. can. & Græce, Carthagin. III. cap. II. & in conc. Refert Grat. dist. 84. cap. 3. CUM IN PRÆTERITO.
c Refert Ivo lib. 3. tit. 8. cap. 10. Panorm. & Gratian. distinct. 31. cap. 3.
d Adduntur alia in concil. & apud Grat. quorum pars est in Corp. can. c. 4. & Græce c. 4.
e Toletano XI. cap. VI. in concil. Refert Burch. lib. 1. c. 201. Ivo part. 5. c. 315. decr. Anf. lib. II. c. 60. in Rom. Cæsaraug. lib. 5. c. 62. Tarrac. lib. 4. cap. 69. & Grat. 23. q. 8. c. 30. HIS A QUIBUS.
f Quibuslibet personis, concil. & Burch. & alii. g Inferendas, conc. & Burch. & alii.
h Tarracon. privetur, concil. & Burchard. & alii. i Ezech. 18. g. 33. cap.
k Sic est in concil. Refert Grat. 17. q. 4. c. 19. NULLUS. in fine. l Excessu contumeliam, conc. & Grat.
m Sic etiam est in Corp. can. & Græce. Vide Carthag. 1. c. 13. & Capitul. lib. 1. c. 33.
n Toletano IV. cap. XXXIII. in conc. Refert Burch. lib. 3. c. 203. Ivo part. 3. c. 255. decr.
o Adde, est, Vide 1. Tim. 6. b. p In honorem, conc. Burch. ut Rab. & Ivo. q Grat. 16. q. 1. c. 60.
r Quam de decimis, tributis, concilia Colonienf. sed Isidor. Mercat. ut Raban. & Gratian. Quam de decimis & de tributis, Burchard. & Ivo in veteri conciliorum libro, ut Raban.

*eis præsumptum extiterit, per concilium restau-
retur: appellantibus aut ipsis conditoribus,
aut certe propinquis eorum, si iam illi a sæ-
culo discesserunt. Noverint [a] autem condito-
res basilicarum, in rebus, quas eisdem ec-
clesiis conferunt, nullam potestatem habere:
sed juxta canonum instituta, sicut ecclesiam,
ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi
pertinere.*

In concilio Nicæno cap. XVII. [b] de cle-
ricis usuras accipientibus scriptum est: Quod
[c] multi sub regula constituti avaritiam &
turpia lucra sectantur, oblique divina scri-
pturæ dicentis: „ Qui pecuniam (d) suam non
„ dedit ad usuram“, muruum dantes, cente-
simos (e) exigunt: juste censuit sancta, & ma-
gna synodus, ut si quis inventus fuerit post
hanc definitionem usuras accipiens, aut ex in-
ventione aliqua, vel quolibet modo negotium
transgens: aut hemiola, id est sercupla exi-
gens, vel aliquid tale prorsus excogitans tur-
pis lucri gratia: deiiciatur a clero, & alie-
nus existat a regula.

In decretis Leonis Papæ cap. III. [f] scri-
ptum est, quod usuram non solum clerici exi-
gere non debeant, sed nec laici Christiani:
Nec hoc quoque prætereundum esse duximus,
quosdam lucri turpis cupiditate captos, usu-
ras jam exercere (g), quod nos, non dicam
in eos, qui sunt in clericali officio constituti,
sed & in laicos cadere, qui Christianos se di-
ci cupiunt, condolemus, quod vindicari acrius
in eos, qui fuerint confutati, decernimus, ut
omnis peccandi opportunitas adimatur.

CAPUT XXXIII.

De apostatis.

IN decretis Syricii Papæ cap. III. (h) de a-
postatis scriptum est: Adjectum est etiam
quosdam Christianos ad apostasiam, quod dici
nefas est, transeuntes, & idolorum cultu, ac
sacrificiorum contaminatione profanatos, quos
Christi corpore, & sanguine, quo dudum re-

dempti fuerant, renascendo, jubemus abscin-
di. Et si resipiscentes forte aliquando fuerint
ad lamenta conversi, his, quamdiu vivunt,
agenda pœnitentia est, & in ultimo fine suo
reconciliationis gratia tribuenda: quia docente
Domino „ Nolo (i) mortem peccatoris, sed
„ tantum (k) convertatur, & vivat“.

In concilio Arelatensi cap. XXII. (l) de a-
postatis scriptum est: Qui tardius revertuntur,
nisi per dignam pœnitentiam non recipiantur.
De his, qui apostatant, & nunquam se ad
Ecclesiam representant, nec quidem pœniten-
tiam agere querunt, & postea infirmitate
arrepti, petunt communionem, placuit, non
dandam eis communionem, nisi revelaverint
(m), & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

In eodem concilio cap. XXV. (n) de apo-
statis, si non revertantur, scriptum est: Hi,
qui post sanctæ religionis professionem apostat-
ant, & ad sæculum redeunt, & postmo-
dum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine
pœnitentiâ communionem penitus non acci-
pant: quos etiam jubemus ad clericatus of-
ficium non admitti. Et quicumque ille (o),
post pœnitentiâ habitum sæcularem non præ-
sumat: quod si præsumperit, ab Ecclesia a-
lienus habeatur.

CAPUT XXXIV.

De professione monachi.

IN synodo Toletana cap. LIX. (p) scriptum
est de professione monachi: Monachum aut
paterna devotio, aut propria professio facit.
Quidquid horum fuerit alligatum, tenebit.
Proinde his ad mundum reverti interdiximus
aditum [q], & omnes ad sæculum interdi-
cimus regressus.

CAPUT XXXV.

De pœnitentiæ temperamento, & quando re-
conciliandi sunt ipsi pœnitentes.

IN Africano concilio cap. X. [r] de pœni-
tentibus ita scriptum est: Ut pœnitentibus
secun-

^a Refert Ivo lib. 2. tit. 1. cap. 4. Panorm. & Gratian. 10. q. 1. cap. 6.

^b Sic etiam est in Corp. can. & Dionysii interpretatione. Refert Burch. lib. 2. c. 120. Ivo part. 6. cap. 196. & part. 13. c. 8. decr. Anselm. lib. 7. cap. 153. in addit. Cæsaraug. lib. 8. c. 77. & Grat. dist. 47. c. 2. Vidend. Martin. Bracar. c. 62. & Grat. 14. q. 4. c. 4. & 8. & Capitul. lib. 1. c. 5.

^c Quoniam multi, Corp. can. & Burchard. & alii. ^d Psalm. 14.

^e Centesimas, Corp. can. & Burchard. & alii.

^f Sic est in Corp. can. ex epist. 1. ad Episcopos Campaniæ c. 3. in conc. Refert Burch. lib. 2. c. 123. Ivo part. 6. c. 65. decr. Anf. lib. 7. c. 149. in addit. & Grat. 14. q. 4. c. 7. NEC HOC,

^g Usurariam exercere pecuniam. Corp. can. & conc. in quib. additur, & favore velte ditescere, & apud Bur-
chard. & alios. ^h Sic est in Corp. can. & in conc. epist. 1. ad Eumerium Tarracon. Episcopum.

ⁱ Nolumus, Corp. can. sed ut conc. ^k Sed tantum ut, corp. Can. sed ut, conc.

^l Capit. XXIII. in concil. ^m Nisi revelaverint, concil.

ⁿ Arelatensi secundo cap. XXV. in concil. Refert Burchard. lib. 19. cap. 67. & Ivo part. 15. cap. 81. & Grat. dist. 50. cap. 68. HI QUI. Vidend. Capitular. lib. 6. cap. 139.

^o Ille sit, concil. ille est, Burchard. & Ivo, sed Gratianus ut concil.

^p Toletana IV. cap. XLVIII. in concil. Refert Burchard. lib. 8. cap. 6. Ivo part. 7. cap. 30. decr. An-
selm. lib. 7. cap. 193. in addit. Tarrac. lib. 5. cap. 15. & Gratian. 20. q. 1. cap. 3. MONACHUM. Vide concil.
Vormaciens. cap. 23. ^q Intercludimus aditum, conc. & Burch. & alii. recludimus aditum, Tarrac.

^r Sic etiam Corpus can. ex concil. Carthagin. III. cap. XXXI. & XXXII. in concil. Carthagin. cap. XLIII.
Græcis. Refert conc. Troslej. c. 13. Capitul. lib. 5. c. 53. & lib. 7. c. 30. Burch. lib. 19. c. 40. & 70. Ivo
part. 15. cap. 3. decr. Anselm. lib. 11. cap. 20. Cæsaraugustan. lib. 15. cap. 46. Pœnitent. Rom. tit. 9.
cap. 7. & Gratian. 26. q. 7. cap. 5. pœnit. & q. 6. cap. ult.

secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & ut presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia Episcopi [a] necessitate cogente. Cujuscumque autem pœnitentis publicum, & vulgarissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam (b) manus ei imponatur.

In decretis Innocentii Papæ cap. VII. [e] de pœnitentibus scriptum est: De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægrotudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, & lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit satisfactionem. Sane quisquis in ægrotudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Pascha relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.

CAPUT XXXVI.

De his, qui in pœnitentia positi vita excefferunt.

In concilio Arelateni cap. XII. [d] scriptum est de his, qui in pœnitentia positi vita excefferunt: Placuit nullum communionem vacuum dimitti, sed pro eo, quod oravit pœnitendo [e], oblatio illius recipiatur.

In concilio Arausicano cap. III. (f) scriptum est de pœnitentibus, qui de corpore exeunt: Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione, eis [g] communicare: quod morientis sufficit consolationis (h) secundum definitionem congruentem (i), viaticum nominaverunt. Ut (k) si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

CAPUT XXXVII.

De his, qui pœnitentiam violantes spernunt & rursus prævaricantur.

In concilio Aurelianensi cap. IV. [l] scriptum est de his, qui pœnitentiam violant: Eos vero [m] qui susceptam pœnitentiam religionemque suæ professionis obliti, ad sæcularia relabuntur, placuit a communione suspendi, & ab omnium catholicorum conviviiis separari. Quod si post interdictum, cum eo quisque præsumpserit manducare, & ipse communione privetur.

In concilio Toletano cap. LV. (n) scriptum est: De sæcularibus accipientibus pœnitentiam qui se torondere [o], & rursus prævaricantes laici effecti sunt: Compreheni ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam (p) irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, vere ut postea coram (q) Ecclesia anathematis sententia condemnetur. Non aliter & hi, qui detonsi a parentibus fuerint, aut sponte sua missi (r) parentibus se ipsos religioni devoverunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, & iidem a sacerdote comprehensi, ad cultum religionis, ad ea prius pœnitentia, revocentur. Quod si reverti (s) non possunt apostata, anathematis sententia abiciantur [t]. Quæ forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctum monialem habitum induere [u], & postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.

CAPUT XXXVIII.

Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda.

In decretis Cælestini Papæ cap. XV. (x) scriptum est, quod nulli sit ultima pœnitentia

a Nisi absentia Episcopi, Corp. Can. nisi absente Episcopo, conc. Burch. ut Raban. & Anselm. nisi absente Episcopo, Grat. ἐν τῇ ἀπουσίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, Græci.

b Ante absidem, Corp. can. & concil. & Capit. & Anselm. ante absida, id est atrium ecclesiæ, Gratian. περὶ εὐσχηδῶ, Græci. Absis fornix esse dicitur Græcis, & in Pontificali.

c Sic est in corp. can. Ex epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum cap. VII. in concil. Refert Burchard. lib. 18. cap. 18. Ivo part. 15. cap. 49. decret. Anselm. lib. 11. cap. 26. Cæsar. lib. 15. cap. 29. Tarrac. lib. 4. cap. 36. & Grat. de consecr. dist. 3. cap. 17. DE PœNITENTIBUS. Vide Capitul. lib. 5. cap. 67. totidem verbis. d Arelateni secundo cap. XII. in concil. Vide cap. 13. concilii Nycæni.

e Honoravit pœnitentiam, conc. f Sic etiam est in concil. Refert Burchard. lib. 18. cap. 18. cap. 17. Ivo part. 15. cap. 39. decret. & Gratian. 26. q. 6. cap. 7. QUI RECEDUNT.

g Eos pro eis, concil. eis, Burchard. & Ivo, & Gratian. h Quod morientis sufficit consolationi, concil. & in marg. reconciliationi sic etiam Ivo: quod in moriente sufficit, consolatione, Burch. reconciliationi, Gratian. cetera ut concil. i Mendosus locus. Secundum definitiones patrum, qui hujusmodi communionem congruenter, conc. & Ivo: congruentem, Burch. cetera ut conc. definitionem, Gratian. & congrue. cetera ut conc.

k Quod si conc. & Grat. ut si, Burch. & Ivo. l Cap. VII. in Ildori Mercat. collectione: cap. XIII. in Coloniens. editione. Refert Gratian. de pœnit. dist. 5. cap. 5. DE HIS.

m De his, qui suscepta pœnitentia religionem suæ Eccl. conc. & Grat. n Toletano quarto c. lib. V. in conc.

o Se toronderant, conc. p Sic etiam in concil. sed in marg. per potentiam.

q Ut vere apostata coram, conc. melius. r Scribe, amissis, ut est in concil.

s Quod si converti non possunt, velut apostata Eccl. conc. & in marg. Quod si revocantur, & reverti nolunt. t Sententiæ subiciantur, concil. u Sanctimoniam habitum induerunt, conc.

x Sic etiam est in Corpore canon. Ex epist. II. cap. II. ad Episcopos Gallie, in conc. Hoc etiam caput XV. appellatur in Triburiens. conc. cap. 31. extremo. Refert verba Burch. lib. 18. cap. 22. Ivo part. 15. cap. 44. decret. Anf. lib. 11. cap. 19. Tarrac. lib. 6. cap. 55. & Grat. 26. q. 6. cap. 13. AGNOVIMUS.

tia deneganda: *Agnovimus enim pœnitentiam morientibus non denegari (a), nec illorum desiderii abnuī, quod (b) obitus sui tempore anime [c] suæ cupiunt subveniri remedio. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub horrore (d) peccatorum hominem, pondere [e], quo se ille expedire desiderat, liberare (f). Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse (g) possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam sic promittat: „Peccator in quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei“. Et iterum: „Nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur: & vivat“. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegarit. Et desperavit (h) de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel momento posse non credidit (i). Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna pœnituit, & per unius sermonis promissionem (k) habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda, quam tempore (l), Propheta hoc taliter asserente: „Cum (m) conversus ingemueris, tunc salvus eris“. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti: cum ille (n) se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.*

CAPUT XXXIX.

Quod oporteat, eum, qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere, & quod non oporteat eum tempore pœnitentiae lucra negotiationis exercere.

IN decretis Leonis Papæ cap. XXII. (o) scriptum est, quod oporteat, eum, qui pro il-

licitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere: *Aliud quidem est debita justa respicere; aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet etiam a licitis abstinere, dicente Apostolo: „Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt“. Unde si pœnitentes habent causam, quam negligere forte non debeant, melius expedit eis (p) ecclesiasticum, quam forense iudicium.*

Item in eisdem decretis cap. XXIII. (q) scriptum est, quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat: *Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est inhonestus (r) quæstus, & turpis. Veruntamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi. Quia difficile est, inter ementis, vendentisque commercium, non intervenire peccatum.*

CAPUT XL.

Quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam rediri non debeat.

ITEM in eisdem decretis cap. XXIV. (s) scriptum est, quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam rediri non debeat: *Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiae actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: „Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus“. Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.*

EPILOGUS.


Hæc tibi, sancte pater, pauca capitula ex sanctorum Patrum conciliis colligere curavi, ut haberes in promptu ex eorum sententiis, quo judicare possis rudes, & indomitos animos novellæ gentis, apud quam modo conversaris: ut sciant, se impunitè peccare non posse, sed paratam sententiam semper a vobis fore, orientia vitia perverforum citius refecare, & humilibus atque digna satisfactione peccata sua plorantibus

a Denegari, Corp. can. & conc. aptius, & Burch. & alii. b Adnuī qui, Corp. can. conc. rectius, & Burch. & alii. c Hoc anime, Corp. can. & conc. & Tarr. & Grat. d Sub onere, Corp. can. & conc. Burch. & alii. e Perdere, Corp. can. redimere, conc. & Gratian. sed in veteri libro conc. est, pondere, & apud Burchard. & alios ponere, Tarracon. f Expediri desiderat, & liberari, Corp. can. & conc. & Gratian. sed in veteri libro, ut Raban. & apud Burch. & alios: expediri desiderat, liberare, Tarracon. g Absolvi, concil. sed in veteri. libro ut Raban. h Desperat, corp. can. & conc. & Gratian. desperavit, Burchard. desperaverit, Ivo & Anselm. desperavit, Tarrac. i Credit, Corp. can. & conc. & Anselm. credit, vetus conc. lib. & Burchard. & alii: credit, Gratian. k Professione, vetus liber, in quo vox permittitur professionem. Burch. & alii: confessione, Gratian. l Non tempore, vet. liber. m Ezech. 3. & 18. & 33. n Cum illi, Corp. canon. & vetus liber, & Tarrac. cum ille, conc. edita, & Grat. o Sic etiam est in Corp. can. Ex epist. XC. ad Rusticum Narbonens. Episcopum cap. VIII. in concil. Refert Anselm. lib. 11. cap. 233. & Grat. 11. q. 1. cap. 34. ALIUD. & de pœn. dist. 1. cap. 64. ALIUD. p Expedit quis, Corp. can. expedit, concil. & Anselm. melius est illi, ut expetat, Grat. d. cap. 35. melius expedit, idem d. cap. 64. q Sic est in corpore canon. Ex ead. epist. cap. IX. in concil. Refert Burch. lib. 2. cap. 128. & lib. 19. cap. 95. Ivo parte 6. cap. 202. & part. 13. cap. 25. & part. 15. cap. 107. decr. Anselm. lib. 1. cap. 131. Cæsaraug. lib. 8. cap. 80. & Gratian. de pœnit. dist. 5. cap. 2. QUALITAS. r Honestus, Corp. can. & Burch. & alii: & honestus, conc. & Ivo d. cap. 25. & Anselm. & Grat. s Sic est in Corpore canon. Ex ead. epist. XC. cap. X. in concil. Refert Burch. lib. 19. cap. 66. Ivo part. 15. cap. 80. decr. Anselm. lib. 11. cap. 239. Tarracon. lib. 5. cap. 19. & Grat. de pœnit. dist. 5. cap. 3. CONTRARIUM.

bus opportunum solamen consolationis conferre. Oportet enim, ut quia vestra sanctitas inter illos modo consistit, per prædicationem verbi Dei, & custodiam veræ religionis omnibus sa-
 crum studium vestrum innotescat: quatenus hic fructus boni laboris laudem vobis acquirat, & in futuro mercedem, & gloriam pariat sempiternam. Amen.

Index Capitulorum.

- | | |
|--|---|
| <p>I. DE his, qui post sacram ordinationem capitalia crimina committunt, & eorum pœnitentia, seu excommunicatione. Pag. 309. col. 1.</p> <p>II. De incestis conjunctionibus. 314. 2.</p> <p>III. De his, qui adulterium committunt. 316. 1.</p> <p>IV. De his, qui mœchantur. 316. 2.</p> <p>V. De his, qui sacris virginibus se sociant, & de virginibus velatis, si mœcharæ fuerint. 317. 2.</p> <p>VI. De his, qui irrationabiliter fornicantur. 318. 1.</p> <p>VII. De conjugatis, si quis eorum ductus fuerit in captivitatem. Ibid.</p> <p>VIII. Quod aliud sit uxor, aliud concubina; & quod non sit conjugii duplicatio, quando ancilla rejeta, uxor assumitur. 318. 2.</p> <p>IX. De eo, qui uxorem capti sortitus est in matrimonium. 319. 1.</p> <p>X. De illo, qui concubinam super uxorem habebit. Ibid.</p> <p>XI. De parricidio, & his, qui partus suos necant. 319. 2.</p> <p>XII. De homicidiis voluntarie commissis. 320. 1.</p> <p>XIII. De homicidiis, & falsis testibus. Ibid.</p> <p>XIV. De his, qui servos suos extra iudicem necant, & domina, quæ per zelum ancillam occiderit. Ibid.</p> <p>XV. De homicidiis non sponte commissis; & illis, qui se excusant, quasi insones ab homicidio in prælio commissio iussu Principum. 320. 2.</p> <p>XVI. De administratoribus, & his, qui preces criminales dictant. 321. 2.</p> <p>XVII. De populi necessario commissu. 322. 1.</p> <p>XVIII. De furto. Ibid.</p> <p>XIX. De conjuratione, vel conspiratione. 322. 2.</p> <p>XX. De his, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant. Ibid.</p> <p>XXI. De his, qui noxia iuramenta faciunt, quomodo pœnitere oporteat. Ibid.</p> <p>XXII. De his, qui ad ecclesiæ patrocinium confugiunt, ne tradantur persequentibus se sine fœdere pœnitentia. 324. 1.</p> <p>XXIII. De his, qui divinationes ex-</p> | <p>petunt, & incantationibus, siue auguriis deserviunt. 324. 2.</p> <p>XXIV. Quod non liceat Christianis servare traditiones Gentilium; nec ullis observationibus festis eorum communicare. 325. 2.</p> <p>XXV. Quod non sit cum Paganis convivendum. 326. 1.</p> <p>XXVI. De Christianis, qui cum Judæis vescuntur; & quod Judæis non liceat habere Christianas uxores, vel concubinas, seu mancipium Christianum. Ibid.</p> <p>XXVII. Quod non congruat Christianis, comestationibus interesse, nec histriones fieri, nec saltare in nuptiis, neque in conviviiis. 326. 2.</p> <p>XXVIII. Ut ad mensam Episcopi scripture divina legantur, & quod sacris ordinibus deditos viros non conveniat ebrietatem sectari. Ibid.</p> <p>XXIX. De continentia, & castitate clericorum. 327. 1.</p> <p>XXX. Quod non debeant sacerdotes, quaslibet in Ecclesiæ familiis truncationes facere; nec aliquid, quod morte plectendum sit, iudicare. Ibid.</p> <p>XXXI. De clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt. 327. 2.</p> <p>XXXII. De avaritia, & cupiditate, & quod non sit usura exigenda. Ibid.</p> <p>XXXIII. De apostatis. 328. 1.</p> <p>XXXIV. De professione monachi. 328. 2.</p> <p>XXXV. De penitentiæ temperamento, & quando reconciliandi sunt ipsi penitentes. Ibid.</p> <p>XXXVI. De his, qui in pœnitentiâ positi vita excesserunt. 329. 1.</p> <p>XXXVII. De his, qui pœnitentiâ violantes spernunt; & rursus prevaricantur. 329. 2.</p> <p>XXXVIII. Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda. Ibid.</p> <p>XXXIX. Quod oporteat eum, qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere, & quod non oporteat eum, tempore pœnitentiæ lucra negotiationis exercere. 330. 1.</p> <p>XL. Quod ad militiam secularem post pœnitentiâ rediri non debeat. 330. 2.</p> |
|--|---|



EPISTOLA CANONICA ^(a)
 SANCTI GREGORII NYCÆNI EPISCOPI
 AD SANCTUM LETOJUM, MELITENES EPISCOPUM
 CUM NOTIS
 ANTONII AUGUSTINI
 ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

U Num hoc quoque est eorum, quæ ad sanctum festum spectant, ut nos intelligamus legitimam & canonicam in his, qui peccarunt, dispositionem, quo pacto curetur omnis morbus animæ, qui ex aliquo peccato nascitur. Quoniam enim hoc etiam est universale festum creationis, quod in præstito annui circuli ambitu, singulis annis in universo mundo impletum propter ejus, qui ceciderat, resurrectionem, peragitur; casus autem est peccatum, resurrectio vero ex peccati casu erectio; recte hodie habebit, si non solum eos, qui ex regeneratione per lavacri gratiam transmutati sunt, adducamus: sed eos etiam, qui per pœnitentiam, & conversionem a mortuis operibus ad viventem viam rursus ascendunt, ad salutarem spem manu ducamus: a qua per peccatum alienati sunt. Neque vero parvum opus est, ea, quæ de his dicenda sunt, in recto, & probato judicio disponere, juxta præceptum Prophetæ, quod jubet oportere sermones disponere in judicio, ut quemadmodum habet ipsum oraculum, non moveatur in æternum, & in memoria æterna sit justus. Quemadmodum enim (b) etiam in corporis curatione unus quidem est medicinæ finis, sanare eum, qui laborat, varium autem est curationis genus; pro morborum enim va-

rietate convenienter quoque ratio curandi unicuique morbo adhibetur; ita cum multa sit in morbo quoque animæ affectionum varietas, multiformis quoque necessario erit medica curatio ad affectionis rationem medicinam exercens. Ut sit autem arte aliqua procedens propositæ quæstionis ratio, sic disputationem complectemur.

CAPUT I.

Tria sunt (c), quæ in anima nostra considerantur secundum primam divisionem, ratio, concupiscentia, & ira. In his sunt & recte facta eorum, qui ex virtute vivunt, & casus eorum, qui in vitium delabuntur. Quamobrem oportet eum, qui ægotanti animæ parti convenientem medelam est adhibiturus, prius quidem considerare, in quonam consistit affectio: deinde sic male affectæ convenientem medicinam facere, ne propter imperitiam rationis curandi, alia quidem sit pars, quæ ægotat, alia vero, quæ medicinam recipiat: sicut certe multos videmus medicos, qui propter primolæsæ partis ignorationem morbum suis medicamentis protrahunt. Cum enim sæpe existat morbus ex caloris magnitudine: quoniam iis, qui propter frigidi abundantiam male affecti sunt, utile est, quod calefacit, & refovet, quod illis ex ratione contulit, inconsiderate idem iis, qui

im-

^a Hæc Græce scripta est a B. Gregorio, Latinam fecit Gentianus Herverus, mutavit quædam Petrus Galefius in Latina interpretatione, cum eam contulisset cum Græcis libris. Fuit autem Gregorius Basilii Episcopi frater. Obitus hujus festos dies celebratur in Græcia IV. Idus Januar. ut constat ex Novella Manuclis Comneni, quam refert scholast. Balsamonis tit. 7. c. 1. nomocanonis Photii. In synodo Constantinop. quam ipsi sextam dixerunt, hi canones approbantur. c. 2. in Trullo. Refert Ivo lib. 2. tit. 11. c. 29. Panorm. & parte 4. c. 134. de cr. liber Casaraug. lib. 2. c. 8. & Grat. dist. 16. c. 7. QUONIAM. in fine. Idem Gentianus Theodoro Balsamoni Antiocheno Patriarchæ tribuit hujus epistolæ scholia, sive interpretationem, quam etiam Latine fecit: ego eam Joannis Zonaræ fuisse, in libris meis Græcis inveni. Extant etiam Græce Alexii Aristeni breviora scholia. Pars hujus epist. ad Letojum extat lib. 60. Basil. ut dicemus capite quinto.

^b Hac de re agitur in Timæi Locrensis libro de anima mundi, & in Platonis dialogo Timæo inscripto, & lib. 3. & 4. Tusculanar. quæstionum Ciceronis. Stoicorum autem esse hanc comparisonem docet Cicero d. lib. 4. his verbis: Hoc loco nimium opere consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. Vidend. Joann. Cassianus collatione 24. c. 15.

^c τὸ τελογίλον καὶ τὸ ἀντιθυμητικὸν καὶ τὸ θυμώδες. Hæc etiam Timæi sunt, & Platonis in eisdem libris, & ex Platone lib. 9. de repub. Ciceronis lib. 1. de divinatione. Idem lib. 1. Tuscul. quæst. sic ait: Plato triplicem finxit animam, cujus principatum, id est, rationem, in capite, sicut in arce posuit, & duas partes se parare voluit, iram & cupiditatem, quas locis disclusit, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. Et lib. 4. In his explicandis veterem illam equidem Pythagoræ primum, deinde Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem; in particpe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam; in illa altera motus turbidos tum iræ, tum cupiditatis contrarios, inimicosque rationi. Adde Cassian. collat. 24. d. c. 15. & 16. & 17.

immoderata caliditate succenduntur, applicantes effecerunt, ut esset morbus curatu difficilissimus. Quemadmodum ergo medicis in primis necessaria existimata est elementorum proprietatis cognitio, ut uniuscujusque eorum, quæ bene, vel male affecta sunt, id quod præter naturam tale est, ad suum statum revocetur: sic & nos ad hanc recurrentes divisionem, eorum, quæ in anima considerantur, quæ est principium, & fundamentum convenientis affectionum curationis, generalem faciamus divisionem. Trifariam ergo, ut diximus, divisa proprietate motionum animæ in illud, quod habet vim ratiocinandi, quod concupiscendi, & quod irascendi; rationis quidem compotis animæ partis rectum officium est, pia de Deo existimatio, boni & mali discernendi scientia, & quæ habet veram, ac sinceram de rerum subjectarum naturam opinionem: quid est quidem in his, quæ sunt, expetendum, quid vero respuendum, & abiiciendum. Et rursus ex contrario, quod in ea parte est vitium, omnino considerabitur, quando circa res quidem divinas fuerit impietas, nullum autem circa id, quod vere honestum est iudicium, perversa autem, & corrupta de rerum natura opinio, ut lucem tenebras ducat, & tenebras lucem, ut dicit Scriptura. Concupiscentis autem partis motus ex virtute quidem est, si ad id, quod est revera concupiscendum, & vere pulchrum, erigatur desiderium, & si qua est in nobis amatoria facultas, & affectio, tota in illo versetur, ut credamus, nihil aliud esse sua natura expetendum, præter virtutem, & naturam, unde virtus emanat. Hujus autem partis declinatio est, & peccatum, si quis cupiditatem transtulerit ad inanem, quæ non potest consistere, gloriam, vel ad florem eum, qui in corporum quasi cute nitet. Unde nascitur cupiditas pecuniæ, gloriæ, & voluptatis, & ceterarum omnium rerum ejusmodi, quæ ab hoc vitii genere dependent. Rursum vero habitus iracundiæ rectum officium est cum malo inimicitia, & bellum cum animi perturbationibus, & ad fortitudinem habere animum optime munitum, ut ea non metuat, quæ multis terribilia videntur, sed usque ad sanguinem contemnat, & rerum jucundissimarum avocatione, & omnium, ut dicam uno verbo, quæ consuetudine aliqua, & anticipata opinione multos detinent in voluptate, pro fide, & virtute depugnans, fiat superior. Hujus autem partis prolapsiones omnibus apertæ sunt, invidia, odium, ira, convicia, certamina, contentiosæ, & ultionis appetentes affectiones, quæ acceptæ injuriæ re-

cordationem longe extendunt, & multi ad eadem, & sanguinem pervenerunt. Dum enim non inveniret inerudita ratio, quomodo armis suis utiliter uteretur, ferri aciem in se convertit, eaque arma, quæ nobis a Deo data sunt, ei, qui male utitur, exitium afferunt.

CAPUT II.

His itaque, quo modo dictum est, distinctis, quæcumque quidem peccata ratiocinantem animæ partem attingunt, esse difficiliora a Patribus judicata sunt, & majore, & pleniore & laboriosiore conversione digna: quemadmodum si quis fidem in Christum negavit (a), vel ad Judaismum, vel idolorum cultum, vel Manichæismum, vel aliud quid tale impietatis genus descivisse visus sit, qui suapte quidem sponte ad ejusmodi malum irruens, deinde ad se rediens totum vitæ suæ habet pœnitentiæ tempus. Numquam enim si mystica peragatur oratio, Deum una cum populo adorare dignus censetur, sed seorsum precabitur, a sacramentorum autem communione omnino erit alienus; in hora autem sui excessus tum sacramenti parte dignus censebitur. Sin autem contigerit, ut is præter spem vivat, in eodem iudicio rursus vitam traducet [b], mysticorum sacramentorum ad exitum usque expers; tormentis autem, & gravibus suppliciis excruciat, præstituto tempore pœnas det, sanctis Patribus in eo clementia sic usis, tamquam anima non lapsa sit, sed corporalis imbecillitas, tormentis non resistens. Quare mensura [c] eorum, qui in fornicatione peccarunt, & vi, doloreque expressa transgressio in conversione commensurata est.

CAPUT III.

Qui vero ad præstigiatores (d), vel vates abierunt, vel eos, qui per dæmones se piacula quædam, & aversiones operaturos pollicentur, ii examinantur, utrum in fide in Christum permanentes, a necessitate aliqua ad illud peccatum impulsus sunt, & afflictio aliqua vel intolerabilis jactura hunc illis animum indidisset, an omnino neglecto, quod a nobis creditum est testimonio, ad dæmonum auxilium confugerunt. Si enim ad fidem tollendam, & quod Deum esse non crederent, qui a Christianis creditur, & adoratur, illud fecerunt, transgressorum scilicet iudicio subiciuntur. Sin autem non ferenda necessitas aliqua, pusillo eorum animo superato, eo deduxit fallax aliqua spe impulsos, eodem modo erit & in ipsos clementia, instar eorum, qui tormentis in tempore confessionis resistere non potuerunt.

CA-

a Photius tit. 13. c. 20. Nomocan. de apostatis, immolatoribus, magis, incantatoribus, mathematicis, divinatoribus, & annulata appendentibus refert Gregorii Nysseni c. 1. & 2.

b πάλιν ἐν τοῖς αὐτοῖς κρίματι, διαβιώσεν. Hoc Zonaras apertius interpretatur: πάλιν ἀνομιάνηται, sine communione iterum erit. μετέπειτα πάλιν ἀλλετοχ, Alexius ait, expers inquit, rursus manet. Id igitur appellat iudicium, hoc est, pœnitentiæ statum. c Vide caput 4.

d Partem esse hanc capitis secundi, apparet ex Photio, & ex libro 60. Basilicor. in locis mox adferendis. Caput etiam secundum est in Alexii Aristeni libro.

CAPUT IV. [a]

Eorum autem, quæ propter cupiditatem, & voluptatem fiunt, peccatorum talis est divisio: hoc enim vocatur adulterium, illud vero fornicatio, sive fornicatio. Ac nonnullis quidem eorum, qui sunt subtiliores, placuit etiam fornicationis peccatum adulterium esse existimare, quoniam una est legitima conjugatio, & uxoris cum marito, & mariti cum uxore. Quidquid ergo non legitimum est omnino præter legem: & qui habet non proprium habet omnino. Homini enim una data est a Deo auxiliatrix: & mulieri unum appositum est caput. Ergo siquidem quis proprium vas suum, ut divinus Apostolus nominat, sibi ipsi possederit, concedit lex naturæ justum usum. Si quis autem extra proprium versus fuerit, erit omnino in aliena: est autem unicuique alienum, quidquid non proprium, etiam si non habeat contententem dominum [b]. Non longe ergo a peccato adulterii & ipsa fornicatio ab his, qui rem paulo accuratius examinant, suscepta est, cum dicat etiam scriptura divina: *Ne multus sis cum aliena* (c); sed quia imbecilliorum fuit Patribus cura habita, distinctum est peccatum hac generali divisione, ut fornicatio quidem dicatur libidinis expletio alicujus, quæ fit sine alterius injuria, adulterium vero, insidiæ, & injuria, quæ alteri infertur. In eo autem, & cum animalibus coitum, & cum pueris tum esse putant, quoniam & hæc sunt naturæ adulterium. In id enim, quod est alienum, & quod est præter naturam, fit injuria. Cum hæc ergo divisio in hac etiam peccati specie facta sit, universale est remedium, ut a concitata in ejusmodi voluptates rabie per pœnitentiam homo purus efficiatur. Sed quia eorum, qui in fornicatione polluti sunt, injuria aliqua cum hoc peccato non commixta est, propterea duplicem conversionis tempus iis præscriptum est, qui in adulterio inquinati sunt, & in aliis itidem vetitis malis, animalium initu, & rabie in masculum. In iis enim peccatum, ut dixi, duplicatur. Unum quidem in nefaria voluptate, alterum autem, quod in injuria, quæ fit alteri, consistit. Est autem quædam hujusmodi differentia in ratione pœnitentiæ in peccatis, quæ sunt secundum voluptatem. Qui enim ex seipso ad sua proferenda peccata impulsus est, eo quod sua sponte occultorum accusator esse voluerit, ut qui jam morbo medicinam adhibere cœperit, & signum in id, quod est melius, muta-

tionis ostenderit, in mitioribus pœnis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem vel accusationem ingratu convictus est, longius illi conversionis tempus datur, ut ipse perfecte purgatus, sic ad sacramentorum communionem recipiatur. Est ergo canon ejusmodi, ut qui in fornicatione polluti sunt, in tribus quidem annis ab oratione omnino expellantur (d), in tribus autem sint solius auditionis participes: in tribus autem aliis annis, cum his, qui in conversione substernuntur, deprecantur, & tunc [e] sint sacramentorum participes. In his autem, qui studiosius conversione usi fuerint, & vita ipsa ad id, quod bonum est, reditum ostenderit, licet ei, qui dispensat, pro ecclesiasticæ œconomix utilitate tempus auditionis contrahere, & celerius ad conversionem deducere, & rursus hoc quoque tempus contrahere, & celerius communioni reddere, ut sua probatione ejus, qui curatur, constitutionem iudicet. Quemadmodum enim porcis margaritas proicere est vetitum, ita & pretiosa margarita privare eum, qui per vacuitatem perturbationis, & purgationem homo jam factus est, absurdum est. Quæ autem in adulterio, & in reliquis immunditiæ generibus fit legis transgressio ut dictum est, eodem iudicio sanabitur omnino, quo & fornicationis scelus, sed tempore duplicabitur. In eo autem ejus etiam qui curatur, affectio considerabitur, quo modo & in his, qui fornicationis inquinamento illaqueati sunt, ut vel citius, vel tardius eis sit boni participatio.

CAPUT V. (f)

Restat ad hæc, ut irascentem animæ partem examinandam proponamus, quando lapsa a bono iræ usu, in peccatum ceciderit. Cum autem multa sint, quæ per iram fiunt, peccata, & omnis generis mala, placuit nostris Patribus in aliis quidem non nimium subtiliter agere, neque multæ operæ pretium putare, omnia, quæ ex ira nascuntur, delicta curare: quamvis Scriptura non simplicem, vel ipsum ietum tantummodo prohibeat, sed etiam omne convicium, vel maledictum, & si quid aliud ejusmodi ira efficit, sed solam eadem pœnis caverunt. Dividitur autem hoc [g] malum differentia voluntarii, & involuntarii, in quibus voluntaria quidem primum est cædes, quæ ex composito suscepta est audacter ex apparatu ejus (h). Deinde illa quoque in voluntariis existimata est, quan-

^a Caput tertium appellatur a Photio tit. 2. cap. 5. Nomocanonis de fornicatione, adulterio & supra, & pœdicatione, & tit. 14. c. 2. de his, qui cum brutis animalibus commercium habent, & tit. 9. c. 39. de pœnitentia, & apud Alexium Aristenum.

^b ἡ ἀκνμοὶ ὁμολογοῦμενον ἔχει τὴν κνρη βύοντε. Zonaras interpretatur, ἂν μὴ ἔχη τὴν κνρηδύοντα quamvis non habeat dominum, contententem: significat certum, & apertum, omnibusque notum. Gentianus interpretatur, etiam si id non confiteatur, qui est dominus: quasi dicat etiamsi non agat, vel persequatur jus suum dominus.

^c Ecclesiast. 9. ^d Non solum ab oratione, sed etiam a loco orationis, quali diceret, ἂ προσευκη, quæ vox utrumque significat. Ut Act. 6. & Epiphan. hæresi 68. contra Massalianos.

^e καὶ τότε, Hoc est & postea, sive post hæc, non vero interea; neque enim pœnitentes offerunt, aut sacramentum Eucharistiam accipiunt ante expleta tempora constituta.

^f Hoc est caput IV. Alexio Aristeno, & Photio tit. 14. c. 3. de homicidis, & latronib. & Leoni lib. 62. tit. 39. c. 27. Basilicor.

^g Hæc verba invenies d. c. 27. Basil. ubi cædes, pro hoc malum, est.

^h Quæ fit meditatio, Basil.

quando quis in congressu (a) verberans, & verberatus plagam per iram mortiferam intulerit.

Qui enim ira semel victus est, & iræ impulsioni indulgens (b), nihil eorum, quæ malum possent amputare (c), ei in mentem venerit; quare (d), & illic quoque qui ex concertatione profectus est, cædis eventus in factum præoptationis voluntarium, non in casum confertur. Involuntaria autem habent manifesta indicia, quando quis alicui alteri rei studium applicans casu aliquid incurabile patriverit [e]. In his ergo cædes quidem in triplex tempus extenditur iis, qui per conversionem (f) voluntario facinori remedium afferunt. Ter noveni enim sunt anni, novenario in unoquoque gradu præfinito, ut in perfecta (g) quidem segregatione novennale tempus perduret, ab Ecclesia prohibitus: alios autem totidem annos in auditione permaneat (h), sola doctorum & scripturarum auditione dignus habitus (i): in tertio autem novenario cum substratis in conversione orans (k), sic veniat ad communionem sacramenti scilicet; & in eodem eadem erit observatio ab eo, qui ecclesiam administrat (l) & pro ratione conversionis (m) illi quoque pœnæ extensio contrahetur, ut pro novem annis in unoquoque gradu, octo, vel septem, vel sex, vel quinque soli fiant, siquidem magnitudo conversionis tempus vincat, & superet correctionis studio (n) eos, qui in longo tempore præstituto susceptas a se maculas segniter eluunt.

Involuntarium autem venia quidem dignum, sed non laudabile iudicatum est. Hoc autem dixi, ut sit apertum, quod etiam si quis involuntarie fuerit in scelere homicidii, eum tamquam jam profanum piaculo redditum (o) a sacerdotali (p) gratia eiiciendum canon pronuntiavit. Quantum autem est expiationis tempus in simplici fornicatione [q], tantum etiam recte habere existimatum est in iis, qui eadem involuntariam fecissent, scilicet in iis quoque pœnitentiis consilio examinato, ut si sit fide quidem digna conversio (r), non servetur annorum numerus, sed tempore contracto ad ecclesiæ restitutionem, & boni participationem deducatur. Si (s) quis autem, tempore non expleto a canonibus præstituto, vita excedat, jubet Patrum clementia, ut effectus sacramentorum

particeps non viatico vacuus ad extremam illam, & longam peregrinationem (t) mittatur. Sin autem postquam sacramenti particeps factus fuerit, rursus ad vitam reversus sit, statutum tempus expectet in illo gradu existens, in quo erat ante communionem illi ex necessitate datam.

CAPUT VI. (u)

Altera autem idololatriæ species, sic enim Gal. 5. c. Ephes. 5. b. divinus Apostolus avaritiam appellat, nescio quo modo absque ulla pœnæ medela a Patribus nostris prætermissa (x) sit. Atqui hoc malum quidem videtur esse triplicis animi constitutionis affectio. Nam & ratiocinatio ab ejus, quod pulchrum est, iudicio aberrans, esse in materia quod pulchrum est existimat, non ad pulchritudinem quandam a materia separatam respiciens. Et cupiditas ad ea quæ sunt inferiora, fluit, ab eo, quod vere est expetendum, præterfluens. Jam vero, & contentiosa, animosaque, affectio ex hoc peccato multas occasiones accipit; &, ut dicam semel, concinit hic morbus avaritiæ definitioni Apostolicæ. Divinus enim Apostolus eam non solum idololatriam, sed etiam omnium malorum radicem pronuntiavit; & tamen tale genus morbi neglectum, inconsideratum, & absque ulla ejus cura prætermisum est: quo fit, ut hic morbus valde in Ecclesia abundet, & nemo in his, qui ad clerum adducuntur, inquirat, num aliquo modo qui eo idololatriæ genere polluti sint. Sed de his quidem, quoniam a Patribus nostris prætermisum est, sufficere existimamus publica doctrinæ oratione ea quo modo fieri potest, curare, veluti quosdam morbos ex repletione ortos, ex cupiditate amplius habendi ægritudines oratione purgantes. Solum autem furtum, & sepulchrorum effossionem, & sacrilegium vitium existimamus, quod sic Patrum successione hæc nobis traditio facta sit. Atqui apud divinam scripturam & scænis, & usura sunt prohibita, & per alicujus potentiam ad suam possessionem aliena traducere, etiam si negotiationis prætextu tale fieri contigerit. Quoniam [y] ergo nostra quidem ad canonum potestatem auctoritas inest satis, id quod in confessis prohibitum est, canonicum iudicium his, quæ jam dicta sunt, adiiciemus. Dividitur autem furtum

1. Tim. 6. b.

in

a In conflictu, ac pugna, Cujacius in Basil.

b Affectioni iræ indulgens, Cujac. c Nihil in ea animi perturbatione eorum, quæ malum præcidere possent, Cujac.

d Quamobrem effectus cædis ex conflictu, voluntati, non casui deputatur, Cujac.

e Nefas quoddam admisit, Cujac. f Per pœnitentiam, Cujac.

g Ita ut novem annis omnino separatus communionem, & ecclesiæ prohibitus degat, Cujac.

h Auditor existat, Cujac. i Auditione, etiam si consistentiam acceperit, dignus, Cujac.

k Cum submissis, resipiscens oret, Cujac. l A dispensatore ecclesiæ, Cujac. m Resipiscentiæ, Cujac. & v. 25.

n Et majori studio ad emendationem feratur, Cujac. o Quasi ex celere jam factum profanum, Cujac.

p Sacerdotali, Cujac. q In nuda scortatione, Cujac. r Resipiscentiæ, Cujac.

s Hoc dicitur esse caput V. Alexio Aristeno, & Photio tit. 14. c. 4. t Longam iter, Cujac.

u Caput etiam VI. est Alexio Aristeno, & Photio tit. 14. cap. 1. de avaritia.

x Zonaras contra hanc Gregorii opinionem obiicit Gregorii Thaumaturgi cap. III. quod aliis est cap. II. item Theophili Alexandr. Episcopi epistolam ad Menam. Item de usuris aperte concilii Nicæni canon extat XVII. præter canonem Apostolorum XLIV. & Carthagin. cap. V. & sextæ synodi repetitæ cap. X.

y Caput VI. circa medium appellatur a Photio tit. 1. cap. 4.

in latrocinium, & in murorum effossionem (a). Idem autem utrisque finis est aliena auferre, consilii autem ipsorum magna est inter se differentia. Latro enim etiam homicidium ad id, quod studet assequi, assumit, ad hoc ipsum paratus & armis, & multa manu, & opportunitatibus locorum, adeo ut is homicidarum iudicio subiiciatur: si per pœnitentiam ad Dei ecclesiam ultro reversus fuerit. Qui autem clam auferendo alienum usurpat, deinde per enuntiationem peccatum suum sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato aegritudinem carabit, dico autem largiendo, quæ habet, pauperibus: ut dum quæ habet profundit, se ab avaritiæ morbo liberum aperte ostendat. Sin autem nihil aliud præterquam solum corpus habeat, jubet Apostolus per fatigationem corporis ei morbo mederi. Dicitio autem ita habet: *Qui furatur, non amplius furetur, sed potius laboret bonum operans, ut possit ei largiri, qui indiget.*

Eph. 4. c.

CAPUT VII. (b)

Sepulchrorum autem effossio, ipsa quoque dividitur in id, quod veniam meretur, & id, quod non meretur. Si enim quis mortuorum parcens religioni, & tectum corpus intactum relinquens, ut nec Soli ostendatur naturæ fecditas, lapidibus aliquot ex his, qui sepulchro injecti sunt, ad aliquod opus construendum utetur, ne hoc quidem est laudabile, sed ut esset dignum venia, effecit consuetudo, quando ad aliquid præstantius, & Reipub. utilius materia traducta sit: sed carnis conditæ, postquam terra injecta est, pulverem perscrutari & ossa movere, spe aliquem ex defossis lucrificandi ornatum, in eodem iudicio condemna-

tum est, quo simplex fornicatio: quemadmodum in præcedente oratione divisio facta est; considerante scilicet œconomio (c), ex ipsa vita ejus, cui medela adhibetur, medicinam ut spatium a canonibus pœnitentiæ præstitutum possit contrahere.

CAPUT VIII. (d)

Sacrilegium autem in antiqua quidem scriptura nihilo cædis condemnatione visum est tolerabilius. Similiter enim & in cæde deprehensus, & qui res Deo dicatas abstulerat, lapidationis supplicium subibat. In ecclesiastica autem consuetudine de pœnæ gravitate nescio quo modo aliquid detractum, & eo levitatis descensum est, ut illius morbi existimetur tolerabilius piaculum. In minori enim tempore, quam adulterium, hi a patrum traditione pœnam susceperunt. Ubique autem hoc in peccati genere ante omnia videndum est, qualis sit ejus, cui medela adhibetur, affectio, & non existimare tempus ad medelam sufficere quænam enim fuerit ex tempore medicina: sed ejus, qui sibi per conversionem medetur, animam, & institutum.

Hæc tibi ô homo Dei ex his, quæ erant ad manum multo studio composita, quod oportet fratrum mandatis parere, studiose misimus. Tu vero consuetas pro nobis preces Deo offerre ne intermittas. Debes enim, ut gratus filius ei, qui te secundum Deum genuit in senectute, per tuas orationes alimentum, convenienter præcepto quod jubet honorare parentes, ut tibi bene sit, & sis longævus super terram. Clarum est autem, quod ut symbolum sacerdotale litteras accipiens, neque munus hospitale contemnes, etiam si sit minus, summa tui ingenii bonitate.

Exod. 20.
b.

EX

a Sub hac specie effossionis comprehenduntur alia furtorum genera, quæ clam fiunt, ut effractiones horreorum, sive domorum, vestium, & pecuniarum clandestinæ rapinæ.

b Sic etiam Alexius, & Photius tit. 9. cap. 39. de Pœnitentia, & tit. 13. c. 23. de furibus sepulchrorum violatoribus latronibus & sacrilegis.

c Hoc est sacerdote, qui dispensare potest.

d Sic etiam Alexius, & Photius d. cap. 39. & cap. 23.



ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

EX EPISTOLA CANONICA

SANCTI GREGORII THAUMATURGI EPISCOPI NEOCÆSARIENSIS

De his, qui in Barbarorum incurfione idolothyta comederunt, & alia peccarunt.

CANON ULTIMUS

CUM NOTIS.

Fletus [a], seu luctus est extra portam oratorii: ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredienti orare, ut pro se precentur. Auditio (b) est intra portam in ferula, ubi oportet, eum, qui peccavit, stare, usque ad cathecumenos etiam illinc egredi. Audiens enim, inquit (c), scripturas, & doctrinam eiicitur,

Tom. III.

& precatione ne dignus censeatur. Subjectio autem, seu substratio (d) est, ut intra templi portam stans (e) cum cathecumenis egrediatur. Congregatio, seu consistentia est (f), ut cum fidelibus consistat, & cum cathecumenis non egrediatur: postremo est participatio sacramentorum (g).

V u

AN-

* Hic Gregorius superiori Gregorio antiquior est, cognomen ex admirandis signis, atque operibus habuit. Latina verba Gentiani Herveti interpretis sunt, qui etiam Theodori Balsamoni scholion Latine convertit. Apud Leonem libro LX. Basilicorum eadem fere inveniuntur omissio Gregorii nomine: varietatem indicabimus. Fletus, sive luctus ἡ πρόκλαυσις a Gregorio vocatur. Jacobus Cujacius lib. 60. tit. 37. cap. 18. Basil. ita scribit: *Sciendum vero quinque locos, & gradus esse pœnitentium. Adploratus, qui hic est, ut consistat reus extra velum ecclesie, & ingrediens flens dicat: ORATE PRO ME: accidens etiam pedibus eorum. Auditio &c. Et tit. 39. cap. 1. post submissionem, consistentiam, & participationem scribit: Adploratus est, consistere delinquentem extra velum ecclesie, & singulis, qui ingrediuntur, dicere cum gemitu ORATE PRO ME: accidentem etiam pedibus eorum.*

b ἡ ἀπόκλισις ἐνδοθὲν τῷ πόλῃ ἐν τῶν νεύρητι. *Auditio; ut audiat sacras scripturas stans in ostio basilicæ. Submissio &c. Cujac. d. c. 18. Ferula locus prope ostium esse videtur, de quo quærendum.*

c Cujus sint verba hæc, ignoro, & fortasse hæc sola Gregorii sunt, cetera alicujus interpretis.

d ἡ δὲ ὑπόπτωσις. *Submissio, ut intra velum ecclesie in extrema parte ambonis consistat ad cathecumenorum preces concurrens. Consistentia &c. Cujac. d. cap. 18. Submissio est statio intra velum ecclesie, in extrema ambonis parte, cum ipse ad cathecumenorum preces concurrat; consistentia &c. Cujac. d. cap. 1.*

e Vox stans, pugnare videtur cum substratione, vel subjectione, vel submissione; unde existens vel consistens magis placeret, nisi Græce quoque esset ἰσάμεν &c. sed aut mendo non caret, aut ita intelligatur oportet.

f ἡ τοσαύτη. *Consistentia, ut stet cum fidelibus, quoad divina functio peracta sit; participatio &c. d. cap. 18. Consistentia est cum fidelibus statio, quoad divina functio peracta sit; participatio &c. d. cap. 1.*

g ἡ μέθεξις τῶν ἁγισµάτων. *Participatio sacramentorum, ut vivificantis panis consors, & particeps fiat, Cujac. d. cap. 18. Participatio sacramentorum, vivificantis panis communio; Adploratus &c. Idem d. c. 1. Hic locus pœnitentium non est, ut superiores; sed statuitur differentia inter consistentes, & participantes: quod illi expertes sunt oblationum, hi vero participes.*



ANTONII AUGUSTINI
 ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS
IN CANONES POENITENTIALES
 QUI CUM GRATIANI LIBRO EDI SOLENT
P R Æ F A T I O.

Quia prodesse omnibus cupimus, & non omnes eadem sapiunt, neque eodem modo discunt, pro singulorum scilicet ingeniis, & institutionibus canones vulgo notos præterire noluimus. Sumuntur autem ex summa Astensi lib. 5. tit. 32. Ante hunc librum Ostiensis Cardinalis eadem paucis exceptis collegit in summa titulo de poenitent. & remission. Addidit quædam sanctus Bonaventura in confessionali. Item beatus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in summa, tertia parte, articulo 17. cap. 21. Nos tantum errata quædam librariorum correximus.

CANONES POENITENTIALES,
 QUORUM NOTITIA EST VIRIS ECCLESIASTICIS VALDE NECESSARIA.

Sunt autem quædam regulæ directivæ ad poenitentias delinquentibus imponendas.

Considerandum est de canonibus poenitentialibus. Ad quorum intelligentiam prænotandum est, quod sicut est in scientiis practicis, quæ versantur circa opera, quod sermo in universali est incertus, & dubius; sed cum applicatur ad singularia, incipit quodammodo habere certitudinem, ut qui non considerat circumstantias particulares, potius deviet, quam se rectificet: ut patet in Medicina, & scientia morali. Sic est intelligendum in proposito, quod canones instruunt in generali, quomodo est poenitentia imponenda, sed descensum ad singularia presbyteris discretis relinquunt, qui considerant circumstantias personarum, attendentes ad canones, sicut ad regulas directivas: quia si contra canones imponunt, non recte imponunt. Nulli ergo presbytero licet facere aliquid, quod possit Patrum regulis obviare. dist. 38. *Nulli.* In canonibus autem maxime determinatur poenitentia quo ad tempus, & magis, quam quo ad modum: quia illa determinatio est certior, & communior. Hæc Bonaventura 4. dist. 20. cap. 3. Ut ergo scias, qualiter debet procedere arbitrium presbyteri, nota, quod regulariter, sicut dictum est supra, septennis est pro peccato mortali poenitentia imponenda, & hoc non tantum pro-

pter temporis diuturnitatem, sed magis propter significationem. In veteri enim lege Maria soror Moyse leprâ percussa, separata fuit extra castra septem diebus. Numer. 12. Maria significat poenitentem, interpretatur enim amarum mare. Hæc poenituit septem diebus; sed nunc poenitet septem annis, quod significatum est Ezech. 4. *Diem pro anno dedi tibi.* Si quæretur, quare poenitentia sit aggravata, cum lex nova sit lex misericordiæ: Respondeo, quod hic est major ingratitude propter majorem gratiam, & major contemptus propter majorem dignitatem novæ legis, in qua Christi sanguis est effusus: & gravius peccatum propter statum peccantis, qui debet esse perfectior. Et ulterius satisfactio in lege nova debet esse perfecta, ut in pristinum statum reducat. Et quia sol in una die non redit in idem punctum, sed in anno, ideo dies conversus est in annum. Rursum, quia perfectum remedium est in lege nova, ideo annus multiplicari debet per septem, propter septem dona Spiritus sancti recuperanda, & propter septem dotes, scilicet tres animæ, & quatuor corporis obtinendas. Hujusmodi autem poenitentia non est omnibus imponenda, nec tamen est infirmenda: sed est insinuanda, ut cognoscatur, quam gravis est cul-

culpa. Hæc Bonav. ubi supra. Licet autem pro singulis peccatis criminalibus sit statuta talis pœnitentia, debet tamen imponi magis, vel minus aspera, prout majoritas, vel minoritas criminis cum ceteris circumstantiis hoc exposcit, ut in sequentibus patet. A prædicta namque regula excipiuntur plurimi * casus, in quibus propter dignitatem peccantis, vel criminis enormitatem imponitur pœnitentia major, aliquando etiam ex variis causis minor. Ad hoc ergo, quod presbyter circa pœnitentias disponendo * cautiùs arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per canones certæ pœnitentiæ imponuntur; quos scilicet canones tenetur presbyter scire, ut dictum est supra. Sunt autem isti:

Primus est, quod si presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat hoc modo; scilicet, quod sit inclusus, sive a ceteris in aliquo loco remotus, sacco indutus, & humi prostratus, misericordiam Dei jugiter implorans, primis tribus mensibus continuis a vespera in vesperam pane, & aqua utatur, exceptis Dominicis diebus, & festis præcipuis, in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus, de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum * scandalizetur. Et per hoc videtur, quod in publico crimine loquatur. Post hoc resumptis viribus aliquantulum, unum annum & dimidium in pane, & aqua expleat: exceptis Dominicis & aliis præcipuis festis, in quibus vino, fagine, ovis, & caseo poterit uti. Finito sic primo anno & dimidio, particeps sit corporis Domini, & ad pacem veniat, & ad psalmos cum aliis fratribus canendos in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat, sed minorum ordinum tantum officia gerat. Deinde usque ad completionem septimi anni tres legitimas ferias, scilicet secundam, quartam, & sextam, exceptis diebus paschalibus, qui sunt quinquaginta, in pane, & aqua jejunet; secundam tamen & tertiam uno psalterio, si sit operarius, redimere poterit. Et cum sic septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare: ita tamen quod in tribus annis sequentibus, sine ulla redemptione omni sexta feria in pane & aqua jejunet. Et eadem pœnitentia imponenda est presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depositionem inducunt. Probantur autem hæc omnia 82. dist. *Presbyter si fornicationem*, quod intelligunt quidam de simplici fornicatione, alii, forte melius, secundum Rayn. de adulterio, vel incestu: puta, quia cognovit conjugatam consanguineam, vel affinem.

Secundus casus * est, quod si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel in baptismo, vel in confirmatione tenuit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis: & etiam debet deponi, si crimen sit manifestum: & peregrinando quindecim annis pœniteat, & postea monasterium intret, tota vita sua mora-

turus ibidem. Episcopus vero, qui talia commisit, pœniteat quindecim annis. Ipsa vero mulier debet omnia sua relinquere, & res suas pauperibus dare, & conversa usque ad mortem in monasterio Deo fervire. 30. q. 1. *Si quis sacerdos. & Non debet.*

Tertius est, quod quicumque filiam suam spiritualem, vel matrem cognoscit, septem annis pœniteat, & similiter ei consentientes. 30. q. 3. *Non oportet.*

Quartus est, quod qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de præsentibus, ipsa dimissa quadraginta diebus jejunet in pane, & aqua, & sequentibus septem annis pœniteat: extra de spons. duor. *Accepisti.*

Quintus est, quod qui cognoscit duas com-matres, vel sorores, sive uxor vivat, sive non, ad minus septem annis pœniteat, licet plus deberet. 30. q. 4. *Si pater.*

Sextus est, quod qui cognoverit monialem, sive devotam, decem annis pœniteat: & similiter ipsa, secundum formam traditam. 27. q. 1. *De filia. & Devotam.* In quorum primo cap. dicitur, quod si filia Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi post votum solemne contraxerit matrimonium, non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto, pœnitentiam egerit: si autem eo vivente decesserit, & pœnitentiam egerit, & communionem petierit, tantum in fine vitæ recipiet eam. In secundo capite dicitur, quod devota peccans non est recipienda in ecclesia, nisi peccare desierit, & desinens egerit pœnitentiam decem annis: postea recipiatur ad communionem, & antequam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat.

Septimus est, quod qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem, & filiam, vel amatam, & neptem: pœniteat septem annis, si autem scienter, perpetuo privetur * conjugio. 34. q. 3. *Si quis cum duabus.*

Octavus est, quod qui duxit in uxorem eam quam polluit per adulterium, pœniteat quinque * annis. 31. questione 1. *Si qua vidua.*

Nonus est, quod qui contra naturam peccavit, si sit clericus, debet deponi, vel religioni tradi, si corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Si vero sit laicus, a cœtu fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus: extra de excess. Præl. Clerici. Hoc enim vitium majus est quam cognoscere matrem. 32. q. 7. *Adulteris.* & est Augustini *Adulterii*, inquit, *malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu. Pejus enim est, cum matre, quam cum aliena uxore concumbere: sed omnium horum pessimum est, quod contra naturam fit: ut si vir membro mulieris non ad hoc concessio voluerit uti.* Hæc Augustinus. Quocumque autem modo tale factum exerceatur, præterquam inter virum, & fœminam ordinate, & in vase debito, vitium contra naturam judicatur, ut dicit Rayn.

Decimus est, quod qui coierit cum brutis,

* plerique

* dispensando

* eo

* careat

* septem

* canon

pœniteat plus, quam septem annis: & similiter pro incestu. 33. q. 2. *Hoc ipsum.* & seq.

Undecimus est, quod presbyter qui, interest clandestinis nuptiis, triennio suspendatur: & si culpa exegerit, gravius puniatur: extra de cland. despons. *Cum inhibitio.*

Duodecimus est, quod qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis. 27. dist. *Si vir.*

Decimus tertius est, quod qui excommunicatus celebraverit, debet triennio pœnitere, & feria secunda, quarta & sexta a vino, & carnibus abstinere. 11. quæst. 3. *De illis.* De pœna vero degradati celebrantis habetur 50. dist. *Accedens.*

Decimus quartus est, quod homicida voluntarius sine spe restitutionis deponatur: & pœniteat septem annis. distinct. 50. *Mirror.*

Decimus quintus est, quod homicida casualis pœniteat quinque annis: & hoc, secundum Rayn. si culpa casum præcessit, aliter non, nisi forte ad cautelam. dist. 50. *Eos.* & duobus capit. sequentibus.

Decimus sextus est, quod si quis fecerit homicidium propter necessitatem evitabilem, pœniteat duobus annis. dist. 50. cap. *De his clericis;* quæ licet si inevitabilis esset, in nullo sibi imputaretur. 50. dist. *Quia te.* Quod verum est quoad culpam, sed bonum esset, quod pœniteret quoad cautelam, & innocentiam suam ecclesiæ ostendendam: extra de hom. cap. 2. & ult. Et secundum Rayn. forte distinguï potest in homicidio necessario sicut in casuali, scilicet, utrum culpa præcesserit necessitatem, vel non: argum. dist. 50. *De his.* Not. extra de homic. *Interfecisti.* Sed & si quis per insaniam committit homicidium, non ei imputatur. 3. q. 9. *Indicas.* Quin etiam qui intuitu disciplinæ incaute percutiendo occiderit, deponitur: extra de homic. *Presbyterum.* 15. q. 1. *Si quis non iratus.* Sed & qui ligatum latronem interficit, deponitur: extra de homic. *Suscepimus.* Qui autem latronem occultum occidit, quem vivum comprehendere potuit; quadraginta diebus non intret ecclesiam: & alias pœnitere debet: extra eod. cap. 2. ubi de hoc dicitur. Qui vero Paganum vel Judæum occidit, pœniteat quadraginta diebus. dist. 50. *Qui vero odii.*

Decimus septimus est, quod matricida pœniteat decem annis, secundum formam satis aperte traditam. 33. q. 2. *Latorem.* Uxoridæ vero gravior pœnitentia debet imponi. Talis enim, & qui dominum occidit, nunquam equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit: usque ad decem annos carnes non comedit, nec vinum bibit: & alia, quæ habentur. 33. q. 2. *Admonere.* & *Quicumque.* Imponitur autem pœnitentia major uxoricidæ, non quia illud peccatum sit gravius isto: sed quia homines proniores sunt ad occidendum uxores quam matres. Majus enim peccatum est occidere matrem, quam uxorem, ut dicit Bonavent. in 4. sententiar. & communiter omnes

doct. Guil. vero Durand. tenet contrarium in repertorio, pro eo quod uxoricidæ imponitur pœnitentia major. Mihi autem magis placet sententia aliorum. Sed qualem pœnitentiam agere debent, qui filios occidunt? Respondeo: Aut est certum, quod ipsimet scienter interfecerunt: & sic debet eis imponi pœnitentia major quam pro alio homicidio: arg. extra eod. cap. ult. in tex. & gloss. & de homic. *Cum juramento:* de pœn. dist. 1. *Aut facta.* In hoc tamen casu vir uxorem recuperat, quam coactus abjuraverat, & ipsa pœnitentiam agit secundum arbitrium Episcopi, ita quod si habet alios filios, pacifice gubernare possit eos: extra, eod. *Intelleximus.* Quod si virum non habet, induci debet, ut intret religionem, ad quod si non potest induci, tutius est, ei dare licentiam nubendi, ut extra eod. *Veniens.* Et hoc, quando timetur de incontinentia, alias non, ut patet. 33. q. 2. *In adolescentia.* Et si pater sit clericus, ab officio altaris debet perpetuo abstinere: & ei gravior quam laico, non tamen publica, nisi veniat in publicum pœnitentia debet imponi: ut extra de pœn. *Quæsitum.* Aut certum est, quod non interfecerunt sponte, nec in culpa fuerunt, sed casu fortuito contigit: & sic distincto jure in nullo tenentur: arg. extra de homic. *Ex litteris.* 2. & cap. *Joannes.* cap. ult. nisi velint ad cautelam pœnitere. In dubio tamen præsumitur, quod non hoc ex certa scientia sed potius ex incuria provenerit: extra de præsumpt. *Afferre.* Aut certum est, quod non adhibuerunt omnem diligentiam, quam potuerunt, & debuerunt: & sic culpa præcessit casum. Et si sit gravis culpa, ut si posuit puerum in medio utriusque, secundum arbitrium pœnitentiarii imponitur pœnitentia quinque vel septem annorum. 50. dist. *Si qua femina.* & cap. seq. & cap. *Si quis sponte;* occulta, si sit occultum, publica, si sit publicum, & major, si in lecto suffocetur, quam si in cunis: & major presbytero Græco, quam laico, ut habetur: extra de pœn. *Quæsitum.* Et licet dispensetur quoad pœnitentiam, quæ est arbitraria, ut dicitur ibidem; non tamen quo ad ordines, propter homicidium, quod est delictum enorme, & indispensabile. distinct. 50. *Mirror.* Si autem culpa, quæ præcessit casum, sit levis, ut si posuit puerum in eodem lecto, longe tamen a se, imponitur pœnitentia trium annorum. Secundum hoc intellige illud: extra eodem *De infantibus.* Monendi ergo sunt parentes, quod tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne qualibet negligentia interveniente, opprimantur, & suffocentur, ut 2. q. 5. *Consulvisti.* Et hoc modo distinguit Oltiens. & Bern. extra eodem *De infantibus.* Quid de illis, qui filios vel servos suos, infantes, vel etiam adultos languidos relegata pietate exponunt, id est, extra se ponunt ante ecclesias, ut aliqui moti misericordia colligant eos? Respondeo: Tales graviter peccant, quia cum ignoretur sæpe consanguinitas expositorum, contrahere possent matrimonium cum sorore, vel cum consanguinea: ideo

ideo

ideo exponens tenetur de hoc peccato pœnitere, & est puniendus: sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur: extra de pœnitent. & remission. *Officii*, secundum Ostiens. Talis enim secundum Rayn. est tamquam homicida iudicandus, qui hominem sibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Consideratis tamen circumstantiis, & utrum ob hoc mors secuta fuerit, vel non fuerit, pœnitentia moderanda erit. Erunt autem tales irregulares, secundum Rayn. si mors inde sit secuta: quia scilicet fuerunt in culpa, eos exponendo, vel alimenta negando. Tamen secundum Rod. si in nulla culpa fuissent, quia forte nec eleemosynas quærendo, nec aliter eos alere possent, irregulares non essent, nec peccarent.

Decimus octavus est, quod qui presbyterum interficit, pœniteat duodecim annis: extra de pœn. & rem. cap. 2. De pœnitentia vero ejus, qui occidit monachum, vel clericum, subdiaconum, vel diaconum, habetur. 17. quæst. 4. *Qui occiderit*. De pœnitentia autem ejus, qui machinatur in mortem domini sui, vel in regimen ejus, habetur. 23. q. ult. *Si quis*.

Decimus nonus est, quod qui injuste alium ad mortem accusat, quadraginta diebus in pane, & aqua per septem annos jejundet, & pœniteat: & hoc, si accusatus sit occisus. Si autem tantum membrum perdiderit, triennio pœniteat: extra de accusat. *Accusasti*. Ostiens. vero, & Jo. de Deo intellexerunt, quod primus pœniteat per septem annos, quolibet anno jejunando quadraginta diebus in pane, & aqua, secundus vero per tres annos. Gul. vero Durand. intellexit prout littera magis sonat: scilicet, quod primus jejunabit quadraginta diebus in pane, & aqua, sive continue, sive interpollate: & per septem annos jejunabit, & pœnitebit, non tamen in pane, & aqua, sed ad arbitrium presbyteri: secundus vero per tres quadragesimas, prima ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, tertia ante sanctum Joannem Baptistam: has enim instituit beatus Petrus, ut habetur in chronicis. Jejunabit autem tunc in pane, & aqua. Probantur hæc secundum Ostiens. 22. quæst. 5. cap. 1. 2. 3. & 4.

Vigésimus, quod perjurus quadraginta diebus in pane, & aqua jejundet, & septem annis sequentibus pœniteat: & semper debet esse in pœnitentia, scilicet interiori. 6. quæst. 1. *Quicumque*.

Vigésimus primus, quod qui compulsus conditionaliter a domino scienter pejerat, si liber sit, quadraginta diebus in pane, & aqua; & hoc secundum gloss. intellige, vel continue, vel interpollate pœniteat: & septem annis sequentibus, non tamen in pane, & aqua, ut dicit glossa. Si vero servus sit ejus, qui eum coegit, tribus quadragesimis, & legitimis feriis, scilicet secunda, quarta, & sexta. 22. quæstion. 5. *Qui compulsus*.

Vigésimus secundus, quod qui pejerat in manu Episcopi, vel in cruce consecrata; pœniteat tribus annis. Si vero in cruce non conse-

crata, uno anno. Qui vero coactus & ignorans ignorantia juris, & postea cognoscit, pœniteat tribus quadragesimis. 22. quæst. 5. cap. 2. Qui vero coactus pro vita redimenda, vel qualibet causa, vel necessitate pejerat, quia corpus plus quam animam dilexit, tribus quadragesimis pœniteat. ead. q. 5. cap. *Si quis coactus*. Alii inducunt tres annos, & unum ex his in pane, & aqua.

Vigésimus tertius est, quod qui falsum scienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus quadraginta pœniteat in pane, & aqua: & septem sequentibus annis: & numquam sit sine pœnitentia, scilicet interiori. Alii, si conscii fuerint, similiter pœniteant. 22. q. 5. *Si quis pejeraverit*.

Vigésimus quartus, quod qui mensurat in falsa mensura, triginta diebus in pane, & aqua jejundet: extra de emptio. & vend. *Ut mensuræ*. De pœna vero falsarii literarum habetur: extra eod. *Ad audientiam*. & cap. *Dura*. & cap. *Ad falsariorum*. & de verb. signific. *Novimus*.

Vigésimus quintus est, quod qui frangunt pœnitentiam solemnem, sive redeundo ad crimina priora, vel similia, sive redeundo ad negotiationem, vel militiam sæcularem, quæ sibi fuerant interdicta, sola intra ecclesiam fidelibus oratione junguntur: a communione suspenduntur, a catholicorum conviviis separantur, & pœnitere debent decem annis, & communicent in fine vitæ. 33. quæst. 2. *De his vero*. & de pœn. dist. 5. *Si quis vero*.

Vigésimus sextus est, quod qui canit Missam, & non communicat, debet uno anno pœnitere, & interim Missas non cantare. de consecr. distinct. 2. *Relatum*.

Vigésimus septimus est, quod presbyter, qui mortuum clericum involvit in palla altaris, pœniteat decem annis, & mensibus quinque, diaconus vero triennio, & dimidio. de consecr. dist. 1. *Nemo per ignorantiam*.

Vigésimus octavus, quod qui committit sacrilegium, ecclesiam violando, vel chrisma sive calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit, pœniteat septem annis. Primo anno extra cœmeterium, quod violavit, consistat: secundo anno ante fores ecclesiæ: tertio in ecclesia. Et in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha, vel Natali: non offerat, nec communionem accipiat. Quarto anno communicabit: & in illo, & in quinto, & in sexto, & in septimo tribus feriis a carnibus, & vino abstineat jejunando. 12. quæst. 2. *De viro*. Comburens autem ecclesiam, quindecim annis pœniteat, & eam restituat. 17. quæst. 4. cap. *Si quis*. in vers. *Majus*. De pœna vero raptoris, sive furis rei ecclesiasticæ, & de pœna furis, & effractoris tam clerici, quam laici, habetur eadem quæstione cap. *Pecunia*. & cap. *Si quis clericus*.

Vigésimus nonus, quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, a communione triennio separantur.

parantur, & similiter filii, si sint in culpa. Si tamen filii secundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique, scilicet quo ad pœnam ecclesiæ, sed non quo ad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium. 31. quæst. 3. *Si qui parentes.* arg. de pœnitent. dist. 1. *Si cur.*

Trigesimus est, quod qui blasphemaverit publice Deum, vel aliquem Sanctorum, & maxime beatam Virginem, illi debet Episcopus hanc pœnitentiam injungere: scilicet, ut septem diebus Dominicis præ foribus ecclesiæ in manifesto, dum Missa cantatur, existat, & ultimo illorum dierum Dominicorum pallium, & calciamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & septem præcedentibus sextis feriis in pane, & aqua jejundet, ecclesiam nullatenus ingressurus: & quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel saltem unum reficiat, si potest: & si non potest, hæc pœna in aliam commutetur: quod si renuerit agere omnia supradicta, interdicatur sibi ecclesia, & in morte privetur ecclesiastica sepultura: extra de maled. *Statuimus.* Item blasphemus, si dives fuerit, quadraginta, alioquin triginta, vel viginti, & si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetæ pœna mulletur, nullamque misericordiam in hoc habiturus, ut dicitur ibidem, scilicet, quin solvat quinque solidos; quos si non habet, currat per civitatem, vel commutetur in poenam aliam temporalem: hæc autem pœna solvetur ei, qui condemnat, id est, potestati sæculari: Hanc enim pœnam temporalem præcepit Papa imponi per potestatem temporalem: quod si neglexerit, per Episcopum præcipit cogi: hæc Ostiens. Habet autem prædicta pœna locum, secundum Goffr. cum quis blasphemat non ex ira, vel ebrietate, vel dementia, quia tunc cum eo benignius ageretur. 2. quæst. 3. *Si quis iratus.* Secundum vero Ostiens. hæc pœna est specialiter inducta contra eos qui Deum blasphemant ex ira. Non enim aliquis de levi blasphemat Deum, nisi iratus. Tanta tamen posset esse iracundia, quod æquipararetur dementia: & tunc illud, quod dicit Goffr. locum posset habere: Hæc Ostiens. Quid si quis juret per caput, vel per ventrem, vel capillum? Respondet Ost. quod si faciat hoc affirmando, vel jurando, non habet locum hæc pœna, secus est, si faciat, hoc detestando, vel vituperando, licet iratus. Item secundum Goffr. & Ost. hæc, quæ dicuntur de pœna temporali*, vel pecuniaria, fiunt iudice pro tribunali sedente; in iudicio autem animæ presbyter discretus molliendo rigorem, dispensare poterit ex causa circa pœnam spiritualem superiorem. 26. quæst. 7. *Pœnitentibus:* hæc Ostiensis. Item blasphemus clericus, maxime presbyter, cogatur ad veniam postulandam: quod si noluerit, degradetur: distinct. 46. *Clericus.* Notandum vero, quod blasphemus, secundum leges est decapitandus, ut in authent. *Ut non lux. contra nat.* circa medium col-

* corporali

lat. 6. Secundum vero canonem antiquum clericus erat degradandus, & laicus excommunicandus. 22. quæst. 1. *Si quis per capillum.* Hodie vero laicus aget pœnitentiam supradictam, scilicet, illius canonis *Statuimus.* & hoc si publice blasphemavit. Si enim occulte, non pœnitebit publice, ut puto. Clericus vero hodie est corrigendus pœna arbitraria, & occulta, non illa, quæ est publica; clericus enim publice non debet pœnitere. Si autem rebellis fuerit, vel sapius hoc commiserit, locum habet pœna legis, scilicet ut laicus decapitetur in foro civili, & in canonico anathematizetur, id est, ecclesiæ ingressus sibi interdicitur, & in morte privetur ecclesiastica sepultura; clericus vero degradetur. Hæc Oostiens. tit. de maledicis.

Trigesimus primus, de presbytero, qui revelat confessionem, quod de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinari. de pœn. distinct. 6. *Sacerdos.*

Trigesimus secundus est, quod qui in dicendis horis canonicis, & aliis officiis divinis discrepat a consuetudine propriæ metropolitanæ ecclesiæ, sex mensibus privatur communione, si hoc accidat ex contemptu. 12. distinct. *De his.*

Trigesimus tertius, quod Episcopus, qui ordinat sine causa justa clericum invitum, aut reclamantem, vel penitus invitum, absolute suspenditur anno uno. 74. dist. cap. 1.

Trigesimus quartus, quod Episcopus, qui correctionem de venditione ministeriorum dissimulat, duobus mensibus, presbyter quatuor, diaconus tribus, subdiaconus, & ceteri ad arbitrium iudicis pœnitere debent. 1. q. 1. *Quidquid invisibilis.*

Trigesimus quintus, quod fortilegus quadraginta diebus pœniteat: extra de fortil. cap. 1.

Trigesimus sextus, quod qui videt in astro labio, pœniteat duobus annis: extra de fortil. *Ex tuorum.*

Trigesimus septimus est de stilla sanguinis altaris cadentis super terram, vel aliquid aliud, propter negligentiam presbyteri, debet presbyter pœnitere quadraginta diebus. Si cecidit super pallio altaris, pœniteat quatuor diebus. de consecr. distinct. 2. cap. *Si per negligentiam.*

Trigesimus octavus est, quod si aliquis evomit eucharistiam propter ebrietatem, vel voracitatem, si laicus, pœniteat quadraginta diebus: si clericus, vel monachus, vel presbyter, vel diaconus, pœniteat septuaginta diebus: si Episcopus, pœniteat nonaginta diebus, & debet evomitura comburi, & juxta altare collocari. Si vero causa infirmitatis evomerit, septem diebus pœniteat. de consecr. dist. 2. *Si quis propter ebrietatem.*

Trigesimus nonus est, quando mus corrodit, vel comedit corpus Christi, de pœnitentia hujus casus inquire, ubi sit notata. de cons. distinct. 2. circa finem cap. *Qui bene.*

Qua-